This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



6000065430

31.

373.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS

BONORUM ET MALORUM

LIBRI V.

CUM SELECTIS GOERENZII ANNOTATIONIBUS, QUIBUS SUAS SUBIUNXIT

FRIDERICUS VILELMUS OTTO

ZITTAVIENSIS.

ADDITI SUNT EXCURSUS XII. DE VARIIS REBUS GRAMMATICIS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS AUGUSTI LEHNHOLD.

MDCCCXXXI.

373.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PRAEFATIO.

Quum Ciceronis libri, qui sunt de finibus bonorum et malorum, in praestantissimis antiquitatis operibus sint numerandi, quippe qui veterum philosophorum sententias hac de re nos edoceant, saepissime in scholis ad iuventutem antiquae philosophiae cognitione imbuendam explicantur. Unde Bremius Vir Cl. hos libros (Turici 1798) in usum studiosae iuventutis commentario instruxit, qui et sententias obscuriores et locutiones Ciceronianas, quae paullo essent insolentiores, illustraret. At quum nostro seculo Latinarum cognitioni literarum tantum incrementum docti homines attulerint, ut, quae ad Ciceronis scriptorum interpretationem pertineant, pleraque aliter esse, atque antea existimatum est, appareat, visum est mihi novam horum librorum editionem parare. Nam quae Goerenzius, qui hos libros Lipsiae 1813 edidit, ad eos et emendandos et interpretandos attulit, quamquam sunt praeclara, tironibus tamen maximam partem inutilia sunt, quod propter nimiam brevitatem et obscuritatem haud facile intelliguntur. Plura etiam,

quae in his libris exquisitioris elocutionis Ciceronianae sunt, explicare neglexit. Quare eas tantum Goerenzii notas meis aut praeposui aut addidi, quae faciliores sunt ad intelligendum et nulla emendatione egent. Quamquam autem novam horum librorum recensionem exhibere nec volui, nec potui, quum novis ad hanc rem subsidiis opus sit, quae mihi nunc non praesto sunt, tamen, quum viderem, Goerenzium optimis optimorum codicum lectionibus saepe vulgatam scripturam praetulisse, recepi eas, ubi et a sensu et ab elocutione Ciceroniana ita commendabantur, ut reliquas verisimillimum esset e correctione ortas. Plurima mutavi in verborum ordine rectius restituendo, quoniam Goerenzius hunc maxime ex sono suo diiudicavit. Sunt autem optimi codices Spirensis, Erlangensis, Palatinus primus, quos maxime optandum est, ut denuo conferantur accuratius, quum non integram eorum habeamus collationem, quae si adesset, ita confido hos libros multis corruptelis depravatos posse emendari, ut vix quicquam praeter solitos istos scribarum errores vitii remaneat. Quare ubique fere sequi potui horum auctoritatem codicum, easque emendationes, quas primus ex iis recepi, ita significavi *Sic Spir. Erl.* vel *Sic scripsi e Spir. et Erl.* Praeterea usus sum codice Guelferbytano antehac non collato. Sed quum intelligerem, hunc codicem tam malum esse, ut vix tres quatuorve locos ex iis emendare possem, in difficillimis tantum locis eum inspexi. Plurimum secutus sum Orellium, qui his usus est

subsidiis, quae suis notis hic repeto, quum ea saepe laudaverim:

Edit. Bazalerii 1499.

(P.) Editio Veneta impressa per Philippum condam (sic) Petri 1480 (cum melioribus libris plerumque facit.)

(I.) Edit. Iuntina.

(H.) Ed. Hervagiana. 1534.

(Cr.) Ed. Cratandrina.

(M.) Edit. Manutii. 1555.

(V.) Edit. Victoriana Venetiis. 1536.

(L.) Edit. Lambiniana. 1566.

(D. vel Dav.) Edit. Davisiana. Cantabrigiae 1741.

(Lall.) Lallemandiana edit.

(1. s. Ern.) Ernestiana edit. prima.

(Br. vel Brem.) Edit. Bremiana.

(G. vel Goer.) Edit. Goerenzii.

(Sch. vel 2.) Edit. Schuetzii secunda.

(Mo.) Observatt. Guilielmi Morelii Tilliani in M. Tullii Ciceronis libros quinque de finibus bonorum et malorum. Parisiis 1546. 4. Usus est Morelius Codice veteri, cuius lectiones refert et diiudicat. Facit is plerumque cum optimis Pal. pr. Spir. Erl. —

„Excerpsi item varietatem cod. Caroli Stephani, et, ubi post Bremium ac Goerenzium opus erat, Oxoniensem. Praeter varias censuras v. c. Goerenzianae editionis in Diario Heidelberg. 1815.

p. 96., et Rathianae Ed. in Diario Jenensi 1805. p. 497., cuius scriptor, (fuitne F. A. Wolfius?) XXXII. Cdd. a se consultos esse narrat (J.), consului Matthiae prolusiones in Miscell. philologg., et G. H. Moseri Symbolas criticas ad aliquot Cic. de Fin. b. et m. et Tusc. Disp. loca. Ulmae 1825. 4. — Bentleius, ubi nominatur, Thomas est, non Richardus." *Orell.*

Goerenzius his codd. usus est:

Palatino I. (Pal. 1.)
Eliensi II. (Eliens. 2.)
Spirensi (Spir.)
Erlangensi (Erl.)

Cum his faciunt saepius Marsi et Cratandri editiones.

(Bas.) Basileensi.
(Gud. 1.) Gudiano primo.
(Gud. 2.) Gudiano secundo.
(Monac.) Monacensi. Sed non in prioribus libris.
(Eliens. 1.) Eliensi primo.
(Paris. 3.) Parisiensi tertio.
(Oxon. ε. et ξ.) Oxoniensibus ε (E. interdum signatur) et ξ.

Ipse insuper usus sum edit. Rathii, qui repetiit notas Ursini, Camerarii, Victorii, Lambini, Paulli Manutii, Davisii, additis suis. Multum usus sum Eclogis Ciceronianis ab Ochsnero denuo editis a. 1820. Signum nominis est *Ochsner. Reinholdi Klotzii* Lectt. Tull. Lib. I. Lipsiae apud Schwickert. 1830. 8. dimidia laboris

parte fere peracta nactus sum; unde in prioribus libris loci tantum ad calcem annotationum notati sunt a plagularum emendatore, cui publice gratias ago oneris suscepti. Vehementer autem doleo, quod in conficiendo excursu de particula *an* pro *annon* posita nondum ad manus fuit V. Cl. *Handii* Horatius Tursellinus de particulis Latinis, a quo plurima nunc video mihi esse praerepta, quae ne quis surrepta a me putet, non potui non id indicare.

Ceterum, ut clementer de labore meo iudicent viri docti, peto. Scripsi Zittaviae Id. Decembr. MDCCCXXX.

PROLEGOMENA.

DE TEMPORE, QUO SCRIPTI SUNT HI LIBRI *DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM.*

De scribendis his libris septennium ante, quam ediderit, cogitasse auctorem, patet ex Legg. I, 20, 52. *Labebar longius, nisi me retinuissem.* Q. *Quo tandem? libenter enim frater, ad istam orationem tecum prolaberer.* M. *Ad finem bonorum, quo referuntur et cuius causa sunt facienda omnia: controversam rem et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen iudicandam.* (Nam anno 701. scripti sunt libri

de Legg. Vid. Goerenz. ad Legg. Praefat. p. XXII.) Profert idem in his quoque, quae ibi sequuntur, eandem ipsam sententiam, quam iis libris, qui sunt de finibus bonorum et malorum scripti, amplectitur. Dudum autem Ciceronem coepisse sibi materiem colligere, qua et ad hos libros et reliquos omnino philosophicos suos conficiendos uteretur, quum ex Acadd. II, 3, 11. pateat, tum eo maxime intelligitur, quod, si cum libris de Republica et de Legibus scriptis Hortensium exceperis, cetera eius opera philosophica omnia anni paucorumque mensium spatio absoluta et edita esse constat. Librorum de finibus primum confectorum vestigium reperitur XII. ad Att. ep. 40., ubi duo Cicero magna *συντάγματα* absolvisse se scribit. Dubitari enim recte nequit, quin cum Academicis prioribus hos quoque libros intelligat. Quare, si nuper Schuetz. Vir Cl. ad locum modo citatum duobus illis *συντάγμασι* duos Academicorum libros solos dici vult (nam de altera ad Varronem editione auctor tum nondum cogitarat), hoc, ut alia omittamus, vel ideo parum est probabile, quod vox *σύνταγμα* de pleno tantum opere aliquo, non de singulis eius libris recte poni potest. Libri vero de finibus eo ipso tempore, quo illa epistola scripta est, id est ante d. III. Non. Jun. 708. absolutos fuisse putandum est, quum eorum secundum auctor ante d. V. Kalend. Quinctiles Romam miserit, cfr. XIII. Attic. ep. 32. Kalendisque Sextilibus eosdem Atticus dudum non solum describendos acceperit, sed ab hoc etiam Balbus quin-

tum eorum, ab huiusce librariis Caerellia quinque omnes, invito stomachanteque Cicerone, et antequam Bruto, ad quem missi sunt, traderentur, sibi descripserint. Vide XIII. Att. ep. 21. 22. Eaque ipsa causa fuit, cur auctor quinto libro plura mutaret, ut hic liber denuo editus videretur, Atticumque urbane moneret, ne reliqui ante tempus in manus hominum venirent, nisi hos quoque mutatos reliquamque librariorum ipsius operam perditam vellet. Cfr. ibid. ep. 21. *Scripsit Balbus ad me, se a te quintum de finibus librum descripsisse: in quo non sane multa mutavi, sed tamen quaedam. Tu autem commode feceris, si reliquos continueris, ne et ἀδιόρθωτα habeat Balbus, et ἔωλα Brutus.* Ex qua duplici veluti editione exemplaria propagata videntur, unde interpolationem istam libro V. cap. 8. §. 21. ortam putat Goerenzius. (Sed vide nos ad eum locum.) Simili certe ratione priora Academica in publicum elapsa, eorumque sic alterum librum ad nostra usque tempora servatum esse, in eorum introductione docuit Goer. Traditi autem Bruto hi nostri libri, id est vere iusteque editi proxime ante idus Sextiles videntur; tum enim ille cum Tullio in huius Tusculano fuit, cfr. ibid. ep. 45. neque post id tempus ulla eorum ad Atticum fit mentio. Ita absoluti quidem libri de finibus prius sunt, quam haec ab Attico Varroni traderentur (cfr. ibid. ep. 37.) in manus Bruti venerunt.

DE TEMPORE, QUO SERMONES HABITI ESSE FINGUNTUR.

Ut plurimi Ciceronis dialogi non vere habiti sunt, sed habiti esse finguntur, id nostris quoque libris accidit. Tres autem quinque his libris sermones vere diversi comprehenduntur, quum secundo et quarto libro sermones praecedentium, sententia eadem in examen vocata, modo continuentur, loci etiam, temporis reliquorumque *διαλόγου παρασκευῶν* ratio sit eadem. Omnes autem sermones ante bellum civile instituti esse putandi sunt. Quae enim personae praeter ipsum Ciceronem principes introducuntur, hi vel ante id bellum, vel in eo ipso mortem obierunt. Id quidem a se consulto factum, auctor ipse testatur XIII. ad Attic. ep. 19. *Quae his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent: in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, Peripatetica M. Pisoni darem. Ἀζηλοτύπητον id fore putabam, quod omnes illi decesserant.* Ita quidem auctor ad invidiam vivorum vitandam ad morte defunctos confugerat. Aristotelius mos autem non tam ad dialogorum personas (id quod voluit Wyttenbach. Vir. Cel. in Epistola ad Heusdii Spec. crit. in Platon. p. LI.) et reliquam dialogi formam externam, quam ad rerum in iis tractatarum rationem et viam spectare dixeris. Primi secundique libri sermo in anni 703. exitum conferendus

est. L. enim Torquatus, qui pariter atque C. Triarius in ipso civili bello occubuit, vide ad I, 5, 13. ut praetor designatus proponitur, praeturam brevi initurus: quam hic vere gessit 704. Cfr. Pigh. annales ad hunc annum p. 435. Huic tempori convenienter, ut alia, ita summa potentia, qua tum maxime Cn. Pompeius pollebat, commemoratur. Cfr. II, 18, 57. Tertii denique quartique libri sermo ad annum 701. referendus esse videtur. Nam hoc ipso anno a Cn. Pompeio tertium consule lex illa de ambitu lata est, qua cautum, ne causarum patroni trium horarum spatium dicendo excederent: haec autem brevi ante scripta dicitur IV, 1, 1. Eodem ipso quoque anno fato functus est L. Lucullus, ex quo filium testamento in M. Catonis tutelam tradidisset, Tulliique curae commendasset. Vide annotata ad III, 2, 8. Huius autem Luculli filii ita ibidem mentio iniicitur, ut si inter hos de eius educatione atque studiis tum primum sermo institueretur. His igitur duobus sermonibus se quinquagenarium esse Cicero significat: at tertio libri quinti sermone eundem adolescentem viginti octo annorum vides, Antiochi magistri praeceptis auscultantem, et cum maxime in nobilitatis illis Academiae spatiis cum aequalibus deambulantem, de gravissimisque rebus, deque ipsis magistri decretis iudicantem. Quod ne mirum videatur, hanc habet excusationem. Erant quidem Brutus et Varro ex Antiochiis, qui disserentes introduci poterant, sed hi in vivis: ipse autem legem sibi scripserat, ne ex his nisi interlocutores, ut

Quintus frater et Atticus, admitterentur. Ex mortuis restabat Lucullus, cui in priorum Academicorum libro posteriore partes primarias, ut Antiocheo, dederat. At libro vix edito, hoc a se factum ita ipsi displicebat, ut eam solam ob causam totum argumentum alia prorsus ratione elaborasse videri vellet. Solus inde ipsi M. Pupius Piso occurebat, decem fere annis Tullio maior, re ipsa vero praeter ceteros idoneus. Audierat hic enim non solum studiose Antiochum, sed etiam Staseam Peripateticum diu secum habuerat. At serius cum eo, ut Clodii familiari, Tullus adeo discreparat, ut aperta inter eos inimicitia exerceretur. Vid. ad Att. I. ep. 16. Redeundum igitur ad priora tempora erat, si uti eius persona vellet. Quod quum esset faciendum, in ipsum illum annum sermonem cum eo instituendum reiecit, quem hi simul Athenis transegerant. Ad quod consilium fortasse hoc etiam auctorem commovit, quod sic optime L. Ciceronem, patruelem, intexere posset, quem praematura morte 685. ereptum, ob singularem modestiam literarumque amorem eximie dilexerat. Vide ad V, 1, 1. Goer. Cll. Ern. Clav. Cic. histor. hoc nomine. Assignandus igitur quinti libri sermonis annus 674. vel certe proxime ad initium est, quo tempore studiorum causa auctor Athenis vixit, ibique, ut ipse testatur, *sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho fuit, studiumque philosophiae, nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum et semper auctum, hoc rursus summo*

auctore et doctore renovavit. Vid. Brut. 91, 315.

DE HORUM LIBRORUM ARGUMENTIS.

Quum Ciceroni his quinque libris nobilissimorum sententias philosophorum de finibus bonorum et malorum interpretari et refutare esset propositum, primo libro Epicureorum explicat de summo bono sententiam, quam secundo refellit. Tertio Stoicam persequitur rationem, quam confutat libro quarto. Quinto denique veterum Academicorum et Peripateticorum exponit disciplinam, deque ea disputat. — Primus liber versatur in explicanda Epicuri sententia, summum bonum esse voluptatem. Ea disputatio habita fingitur in Cumano Ciceronis, quum eo L. Manlius Torquatus Epicureus et C. Valerius Triarius Peripateticus salutandi causa venissent. In exordio variis auctor reprehensionibus eorum occurrere studet, qui hanc operam philosophiae Latinis literis illustrandi a dignitate principis Romani persona alienam putent, ipsumque ad aliud scribendi studium avocent. cap. 1 — 5. Tum Torquatus Epicuri sententiam explicat, eiusque causam agit. Huius disputationi praemittitur a Cicerone reprehensio philosophiae Epicureae omnis. c. 6. 7. Ipsius autem, quae Torquato tribuitur, disputationis haec est summa: Epicurum summum bonum posuisse in voluptate, summum malum in dolore, quod omne animal simulac natum sit, voluptate gaudeat, dolorem

aspernetur et repellat, quantum possit: ex quo intelligatur, natura id omnibus insitum esse, ut voluptatem summum bonum putent, neque tam argumentatione opus esse, quam mediocri admonitione: sed rectius agere tamen eos, qui, quod multa contra voluptatem dicantur, rationibus conquisitis de ea re disputandum putent. c. 9. Qui accusent voluptatem, doloremque laudent, non ipsam voluptatem, sed eos potius accusare, qui blanditiis praesentium voluptatum corrupti, futuros dolores non provideant, aut perferendis doloribus parvis maiores non repellant. c. 10. Neque vero voluptatem intelligi eam solam, quae suavitate aliqua naturam ipsam moveat, sed eam potissimum, quae percipiatur, omni dolore detracto; quod ipsa illa molestiae detractio consecutionem voluptatis afferat. c. 11. Voluptatem autem esse summum bonum, dolorem summum malum, ex eo intelligi, quod nihil beatius esse possit eo, qui perpetuis fruatur animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente nec impendente, nihil contra miserius eo, qui maximis confectus sit animi corporisque doloribus, nulla spe proposita, fore melius aliquando, nulla neque praesente neque exspectata voluptate. c. 12. Qui in una virtute, nominis splendore capti, summum bonum ponant, non videre, eam ne expetendam quidem videri, nisi voluptatem efficeret, et esset omnium virtutum quidam ad voluptatem cursus. c. 13 — 16. Nullum igitur esse errorem in ipsis finibus, sed in his rebus, e quibus efficiantur. Fateri autem se,

animi voluptatem et dolorem e corpore nasci: sed esse tamen animi voluptatem et dolorem maiorem eo, qui in corpore sit, quod corpore praesentia tantum sentiamus, animo praeterita etiam et futura, quorum magna vis sit ad voluptatem et dolorem augendum, prout sapiens quisque aut stultus sit. Itaque Epicurum etiam nemini nisi sapienti voluptatem illam, nemini nisi stulto dolorem tribuere. c. 17. seqq. Neque tandem amicitiam, isto summo bono constituto tolli, quod omnium rerum, quas ad suaviter vivendum sapientia comparaverit, nihil maius amicitia, nihil iucundius sit.

Secundus liber vertitur in refutanda Torquati disputatione. Initium facit ab ipso voluptatis vocabulo, quod negat recte ab Epicuro definiri, qui ei non modo eam, quae in motu sit, hoc est, corpoream, sed etiam, quae in stabilitate sit, hoc est, vacuitate a dolore, sive indolentiam subiiciat; quae res quum sint natura diversae, uno vocabulo non posse comprehendi, adversante inprimis linguae Graecae Latinaeque ratione, quarum neque illa ἡδονήν, neque haec voluptatem appellet indolentiam, quum Hieronymus, qui summum bonum in indolentia ponat, manifesto disputet contra Aristippum, qui voluptati summi boni vim tribuat. c. 1 — 10. Ad evertenda deinde ipsius opinionis Epicureae fundamenta accedit, et ostendit, neque ab animantium ortu recte repeti originem summi boni, nec propterea, quod appetant voluptatem infantes, aspernentur dolorem, voluptatem pro summo bono habendam; quum non tam ad volu-

ptatem appetendam moveantur a natura infantes, quam ut se ipsi diligant et integros se salvosque velint; neque a sensibus, quorum non sit, de bono et malo iudicare, sed de coloribus, sonis, figuris, motu, intervallis et reliquis huiusmodi sensui subiectis rebus. cap. 10 — 12. Unam ergo rationem audiendam esse, quae doceat, nihil esse voluptati loci, non modo, ut sola in summi boni sede ponatur, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur, nullamque esse de summo bono sententiam probandam, nisi quae aut solam honestatem probet, aut eam initiis naturae et totius perfectione vitae locupletet. Totam autem sententiam Epicuream hoc uno everti posse, si honestum aliquid esse ostendatur, quod sit ipsum sua vi propter seque expetendum, h. e. quod, detracta omni utilitate sine ullis praemiis fructibusque per se ipsum possit laudari, idque quatuor virtutibus illis Stoicis contineri. Eo constituto cap. 14. seqq. accedit ad omnia ea, quae a Torquato disputata pro Epicuri sententia erant, eaque ita refellit, ut inprimis neque virtutibus neque amicitiae usquam locum esse ostendat, si ad voluptatem omnia referantur. cap. 15 — 27. Deinde vero etiam reliqua persequatur.

Tertius liber cum quarto continet habitam in Luculli Tusculano inter Catonem et Ciceronem de fine bonorum et malorum disputationem, in qua Catoni Stoicae, Ciceroni Peripateticae partes tribuuntur, praemisso brevi de ratione Stoica et Peripatetica sermone, utrum verbis an re discre-

pent, quorum illud Cicero contendebat, hoc Cato pugnabat; cap. 3. 4. fit ad ipsam disputationem accessio et Cato totam Stoicam rationem explicat. Eius disputationis haec summa est; simulac natus est homo ipse sibi commendatur et conciliatur a natura ad se conservandum et ab interitu alienatur. Haec prima appetitio ubi consecuta est quid, quod quaerebat, accedit voluptas, quae per veram pro ipsa prima appetitione habetur ab Epicuro, et in primis naturalibus s. initiis naturae ponitur. Sed ad haec initia propter se appetenda, ponendae etiam sunt rerum cognitiones (καταλήψεις) et artes ipsae, quod pueri gaudent, si quid ipsi invenerunt, etsi nihil inde ad se commodi perveniat, et dignae sunt artes assumptione, quum et cognitiones contineat, et via sint ac ratione constitutae c. 5. His initiis positis sequitur prima divisio haec, aliud esse aestimabile, quod secundum naturam sit, aut efficiat aliquid per se selectione dignum; aliud inaestimabile, quod sit illi contrarium. Constituto hoc, ut, quae secundum naturam sint, propter se sumantur, primum est officium (καθῆκον), ut se conservet homo in naturae statu, deinceps, ut ea teneat, quae secundum naturam sunt, pellatque contraria. Simul autem cepit intelligentiam, vel notionem potius (ἔννοιαν), et vidit rerum agendarum ordinem, plus eum diligit, quam ipsa illa initia, atque colligit, in eo positum esse summum bonum, quod in convenientia (ὁμολογίᾳ) versetur, quod per se expetatur, quum nihil ex initiis natu-

rae propter se appetatur, sed tantum seligatu cap. 6. Quum autem omnia officia a primis na turae oriantur, etiam sapientia inde proficiscatu necesse est. Ea autem et animi magnitudine complectitur et iustitiam, quas virtutes nemo tene potest, nisi statuerit, nihil esse quod intersit a differat aliud ab alio, praeter honesta et turpi c. 6. 7. Ex his autem consequuntur duo: pri mum, ut, quum extremum sit naturae congruent vivere, sapiens semper feliciter vivat; alterum, u quod honestum sit, id solum bonum iudicemu quod turpe solum malum. cap. 7. 8. Bonum e id, quod est natura absolutum; utile autem (ὠφέ λημα) motus aut status e natura absoluta. Atqu id bonum non accessione neque crescendo, au cum ceteris comparando, sed propria vi sua sen timus et appellamus bonum, eiusque aestimatio (ἀξία) genere valet, non magnitudine. Nec ver perturbationes (πάθη) vi aliqua naturali moventur sed sunt opiniones levitatis atque in sapientem non cadunt. cap. 10. Solum autem honestum esse bonum, quum a multis aliis praeter Stoicos, tum etiam facile defenditur; quod omnes malunt sine sce lere, quae volunt, consequi, et ad res dignas cognitio ne cognoscendas etiam sine voluptate aut utilitate ali qua feruntur, gaudent praeterea commemoratione prae clare factorum, nec vel sine teste scelus admittere su stinent. cap. 11. Iam in hac re discrepare re non ver bis Peripateticos et Stoicos, ex eo intelligitur, quo illi omnia, quae ipsi bona dicunt, pertinere putant a

beate vivendum; hi vero, quod aestimatione omnino aliqua dignum sit, complecti vitam beatam putant; quod illi dolorem in malis ponunt, et cum multitudine bonorum augeri beatitatem putant, aliamque actionem magis expetendam alia, quum quae sit sine dolore magis ea, quae sit cum dolore; quae omnia secus sunt apud Stoicos. cap. 13. 14. Quamquam autem nec virtutes nec vitia crescunt, funduntur tamen quodammodo et quasi dilatantur. Alia enim virtus integras provincias complectitur, alia paupertatis tamquam termino circumscribitur, ut se eodem modo diffundere non possit. Voluptas et valetudo non est inter bona numeranda, quod ad eam ducunt, eamque continent divitiae. Nam efficeretur, ut ipsae divitiae in bonis essent. c. 15. Sed ne omnis vita confundatur, alio etiam modo res distinguendae sunt. Quae itaque nihil valent ad beate misereve vivendum, et media dicuntur, alia sunt aestimabilia, alia contra, alia neutrum. In aestimabilium quibusdam satis est causae, quare aliis anteponantur, in quibusdam non item, et sic etiam in non aestimabilibus. Hinc orta sunt Zenonis προηγμένα producta, praeposita, praecipua, promota, et ἀποπροηγμένα reiecta, remota, quorum alia sunt per se praeposita, alia, quod aliquid efficiunt, alia, quod utrumque. Sed quoniam aestimabile nec bonum, nec malum est, ideo ἀδιάφορον, indifferens dicitur. c. 15. 16. 17. Bona porro sunt vel τελικὰ pertinentia, alia ποιητικὰ efficientia. Ad illud genus actiones hone-

stae referuntur; ad hoc nihil praeter amicum, sapientia ad utrumque. c. 17. Officia nec in malis nec in bonis sunt: est tamen iis fungendum, quod in iis est aliquid probabile, cuius ratio reddi potest. In iis versatur sapiens, iudicando, quid officii sit necne. c. 18. Pertinet autem ad rem, ut intelligatur, natura liberos a parentibus amari et communem esse hominum inter homines et naturalem commendationem, qua ducti societatem appetamus, cuiusque haec vis sit, ut communi utilitati studeamus, rempublicam administremus, liberos quaeramus, decorum sequatur, amicitiam adhibeamus et iustitiam, neque utilitatis causa, sed per se. Ad has virtutes etiam Dialecticae et Physicae cognitio adiicienda, quae ipsae virtutes sunt. c. 19 — 22. Ex quibus intelligitur, quae a Stoicis sapienti tribuantur, ea vere tribui.

Quarto libro continetur Ciceronis disputatio contra Catonianam h. e. Peripateticae rationis defensio et Stoicae, impugnatio. Accessio ad disputationem philosophiam Stoicam in universum omnem reprehendit, inprimisque eius auctorem Zenonem, qui quum nihil habuerit, quod in vetere et a Socraticis Aristoteleque constituta disciplina aut reprehenderet aut mutaret, ausus sit eam desérere, novamque disciplinam condere, quae a superiori neque partitione, neque ulla re paullo maiori, nisi verbis novis quibusdam, et scribendi ac disserendi ratione, discreparet. c. 1 — 5. In quo autem

maxime Stoici a vetere ratione discedere putarentur, nempe Bono summo et Malo, in eo quoque verborum potius quam rerum dissensionem esse. Nam constitutionem illam primam naturae, a qua et Cato, de Stoicorum more, exorsus sit, et unde omnis ista disputatio de bono et malo ducatur, eam utriusque partis esse, ut dissensus rerum nullus reperiatur. Illa enim: valetudinem corporis, integritatem sensuum non esse bona, sed praeposita; quae in corpore excellerent, non esse per se expetenda, sed sumenda; omnia vitia esse paria; qui virtutem non plene consecuti essent, summe esse miseros: ea non esse tanti, ut propterea a veteri disciplina desciscendum fuerit, inprimis quum usui loquendi repugnarent. c. 6 — 9. Sequitur deinde pressior disputatio de his, quae a Catone dicta erant, eaque conferuntur cum his, quae Cicero anteponebat Catonianis. Ab iisdem initiis naturae, animo et corpore, et utriusque conservandi studio proficiscuntur Stoici et Peripatetici. Male ergo Stoici paullo post corporis plane obliviscuntur, et in exquirendo summo bono et malo unius animi rationem habent. Nam etsi corporis bona parva sunt ad virtutem, et ab ea obscurantur et obruuntur, non sunt tamen plane nihil, atque adeo, etsi parvae, tamen partes vitae beatae. c. 10 — 12. Deinde quum omnium naturarum simile sit id, ad quod omnia referuntur, et quod est altimum rerum appetendarum: omnis autem natura nullam sui partem deserat, neque tantum

in optimo conservando perficiendoque laboret: nulla ratio est, quare summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis ponatur, neque totam hominem omnesque eius partes, sed optimum tantum sapientia, tamquam nihil praeter ingenium esset homo, complectatur. c. 13. 14. Quod dicunt, virtutem non posse constitui, si, quae extra eam sunt, ad beatam vitam pertineant; id totum contra est. Nam quum virtus quaesita sit, non quae relinqueret naturam eiusque initia, sed quae tueretur; introduci virtus non potest, nisi omnia, quae leget et reiiciet, unam referuntur ad summam. c. 15. 16. Illud autem minime probari potest, quod, ubi a Stoicis solum honestum in boni sede locatum est, tum rursus dicunt, initia proponenda esse accommodata naturae, quorum e selectione virtus possit existere. Non enim est aequum, aliunde finem beate vivendi, nempe ab honesto, aliunde vero, nempe a natura, principium agendi petere, sed una ratione utrumque contineri oportet: ex quo ipso Stoicae rationis, de fine bonorum, vitium intelligitur, quo, quae v. c. voluptatem finem facit, libera est, quae et appetitionem et actionem commovet. c. 17. Iam in illis consectariis: omne bonum laudabile, laudabile omne honestum; igitur omne bonum honestum; item in illo sorite: quod bonum est, id est optabile, quod optabile, expetendum etc. sumuntur ea, quae a nemine conceduntur, nisi qui sola virtute finem bonorum contineri putat. Reliqua autem: omnes,

qui non sunt sapientes, aeque miseri sunt, omnia recte facta et peccata aequalia, et his similia, ita repugnant sensibus ac rerum naturae, ut iis ipsis tollantur ea, ex quibus colliguntur. c. 18. 19. Atque haec ipsa res fecit, ut causam non obtinens Zeno, repugnante quippe natura, et ad angustias redactus, versare verba inciperet. Nam quae bona nolebat dici, concedebat, ut apta, accommodata, praeposita dicerentur, quae mala negabat esse, reiecta largiebatur esse; Platonem etsi non sapientem dicebat, tamen praeferebat Dionysio tyranno; peccata alia tolerabilia dicebat; alia nullo modo, in quibus, ut etiam in reliquis loquebatur aliter atque omnes, sed idem sentiebat, ac ceteri. c. 20. seqq. Harum angustiarum una causa est gloriosa illa in constituendo summo bono ostentatio. Nam quum, quod honestum est, id solum bonum confirmatur; omnia officia vitae tolluntur; ex quibus angustiis dum se vult expedire Zeno, nova quaedam dicere cogitur, sed ea, cum Aristoteleis re consentientia, verbis discrepantia; quae verborum dissensio quum ad contemnendum v. c. dolorem nihil possit, melius fecisset, si usitate locutus esset. cap. 25. 26. Idem de illis παραδόξοις statuendum, quae nihil controversiae habent, si res verbis subiectae spectentur, quod, exempli causa, illo: omnia peccata esse paria, demonstratur. c. 27. 28.

Quinto libro Cicero, quas superiori libro ipse partes susceperat, eas M. Pisoni imponit, ut, quum

ipse veteris Academiae et Peripateticorum rationem, impugnata Stoica, defendisset, hic nunc omnem illam rationem explanaret. Et facile quidem intelligitur, quae Piso hic disputare fingitur, ea Ciceroni placuisse ipsi, tum, quod eandem rationem superiori libro Stoicae praeposuerat, tum vero, quod ipsa ratio explicandi est longe illa venustior et ornatior, qua libro primo et tertio usus est, quum aliena e Torquati et Catonis personis disputaret. Ea enim fere felicius in hoc genere succedunt, quae ipsi probamus. Itaque etiam illud accidit Ciceroni, ut c. 8. obliviscerétur Pisonis esse illam disputationem, et, se hic disputare, significaret. Nam in ipso illo Pisonis sermone plane aliena ab eius persona Ciceroni exciderunt haec: quanto igitur et de voluptate cum Torquato (L. II.) et de honestate... cum Catone (L. IV.) est disputatum etc., quae profecto Pisoni minime, sed Ciceroni ipsi potius conveniunt. Nam quod in fine huius libri cap. 26. seq. quaedam in Peripatetica ratione reprehenduntur: ea non ad summam rei pertinent; quum non tam ipsa sententia reprehendatur, quam quod inconstans quodammodo nec satis consentiens omnibus partibus sit Peripatetica ratio, quae quum doceat, alia esse praeter virtutem bona, tamen sapientem semper beatum etiam in dolore et paupertate putet. Praemissis autem disputationi Platonis, Academicorum veterum et Peripateticorum laudibus cap. 3. 4. et commemoratis omnibus de

summo bono sententiis, quarum sex simplices sunt, tres omnino iunctae et duplices; reiectis ceteris illam exponendam confirmandamque suscipit Piso, in quam Aristotelem inprimis eiusque filium Nicomachum in plerisque etiam Theophrastum adhibere possit, quae eadem est cuth ea, quam Academia vetus tenuit. cap. 5—8. Facto ergo ex instituto veterum omnium a primis naturae exponendis initio hunc finem bonorum ex iis exsistere dicit: secundum naturam vivere, sic affectum, ut optime affici possis, ad naturamque accommodatissime. cap. 9. Exposita autem ista rerum expetendarum terminatione, cur ista se res ita habeat, demonstrat. Primum argumentum omne deducitur a prima commendatione naturae, quod omne animal se ipsum diligit; id quod ita infixum est in ipsa natura, et suis cuiusque sensibus comprehenditur, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur, neque potest intelligi aut cogitari non modo esse aliquod animal, quod se oderit, sed quod, quomodo se habeat, nihil sua censeat interesse, quod eo sumpto, omnis appetitus animi tollitur; quemadmodum in iis rebus, inter quas nihil interest, in neutram partem propensiores sumus. Ea etiam est corporis et animi omnium partium facultatumque natura, ut eas salvas et integras perfectasque velimus, perve caras habeamus, in eisque sint ad bene vivendum momenta maxima: quod, cui conservatio sui proposita est, necesse est, huic partes quoque sui caras esse, eoque cariores, quo

sint perfectiores: ex quo intelligitur, ut quaeque ex nostris plurimum habent dignitatis et praestantiae, ita maxime esse expetenda, atque adeo virtutem animi, quae ex ratione gignitur, qua nihil est divinius in homine, omnium maxime appetendam esse. cap. 10 — 14. Quodsi se quisque et naturam suam, simul ac natus est, cognosceret, et naturae suae singularumque partium vim continuo homo videret hoc, quod quaeritur, ultimum. Nunc vero in infirma aetate ea per caliginem cernitur et sensim paulatimque cognoscitur; ut neque finis ille statim cernatur. cap. 15. 16. Altera argumentandi ratio inde ducitur, quod cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua vis est, ut idcirco in his rebus et actionibus, quae cuique parti humanae, membro, facultati subiectae videamur. cap. 17 — 20. Actionum autem aliae aliis sunt maiores excellentioresque: maximae vero, cognitio rerum coelestium et a natura occultarum, quas indagare ratio potest; administratio reipublicae, aut administrandi scientia, tum prudens, temperata, fortis et iusta ratio, ceteraeque virtutes, et actiones virtutibus congruentes, quae omnia honesta dicimus, ad quorum cognitionem, natura ipsa praeeunte, deducimur, praeterquam quod nos ipsi diligimus, etiam suapte natura appetenda sunt. cap. 21. 22. In omni honesto autem nihil est illustrius, quam hominum coniunctio, cuius innatus est nobis amor: quam quae tuetur animi affectio, iustitia appellatur atque pietas, bonitas,

liberalitas, comitas, aliaque eius generis, ita propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia. Ita fit, ut illa coniunctio etiam per se appetenda sit. Neque tamen est in fine bonorum, quia est extrinsecus, neque in animo, neque in corpore posita. Duo ergo sunt genera per se expetendorum. Unum, in quo est finis ille, quae sunt aut animi aut corporis; alterum, in quo sunt res extrinsecus positae; quae quamquam non continentur summo bono, tamen ad id referuntur, quod eas his officiis tuemur, quae a suo cuiusque genere virtutis oriuntur. cap. 23. 24. Haec est Peripateticae rationis summa, ex qua ceteri omnes particulam aliquam detraxerunt, quum suam quisque afferre videri vellet sententiam. cap. 25. Reliqua disputatio versatur in diluendis iis, quae Cicero de inconstantia Peripateticae rationis disseruerat, cap. 26. seq., qua ostenditur, tantam esse virtutis excellentiam, ut bonorum externorum defectum obruat, nihiloque minus beatus sapiens dici possit, etsi in molestia quadam sit; accessione autem illorum bonorum aut decessione fieri alium alio beatiorem.

Haec argumenta ex Rathii editione transtuli, quum propter brevitatem suam et perspicuitatem cum veritate coniunctam vix aliter possint constitui. Nam Goerenzius paene totum librum Ciceronis descripsit, quod plurimorum, qui argumenta conficiunt, vitium esse censeo. Quae ad historiam

horum librorum pertinent, quum rectissime disputata sint a Goerenzio, repetii, omissis paucis, quae maiori horum librorum editioni melius conveniant. Nec tamen in iis, quae repetii, veritus sum mutare ea, quae a Goerenzio non satis Latine dicta viderentur et philologorum sermoni Latino sunt propria. In notis nihil ab eius Latinitate recessi, ut integrae eae servarentur.

M. TVLLII CICERONIS

DE

FINIBVS BONORVM

ET MALORVM

LIBER PRIMVS.

Ed. Ald. p. 49.

Non eram nescius, Brute, quum, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, ea Latinis literis mandaremus, fore, ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Nam quibusdam et iis quidem non admodum indoctis totum hoc displicet philosophari; quidam autem non id tam reprehendunt, I. 1

LIB. I. Cap. I.

§. 1. *varias reprehensiones*] Quatuor sunt, quae sibi obiectum ri fingit: *quibusdam enim totum philosophari displicere* (his respondet Cicero §. 2. *Quamquam — Hortensio.*), *quosdam nimium philosophiae studium vituperare* (his respondet §. 2. *Qui autem* usque ad fin. capitis.), *alios Graeca malle legere, contemnentes Latina* (hos refutat ab init. cap. 2. usque ad extremum caput 3.), *nonnullos hoc scribendi genus negare convenire Ciceronis dignitati* (hoc persequitur argumentum a cap. 4, 11. usque ad fin. cap).

non id tam reprehendunt] Sic duo codd. Goerenzii et septem l. v. 1. B. G. Sch. Orell. Proxime ad hos accedunt Pal. 1. et Erl. *non tam id* — Mars. Dav. prob. cens. Heidelb. *non id tum* — P. Lall. *non id tantum*, ut plerique codd. — Crat. *non id totum* — M. *id non totum* — L. *id non tam* — Rath. scribendum censet *non ita tum*. Vera est scriptura *non id tam*, non intellecta neque a scribis, neque a criticis propter verborum collocationem *id tam*. Goerenz. particulam *non* praepositam esse pu-

si remissius agatur: sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur; erunt etiam et hi quidem eruditi Graecis literis, contemnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere. Postremo aliquos futuros suspicor, qui me ad alias literas vocent: genus hoc scribendi, etsi sit elegans, per-
2 sonae tamen et dignitatis esse negent. Contra quos omnes dicendum breviter existimo: quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis re-

tat pronomini *id*, quo maior vis in negativa esset. At ex his, quae respondent huic sententiae, intelligitur, non in negativa esse vim orationis, sed in pronomine. Opponuntur enim maxime sibi haec: *quidam non id tam reprehendunt, si remissius agatur: sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur.* Quorum sensus est: quidam autem non tam totum philosophari (hoc intelligitur enim per pron. *id*, quod *hoc philosophari* substantivi neutrius generis vicem sustinet vid. Zumpt. §. 43.) displicet, quam nimium eius studium nimiaque opera; philosophandum quidem est, sed paucis, ut ait Neoptolemus apud Ennium in Cic. Tuscul. Disp. II, 1. Praeposuit igitur auctor pronomen *id*, ut oppositio verborum *sed tantum studium* fieret apertior. Si scripsisset auctor, ut nos scriberemus: *quidam autem non tam id reprehendunt, si remissius agatur, quam nimium eius studium nimiamque operam*, nemo, ut opinor, locum aut corrupisset aut male intellexisset. Videmus sibi respondere *tam — sed* pro *tam — quam* per anacoluthon. Neque igitur *tam* pro *valde*, neque elliptice positum est, neque *tantopere* significat, ut explicuit Kritz. ad Sall. Catil. 14. in. Verte locum ita: *einige aber tadeln nicht sowohl dies, wenn es etwas ruhiger betrieben wird, sondern sie meinen nur, man dürfe nicht so vielen Eifer und Mühe darauf verwenden.*

si remissius agatur] Hoc quid sit copiose explicat §. 2. a v. *Qui autem* usque ad fin cap. Cfr. Tusc. Disp. II, 1.

studium — operam] Vocab. *studium* significat acriorem animi intentionem ad aliquid indagandum, *opera* opponitur cessationi ab opere. Doctissime his de rebus disputavit Doederlein lat. Synon. Vol. I. n. 18.

personae et dignitatis] *persona* intelligitur, quam sustinuit in republica, *dignitas*, qua erat apud omnes cives [illegible]. Cfr. §. 11. a v. *Quae — esq.*

§. 2. *Quamquam*] Haec particula si ab initio enunciati ponitur non sequente particula *tamen*, est se ipsum corrigentis, quae h. l. significat: Ciceronis quidem in animo fuisse, quum reliquas accusationes refutare velit, his quoque respondere, sed, dum haec cogitet, meminisse, philosophiae vituperatoribus satis iam responsum esse a se in libro, qui inscriptus sit *Hortensius*, unde non sit necesse iterum his de rebus dicere. Venit igitur ad alteram reprehensionem. Vertenda est autem haec particula ita collocata

sponsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, quum esset accusata et vituperata ab Hortensio. Qui liber quum et tibi probatus videretur et iis, quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi, veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non potest: ut propemodum iustioribus utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam his, qui rebus infinitis modum constituant in reque eo meliore, quo maior sit, mediocrita-

jedoch. Exempla habet Goerenz. ad Cic. Acad. I, 2. p. 12. Beier. ad Lael. 9, 2.

eo libro — Hortensio] „Hoc libro de philosophiae laudibus ad excitanda eius inter Romanos studia scripto, Cicero Q. Hortensium [rhetorem Romanum celeberrimum, aequalem Ciceronis, cuius res scripsit L. C. Luzac specim. histor. iurid. de Q. Hortensio oratore. Lugd. Bat. 1810. 8. cll. Ellendt. Prolegg. ad Cic. Brut. p. CI. seq.], Q. Lutatium Catulum, [de quo vid. Ellendt. l. c. p. 55. seqq.] C. Licinium Lucullum, (Q. Lucilium) Balbum, semet ipsum et fortasse alios quosdam disputantes induxit. Hortensius autem, laudata eloquentia, universam philosophiam impugnasse, defendisse pro sua quisque parte ceteri videntur. Certe quidem Balbus, idem, credo, quem Cicero etiam in libris de Natura Deorum Stoicae disciplinae partes tueri facit, huius patrocinium suscepisse dicitur. — Sermo, qui Caesare IV. Cos. s. Coll. anno U. 709. scriptus est, quem in annum collatus fuerit, compertum non est: post Afranium autem et Metellum Coss. s. post annum U. 694. quo Catulus obiisse dicitur, habitus putari non potest.“ *Nobbe*. Praefat. ad huius libri fragmenta, quae diligentissime collegit Orell. in sua Cicer. Opp. omnium edit. Vol. IV. P. II. p. 479 — 486. Cfr. Cic. Tusc. Disp. II, 2. in.

Qui autem — iniuc. labor.] Compara cum his Tusc. II, 1.

quod semel admissum] Sic cum aliq. codd. M. L. D. Seqq. — Eliens. cod. *semel iam admissum* — Multi codd. P. Cr. Grut. *semel iam missum* — *semel missum* Lall. ex aliis codd. Vera scriptura esse videtur *admissum*, quo ducit altera scriptura *semel iam missum* orta haud dubie ex antiqua orthographia *ammissum* h. e. *admissum*, et qui retinere voluit *iam* scripsit *semel iam admissum*. Nimis remissa est oratio, si legitur *iam missum*, in quo translatio sumpta est a telo, quod semel missum retrahi non potest. *Admissum* aperte ab *admisso equo* petitum est, qui immittitur in locum aut hominem et laxatis habenis ad cursum incitatur. Sic enim dicitur apud Liv. II, 19. *in Postumium Tarquinius equum infestum admisit*. Probat hanc interpretationem positam ab Ern. et Brem. auctor Addendorum ad Forcellini Thesaur. Ling.

3. tem desiderent. Sive enim ad sapientiam perveniri potest: non paranda ea nobis solum, sed fruenda etiam est; sive hoc difficile est; tamen nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris: et quaerendi defatigatio turpis est, quum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. Etenim si delectamur, quum scribimus: quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus; quis est, qui alienae modum statuat industriae? Nam ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult

Fodere aut arare aut aliquid ferre denique:

— non enim illum ab industria, sed ab illiberali

Lat. s. v. *Admittere* contra Goer., qui *admissum*, sc. in animum, studium id putat, quod quis intentius amplecti coepit. Sed non ita simpliciter apud Cicer. *admittere* pro *admittere in animum* dicitur; deinde, id quod Goer. opponit, tropus in proximis non deseritur, quod simplex haec est metaphora unius verbi, non ad totum locum pertinens.

§. 3. *paranda ea nobis solum*] Sic Gud. 1, quod recepi propter meliorem numerum; alii *non paranda nobis solum ea*.

sed fruenda etiam est] Post *etiam* sequitur in plurimis codd. *sapientia*, quae vox teste Davisio in cod. Eliens. non est, quare eiecit; secuti sunt M. L. Ern.; Orell. cum Goer. inclusit. Defendit retentam vocem Bremi per alia pleonasmi exempla. Sed est mala adiectio ad pron. *ea*, unde ego quoque eieci.

nec — et] Respondent sibi hae particulae per anacoluthon, quod primum nonnisi duas sententias requiri putamus negantes, sed deinde in mentem venit, alterum membrum orationis esse debere affirmativum. Exempla habent Ramshorn. p. 527. not. 1. et Ochsner. ad Cic. Eclog. p. 128. ed. 2. Eadem ratio in contrarium valet, ubi respondent sibi partt. *et — nec* et *que — nec*.

ut — sic] Hae particulae non solum aequalia iungunt, sed etiam oppositа, ut docet Goer., qui citat I, 20, 67. II, 31, 100. Compara Beier. ad Cic. Offic. I, 24, 82. III, 33, 119. Quod autem Goer. ad *sic* cogitari iubet *contra*, quae particula alias addatur, ut Tusc. V, 6, 16. *ut hi miseri, sic contra illi beati*, id falsum est; nam comparatio non solum parium rerum, sed etiam oppositarum potest esse. Licet autem scriptori modo addere adversativam part., modo omittere, quum nulla sit naturalis necessitas aut ponendae aut omittendae particulae.

Terentianus Chremes] Locus Terentii est in Heaut. Timor. I, 1, 17.

ferre] Rich. Bentleius scribi voluit *facere*, qua coniectura non est opus; *ferre* enim significat *pati*, *tolerare*.

labore deterret: — sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.

His igitur est difficilius satisfacere, qui se La- II.
tina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc pri- 4
mum est, in quo admirer: cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, quum iidem fabellas Latinas ad verbum de Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antio-

curiosi] Hoc in appositione pro *inhumanis* dixit, ut recte docet Goer., ne ipse inhumanitatis accusaretur. Chremes enim ab illiberali labore retinere vult vicinum, ut ne quid patiatur, quod contra dignitatem sit; vituperatores philosophiae Ciceronem a liberali eoque iucundo labore abstrahere student.

Cap. II.

§. 4. *His igitur est difficilius satisfacere*] Primus hoc loco offendit Rath., maluitque haec ad praecedentia sic accommodari, ut ante *qui* puncto maximo posito, paulo post pro *in quibus: in iis* legeretur. Nolle enim auctorem dicere, videbat, illis facilius satisfieri posse, quam Latina contemnentibus. Sed desierat auctor cum quadam indignatione, atque sic, ut tum solet, orationem abrupit. — Jam haec cum antecedentibus ita cohaerent ac si scriptum esset: *Illis satisfacere* i. e. *rationem hanc meam probare, si velint homines esse, paucis iis, quae dixi, licet: his autem difficilius; longiorem igitur res orationem desiderat. Goer.*

in quibus hoc primum est, in quo admirer] Insolentius hoc dictum putat Goer., alibi enim auctorem dicere: *in quibus — est, quod admir.*, duplicem h. l. constructionem iungi *in homine* et *in aliqua re aliquid admirari*. Mihi quidem nihil insoliti in hoc loco inesse videtur. Nam *in hac re admiror* significat *bei dieser Sache wundere ich mich*. Sic Cic. N. D. II, 48, 124. *in quo admirandum est, congressune aliquo inter se an iam inde ab ortu naturu ipsa congregatae sint. In quibus* non refertur ad homines, sed ad rem, qua de dixerat Cicero. *Admirari* de iis saepe dicitur, quorum sentiendi et agendi ratio non convenit.

nomini Romano] h. e. *Romanis*; sic *nomen Volscum* pro *Volscis* saepe apud Liv. quod docent lexica. Tres codd. Goer. *paene* post *nomini* habent, sed offenderunt scribae in vocis positu, ignorantes subiici eam solere, si sententiam mitiget. Eodem modo peccarunt in Caton. Mai. c. 14, 11. ubi optimi codd. *paene* habent post *dimetiundi*, quod unice verum esse tunc, quum Catonem ederem, non animadverti. Lego igitur nunc: *Mori videbamus in studio dimetiundi paene coeli atque terrae C. Gallum.* Similiter Quinctil. XII, 11, 10. *quum maria transire, siderumque cursus numerosque cognoscere, mundumque ipsum paene dimetiri mi ores, sed difficilieres artes potuerint.*

Ennii Medeam] Ennius poeta Rudii, urbe Calabriae, ortus natus est a. U. 513. Cos. C. Mamillo Turino et Q. Valerio Falcone. Multas Graecorum tragoedias liberius vertit Latine, quae

pam Pacuvii spernat aut reiiciat, qui se iisdem Ea-

ennes cum reliquis eius scriptis ad pauca fragmenta interierunt. Inter plures eius fabulas magno nomine est Medea, cuius fabulae argumentum hoc erat: Medea filia Aeetae regis Colchorum, Iasonem Colchos venientem hospitio excepit, eique operam praestitit in aureo vellere rapiendo. Aufugit deinde cum Iasone, a quo repudiata filios, quos ex eo procreasset, in conspectu patris iugulavit. Fragmenta huius tragoediae collegit H. Planck. Gotting. 1807. 4. Editio novissima omnium Ennii fragmentorum est: Ennii Annalium Fragm. et Naevii Punic. op. et studio E. S. (Spangenberg) Lipsiae 1825. 8. Cuius libri censura agitur in Jahn Jahrbücher für Philol. III, 4, 76. cfr. IV, 469. 1827.

Antiopam Pacuvii] Pacuvius Brundisinus fuit poeta Romanorum tragicus, Ennii ex sorore nepos. Idem plura de Graecis vertit, inter quae nobilissima fabula Antiopa, cuius argumentum hoc fuit: Antiopa Nyctaei filia fuit et uxor Lyci Thebanorum regis. Hanc quum Iupiter in satyrum mutatus compressisset, Lycus repudiavit, uxoremque Dircem superinduxit, quae Antiopam in carcerem conlecit. Verum instante partus tempore illa ruptis vinculis in Cithaeronem montem sé recepit, ubi Amphionem et Zethum peperit, qui a pastoribus inventi et educati maternae iniuriae ultores exstiterunt, Lyco cum Dirce uxore interfecto. De qua tragoedia Persius I, 77.

Sunt quos Pacuvius et verrucosa moretur
Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta.

Fragmenta collecta reperiuntur in Collect. vett. tragicor. cum notis G. I. Vossii ed. P. Scriverius Lugdun. Bat. 1620. 8. Fragmenta Dulorestis edidit Stieglitz.

spernat aut reiiciat] *spernere* est levia contemnere, *reiicere* contempta a se removere. Vide Doederlein latein. Synon. Vol. 2. p. 180. 5.

qui se iisdem] Haec est vulgata lectio, quae varie corrupta est et a librariis et a criticis. Cod. El. habet *quique* prob. Davis. Haec est correctio eius, cui offensioni erat duplex pronomen relativ. ἀσυνδέτως positum, cuius asyndeti exempla satis sunt frequentia apud Ciceronem. Cato Mai. 17, 1. *quam copiose ab eo* (Xenophonte) *agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur.* Legg I, 9, 27. *is qui appellatur vultus, qui nullo in animante.* III, 17, 38. *quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tolleret, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium.* Tusc. I, 25, 61. *Quid? illa vis, quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur.* N. D. III, 27, 70. *mens voluntasque divina — iis solis consuluit, quos bona ratione donavit, quos videmus, si modo ulli sunt, esse perpetuos.* Divin. II, 44, 92. *illi orbes, qui coelum quasi medium dividunt et aspectum nostrum definiunt, qui a Graecis ὁριζοντες nominantur.* Offic. II, 23, 81. *eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, agere iniquissimum arbitrabatur.* ex. pro Cael. 19, 44. *Amores autem et hae deliciae, quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae esse non solent.* Topic. 2, 6. *inveniendi artem, quae τοπικη dicitur, quae et ad usum potior erat et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt.* Sic Orell. locum restituit

ripidis fabulis delectari dicat, Latinas literas oderit? Synephebos ego, inquit, potius Caecilii aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? A quibus tam dissentio, ut, quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem: de quo Licinius, *ferreum scriptorem:* verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit; rudem enim esse omnino

in Analect. ad Opp. Cic. Vol. IV. P. II. p. 588. e duobus codd. S. Galli, quum ipse dedisset in contextis *quaeque ad usum* etc. Eosdem locos dedi ad Caton. l. c. Ex eadem usus Ciceroniani ignoratione ortae sunt hae varietates: *quodsi* Gud. 2. Erl. Bas. *quod se* Oxon. *s* et *ß*. Receperunt id Schuetz. et Goer., qui explicat: *eo ratione quod*. Ern. suasit *quum se*. Sed nulla opus esse vulgatae lectionis mutatione intelligitur ex exemplis modo laudatis. [Vid. R. Klotz. Quaestt. Tull. p. 41. seqq.]

Latinas literas oderit] Delevit voc. *literas* Gul. Bremi et Orell. incluserunt. — *lat. lit. oder.* om. Paris. codd. 2. Davisii. Gud. 2. et Spir. unde inclusit ea Ern.; Sch. et Goer. deleverunt. Quibus non assentior. Error inde ortus est, quod supervacua censuerunt haec verba, quae cum magna orationis vi repetunt summam sententiam *Romanos odisse suas literas*. Vide de eiusmodi corruptelarum suspicionibus ad c. 9, 29. [Cfr. Klotz. l. l.]

Synephebos Caecilii] Statius Caecilius poeta Latinus comicus ex Gallia Cisalpina oriundus. Mortuus est a. U. 586. Plurima verterat de Graecis, ut de Menandro; quod argumentum Synepheborum fuerit, nescimus, quum pauca tantum fragmenta supersint. Nos diceremus Synephebos *die Jugendgenossen*. Collegit fragmenta Caecilii H. Stephanus. Paris. 1569. 8. Cfr. Bothe Fragm. Comic. p. 125. Similiter composuit auctor hos duos scriptores in libro de opt. gen. orat. 6, 18., qui locus omnino etiam ad rem est comparandus. *Terentius* plurima convertit e Graecis.

Menandri] Menander poeta Graecus comicus Atheniensis. Natus est Ol. 109, 3. a. Chr. 342. Ab hoc omnes Latini comici plurima sua transtulerunt. Fragmenta eius collegit A. Meinecke acc. Rich. Bentleii emendatt. Berol. 1823. 8.

§. 5. *Attilii*] Attilius poeta Romanus tragicus, qui, ut ex h. l. cognoscimus, Sophoclis Electram verterat. Cfr. de eo Cic. ad Attic. XIV, 20. et Bothe Fragm. Tragic. p. 254., qui omisit fragm. fabulae, quod habet Cic. Tusc. IV, 11.

Licinius] Est fortasse C. Licinius Imbrex, cuius meminit Gell. XIII, 22. Vide Bothe Fragm. Comic. Vol. V. P. I. p. 38. Potest tamen etiam C. Licinius Calvus esse orator et poeta non contemptus; natus est a. U. 672. Diligenter de eo disputavit, eiusque fragmenta collegit A. Weichert, in Opuscul. Lips. ap. Teubner 1830. Cfr. Ellendt in Prolegg. ad Cic. Brut. p. 198. seq.

ferreum scriptorem — script. tamen] Haec ut sesquitrochaicum distraxit Davis. auctore Vossio de poetis Latinis p. 282. Ita sane si pedes numeras. Sed tum sententiam mutilam dedisset au-

pam Pacuvii spernat aut re est
tis e

omnes cum reliquis eius scrip
Inter plures eius fabulas mag
argumentum hoc erat: Mede
nem Colchos venientem hos
in aureo vellere rapiendo.
pudiata filios, quos ex
lavit. Fragmenta hui
1807. 4. Editio novi
Annalium Fragm. e
berg) Lipsiae 18
bücher für Phil.

Antiopam
rum tragicus
tit, inter
fuit: Anti ... rem ad aliu
quum Iu ... itectius igitur vu
uxorem ... atque id quidem vel o
iecit. ... rectius interpungenda fuerun
thaer ... pinor; *scriptorem tamen, ut* etc. di
qui ... cohaerent, vel alibi separatim posita
... ectae maiori vi dicantur. II. Verr. 41, 10
... *defensione, verum aliqua tamen, uti vide*

... egendum esse certissimum est. *An* quidem solus
... habet; sed idem duo Lambini referebant, ex ingeni
... a Mureto. Quam igitur part. cum Davis. pro vulg
... recte secuti sunt Ern. et Bremi: sed non tam a
... ratione sic iubente. Respondent enim sibi *an*
... pro *annon — nonne* positae, ut saepissime. *Goe*
... Excurs. de particula *an* pro *annon* posita.

... *ne in nemore*] Est hic versus initium fabulae Medea
... Ennio in Latinum conversae, qui saepe a Romanis scriptoribu
... Vid. Columna ad Ennii Fragm. p. 197. Laudat prae
... alios initium Rhetor. ad Herenn. II, 22. Cic. de Invent. I, 4
Topic. 16, 61. de Fat. 15, 35. N. D. III, 30, 75. pr. Coel.
Cfr. Planck. l. c. p. 74. Loquitur hos versus senarios nutrix Me
deae, optans, ut nunquam Argo illa navis Argonautarum aedif
cata esset, quo ne cognovisset Medea Iasonem, vectum illa ra
Colchidem. Versus hos laudat Cicero pro fabulae nomine. No
tum enim erat, hoc esse Medeae Ennii initium. Non autem sim
pliciter dicit: *an Medeam Latine conversam nihilominus legimu
quam Medeam Euripidis, Graece conscriptam*, ut magis illa
perversitatem significaret, Latinas fabulas e Graecis translatas le
gere Romanos, res autem philosophicas a Graecis petitas, Lat
nis literis illustratas nolle legere. Usitatum autem fuisse veter
bus, vocibus libri primis scripta ipsa significare pluribus exempli
ostendi ad Caton. c. 1. in. Graecos versus ex Eurip. Medea ips
lector poterit conferre. Similem nostri locum vide Acad. I, 3, 1
*Quid enim causae est, cur poetas Latinos Graecis literis erudi
legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius, Pac
vius, Attius, multi alii, qui non verba, sed vim expresseru
Graecorum poetarum — quanto magis philosophi delectabunt.*

ca anteponant iis, quae et splendide dicta sint neque sint conversa de Graecis? Nam si dicent, ab illis has res esse tractatas: ne ipsos quidem Graecos est cur tam multos legant, quam legendi sunt: quid enim est a Chrysippo praetermissum in Stoicis? legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium, multos alios, in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid? Theophrastus mediocriterne delectat, quum tractat lo-

§. 6. *et splend.* — *neque*] *et* — *neque* sibi respondent. Exempla vide ap. Beier. ad Off. I, 21, 73. III, 4, 20. ad Lael. 27, 12. Frotscher. ad Quinctil. X, 1, 2. Ochsner. p. 128. Ratio apparet ex iis, quae dixi ad 1, 3.

quam legendi sunt] Haec verba quum Ern. in insiticiis haberet, alii pro *legi possint* accepta vellent, recte Bremi et simpliciter *legi debeant* explicat, scil. si docti et esse et haberi velint. *Goer.* Sensus est: Legendi sunt plurimi Graeci scriptores, quamquam eadem de re scripserunt, si eruditus velis esse; et fit vere, ut hos legant. Mirum est itaque, eosdem nolle philosophicas res Latine scriptas nec prorsus versas de Graecis legere, quamquam idem tractent argumentum.

Chrysippo] Chrysippus Solensis Cylix natus a. Chr. 279. erat discipulus Cleanthis, Stoicorum princeps. Fragmenta eius scriptorum collegit F. N. G. Borguet de Chrysippi vita, doctrina et reliquiis. Loewen. 1822. 4.

Diogenem] Diogenes Babilonius philosophus Stoicus venit cum Carneade Academico philosopho et Critolao Peripatetico a. U. 598. Romam legatus Atheniensium. Vide Wetzel. ad Caton. Mai. 7, 7. Vocatus est Babilonius, quamquam natus est Seleuciae, ob loci vicinitatem; vide Diog. Laert. in vita Diog. Cynici.

Antipatrum] Plures fuerunt eodem nomine philosophi, saepe a VV. DD. confusi. H. l. intelligendum esse Antipatrum Sidonium, Diogenis Babilonii discipulum, Stoicum, intelligitur ex adiuncto eius magistro Diogene, quocum saepe coniungitur a Cic. v. c. de Divin. I, 3, 6. 20, 39. II, 15, 35. Vide Fabricii Bibl. Graec. III, 15. Ionsius de scriptt. Hist. philos. I, 13. p. 71.

Mnesarchum] Mnesarchus erat Panaetii auditor, Stoicus; vide Cic. de Orat. I, 11, 45. Acad. II, 22, 69. Hunc a vulgo Stoicorum aliquantum dissensisse patet ex Stobaei Eclog. physic. I. p. 60. 437.

Panaetium] Panaetius Rhodius, Stoicus, vide de Orat. I, 11, 45. Off. I, 26. praeceptor Mnesarchi, vide de Orat. l. c. Eius fragmenta scriptorum collegit G. F. v. Lynden de Panaetio. Leyden. 1802. 8. Cfr. Chardon de la Rochette Mélanges. T. I. p. 236. seq.

Posidonium] Posidonius Apumea Syriae oriundus, Rhodius tamen dici maluit, ut constat ex Strabone et Athenaeo. Panaetii discipulus; instituit Ciceronem. vide de N. D. I, 3. Att. II, 1.

Theophrastus] Est Theophrastus Eresius in insula Lesbo or-

cos ab Aristotele ante tractatos? quid? Epicurei num desistunt de eisdem, de quibus et ab Epicuro scriptum est et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Graeci leguntur a Graecis, iisdem de rebus alia ratione compositis, quid est, cur nostri a nostris non legantur?

III. 7 Quamquam si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transfer-

tus a. Ch. 892. Philosophus Peripateticus, discipulus Aristotelis; vide Cic. de Orat. 19. Eius scripta recenset Diog. Laert. V, 45.

Aristotele] Princeps philosophiae Peripateticae. Natus Stagirae in Macedonia a. Chr. 884. Athenis auditor fuit Platonis.

Epicurei] Nomen habent ab Epicuro, Gargetti prope Athenas nato a. Chr. 341. Vide Diog. Laert. X, 11. 12. Fragmenta eius plurima supersunt, quorum partim collegit I. G. Schneider. Lips. 1823. 8. I. C. Orelli Lips. 1818. 8.

Cap. III.

§. 7. *credo*] *Credo*, si mediae orationi interponitur, plerumque ironice dictum est, ut h. l. Sensus est enim: *haud dubie male mererer de meis civibus*. Cfr. Tusc. I, 22, 52. III, 17, 37. 21, 50. Plura exempla habet Kritz. ad Sall. Cat. 52, 13. Cfr. Zumpt. §. 777. ed. 5. Sic apud Graecos οἶμαι. Vide Monk. ad Eur. Alc. 363. Buttmann Gr. Gr. med. s. verb. irreg. Οἴομαι. not *. Viger. p. 270. ed. 3. Sine ironia *credo* est apud Cic. de Rep. I, 3, 6., ubi dicit quosdam copiosos et disertos se putare, quum calamitates clarissimorum virorum iniuriasque iis ab ingratis impositas civibus colligant. Exempli loco eos commemorare Miltiadem, Themistoclem, Camillum, Ahalam, Nasicam Laenatem, Opimium, Metellum, Marium, quibus adiicit: *nec vero iam mea nomine abstinent; et credo, quia nostro consilio ac periculo sese in illa vita atque otio conservatos putant, gravius etiam de nobis queruntur et amantius*. Male, profecto, illi agunt, qui in verbis *quia — amantius* ironiam inesse putaverint. Brut. 93, 320. *Nam is* (Hortensius) *post consulatum, credo quod videret, ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent, summum illud suum studium remisit*. Eodem modo *credo* non esse ironicum II. de Divin. 13, 31. supra ad §. 5. satis demonstrasse videor.

transferrem] Notandum est *transferre* hunc ex peregrina lingua scriptoris ingenium, qui, verbum de verbo vertens, nihil de suo scriptori addat. *Goer.* Ex hoc autem apparet, in verbis: *si plane — fabulas — si ad eorum cognit. div. illa ing. transf.* duplicem esse protasin, qua sententia secundaria *male, credo, mererer de meis civibus* media inter duo membra primaria interponitur, cuius simillimum exemplum est apud Cicer. in Verr. IV, 20, 43. *si emerus, quid erat, quod confirmabat, se abs te argentum esse repe-*

rem: sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab his, quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit: ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet; nec vero, ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius! Scipio vero et Rutilius multo

titurum, si tibi voluntate vendiderat. de N. D. I, 10, 25. *Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae adjunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?* [vide tamen Beier. ad Cic. Offic. T. I. p. 113.] Heindorf. ad h. l. citat nostrum et Tuscul. V, 9, 24. (vid. ad eum Kuehner.) de Graecis Aristoph. Eccles. 218. ἡδ' Ἀθηναίων πόλις, εἰ τοῦτο χρήστωρ εἶχεν, οὐκ ἂν ἐσώζετο, εἰ μή τι καινὸν ἄλλο περιεργάζετο. et quae dixerit ad Platon. Phaed. §. 33. Cfr. Cic. pro Rosc. Am. 1. et Matthiae ad eiusdem orationis c. 5, 14. Beier. ad Lael. 25, 5. Thucyd. I, 13, 1. II, 21, 1. Stallbaum. ad Plat. Euthyphr. p. 69. Buttmann. Addend. ad Plat. Menon. p. 206. Hermann. ad Eur. Bacch. 1060. ad Soph. Ant. 691. 1028. Elect. 140. Aiac. 827. Oed. Col. 89. 779. 1243. 1773. Reisig. Coniectan. in Aristoph. I, 6. Matthiae in Suebod. Miscell. critt. I, 4. p. 676.

sed id neque feci adhuc] Crederes hinc, non verum esse, Ciceronem Platonis Protagoram [vid. Orell. Opp. Cic. Vol. IV. P. II. p. 477.] pressius vertisse. Nam in Oeconomico et Timaeo liberius versatus est, ut eorum fragmenta docent. *Goer.*

Afranius] Poeta Latinus comicus. Floruit Terentii et Caecilii temporibus, ut scribit Vell. Pat. I, 17. vel certe paullo post. Cfr. Cic. in Brut. 45. Hor. Ep. II, 1, 57. *dicitur Afrani toga convenisse Menandro* h. e. dicitur Afranius in togatis fabulis imitatus Menandrum, quod ipsum significat Cicero nostro loco. Fragmenta apud Grammaticos dispersa reperiuntur.

Lucilius] Est Ennius Lucilius Suessanus Aurunculus, eques Rom. avunculus P. Magni, natus a. U. 566.; sub Scipione Africano bello Numantino eques meruit et Neapoli obiit. Scripsit Satyras, ad quas pertinet hic locus, Epodos, Hymnos et Comoediam. Fragmenta addita sunt editioni Persii Bipontin. Cfr. L. I. Ch. Reuvens Collect. litter. Leyden. 1815. 8. Vid. Spalding. ad Quinctil. X, 1, 94. Cfr. Cic. de Orat. II, 6.

omnes] Lucilius, ut mox legimus, scribere se dixerat Tarentinis, Consentinis, Siculis, quod doctorum hominum iudicia de suis scriptis reformidabat. Hos autem nominasse videtur, quod non admodum docti essent. Cfr. Cic. de Orat. II, 6, 25.

Utinam esset] h. e. *utinam viveret.* De hac verbi *esse* significatione haec notavi ad Caton. 7, 2. Interpretatio est Plaut. Pseud. I, 3, 8. *mortuus est, qui fuit; qui est, vivus est.* Sic Graeci utuntur verbo εἶναι. vid. Zeune ad Viger. p. 367. not. 21.

Persius] C. Persius intelligitur, orator doctissimus, qui temporibus Graechanis floruit. Vid. Cic. Brut. 26. de Orat. II, 6, 25. F. Douza Fragm. Lucil. p. 13.

ille iudicium reformidans, Consentinis et Siculis scribere. sicut alias: sed neque tam doad quorum iudicium elaboraret, scripta leviora, ut urbanitas summa doctrina mediocris. Ego autem quem lectorem, quum ad te ne Graecis quidem in philosophia audeam scribere? quama te ipso id quidem facio provocatus grami libro, quem ad me de Virtute misisti. Sed ex eo credo quibusdam usuvenire, ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quaedam et horrida, de male Graecis Latine scripta deterius: quibus ego assentior, dummodo de eisdem rebus ne Graecos quidem legendos putent. Res vero bonas, verbis electis, graviter ornateque dictas quis non legat? nisi qui se plane
9 Graecum dici velit: ut a Scaevola praetore est sa-

Scipio] Est P. Cornelius Scipio Africanus gravis orator. Natus est, ut probabiliter coniicitur a. U. 572. Vid. Ellendt. ad Cic. Brut. Prolegg. p. 25.

Rutilius] P. Rutilius Sp. F. Sp. N. Rufus patre praetorio natus. Quaesturam gessit Asianam sub Q. Mucio propraetore a. U. 633. Vid. Ellendt. l. c. p. 50.

§. 8. *ad te*] *Brute.* Vid. de Bruto Ellendt. l. c. p. 127. seq.

usu venire] tres codd. Goer., ut in Addend. ad h. l. dicit, habent *venire usu.* Vid. ad V, 2, 4.

male Graecis] Sic edit. princ. Mogunt. Ern. Goer. qui recte hanc defendit scripturam contra alteram *malis* ex opposito *Latine deterius*. *Scripta* pro *versa* positum sic excusari potest, ut auctorem liberius versa cogitasse putes.

deterius] Tacite ad Amafanium et Rabirium respexisse vix posse dubium esse putat Goer., si conferas Acad. I, 2, 5. ubi eadem de re loquens Cicero hos nominat. Idem factum esse censet Goer. Tusc. I, 3, 6. II, 3, 7. ad quem locum vide Kuehner. Erat Amafanius malus auctor Latinus de philosophia. Physica Epicurea scripsit. Vid. Cic. ad Fam. XV, 19. Tusc. IV, 3, 6. *Rabirium* alias non commemorat Cicero.

§. 9. *ut a Scaevola praetore est salutatus Albucius*] Eluenda huic loco macula fuit, quae nimium diu eum insederat *praetore* pro vulg. *praetor* reponendo. Certum enim est, Albucium nunquam Athenis praetorem fuisse, sed Scaevolam. Intellexit id iam Davis., qui sic edidit et ante hunc Pigh. ad. ann. 632. in fast. Consular. ac Bayle Dict. Phil. v. *Albucius* q. v. idemque ex loco Luciliano oculis ipsum se ingerit. Scribae vel inde se decipi passi

lutatus Athenis Albucius: quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius: apud quem praeclare Scaevola:

sunt, quod appositioni verbum subst. interiicitur. Quod licet haud ita raro exemplo fiat, tamen *est* [quod in codd. et editt. est ante *praetore*] h. l. abesse malim, ut haec vv. ad illa *Graecum dici velit* proxime aptentur; quippe quae ipsa aperte Lucilianis *Graecum te — Mal. dic.*, accommodata esse videas. *Goer.* Mihi causa potius haec videtur. Scriptum fuerat haud dubie per compendium *praetor ē salutatus* h. e. *praetor est salutatus.* Scriba, qui chronologiam non curabat, scripsit una serie *praetore*, ubi *est* abiit in literam finalem v. *praetore*, et qui verb. subst. ita obliteratum quaerebant, scripserunt *est praetore salut.* Quare non dubitavi ita scribere, ut in contextis dedi, praesertim quum *est* sic incommodo sane loco vitetur. — Erat autem hoc tempore adolescens Albucius, de quo Cic. in Brut. c. 35. Eundem in orat. de provinc. cons. c. 7. Graecum hominem, non quod in Graecia natus, sed quod Athenis educatus, Cicero appellat. Ex h. l. apparet, praetorem non Albucium, sed Scaevolam fuisse: quum Albucius et adolescens Athenis et propraetor in Sardinia, non in Achaia fuerit; Scaevola autem hic praetor sit appellatus, cum dixerit Cicero, *A Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius.* Nec dubito, quin praetor Scaevola et a Cicerone et a Lucilio appelletur, non quod praeturam gerens in provinciam exierit, quod antea saepe factum erat bellis urgentibus, sed quod propraetor Achaiam regeret. Itaque et Cicero propraetorem Quintum fratrem suum vocat, qui tamen praetura iam in urbe functus, Asiam propraetor administrabat. Idem Scaevola l. I. de Or. 17, *cum*, inquit, *ego praetor Rhodum venissem.* Hic est enim Q. Mucius Augur, gener C. Laelii, socer L. Crassi Oratoris, accusatus postea repetundarum ab hoc Albucio, ut legitur in Bruto c. 36. Quam accusationem spectavit Lucilius poeta in illo versu *Hinc hostis* etc. *Manut.* Cfr. de *Scaevola* intppr. ad Lael. 1. Orat. I, 45.

Albucius] T. Albucius adolescens fuit, perfectus Epicureus evasit, orationes reliquit scripsitque satyras Luciliano stilo. De eius Graecos imitandi studio vide Cic. Brut. 35. Mueller. ad Cic. de Or. III, 43, 171. et Wyttenbach. Select. Schol. in Cic. N. D. I, 33. p. 737. Creuz.

quem quidem locum cum multa ven. et omni sale idem Lucilius] Sic plerique codd. At quaerunt VV. DD. verbum ad *Lucilius*, quod adiectum est in uno cod. Ursin. *ridet.* P. Marsus dedit *risit.* Sed quum *ridet locum* non satis apte positum videretur, scripsit haud dubie scriba codicis Ursini *iocum*, ut habet cod. Scaligeri. Saepe autem videmus confundi in MSS. *iocum* et *locum.* Sed *locus* pro *argumento*, *Gegenstand*, *Stelle* saepe est apud Cicer. Vid. Ochsner. p. 46. 208. Beier. ad Lael. 13, 3. Off. I, 14, 44. Matthiae Miscell. philol. II, 1. p. 95. *Ridet* autem vel *risit* ne recte quidem suppletum est a scribis et criticis; nam hoc certe loco irrisionem non video. Postulatur verbum, quod significat *tractare*, *behandeln* v. c. *persequitur*, *perstringit* ut Lael. c. 13, 3. *quem locum breuiter perstrinxi paullo ante.* Sed talia omit-

Graecum te, Albuci, quam Romanum atqu
Sabinum,
Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum signi-
ferumque,
Maluisti dici. Graece ergo praetor Athe-
nis,
Id quod maluisti, te, quum ad me accedi
saluto:
Χαῖρε inquam Tite: lictores, turma omni
cohorsque
Χαῖρε Tite. Hinc hostis mi Albucius, hinc
inimicus.

10 Sed iure Mucius. Ego autem satis mirari non
p. 51. queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum re-
rum fastidium. Non est omnino hic docendi locus:

ti solent frequenter a Cicerone. Vid. August Grotefend ausführliche Latein. Grammatik. Hannover. 1830. §. 493., quem ubi cl. tavero, semper est intelligendus.

cum multa venustate] Matthiaeo suspiciosum est *cum*, sed recte defendit praepos. Goer. his exemplis: IV. Tusc. 6, 13. *si cum ratione fiet.* I. de Or. 31, 142. *agere cum dignitate et venustate. Cum* addita significat: *ita ut multa venustas cum eo coniuncta sit.* Vid. Matthiae ad or. pr. Muren. I, 2. p. 186. Beier. ad Offic. I, 13, 40. Ochsner. p. 9.

Ponti] Intelligendus est haud dubie T. Pontius Centurio, quem commemorat Cicero in Caton. Mai. 10, 5. Est igitur *Ponti* pro *Pontii*, de qua decurtata genitivi forma, quae ab Ennii aetate usque ad Propertii tempus unice valebat in subst. 2. declin. in *ius* et *ium* exeuntibus vide me ad Caton. 1, 1.

Tritanni] *Tritannus* commemoratur a Plin. H. N. VII. §. 19 *Eximiis viribus Tritannum in gladiatorio ludo Samnitium armaturae celebrem filiumque eius militem Magni Pompeii et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos.* Vide et Solin. Polyh. p. 7. ed. Salmas. *Davis.*

accedi',] pro *accedis* abiecta litera *s* vid. Cic. Orat. 48, 161. Ochsner. p. 218. 312. sic mox *omni* pro *omnis*.

lictores — cohorsque] scil. *clamant.*

hostis — inimicus] *hostis* est apertus, *inimicus* privatus.

§. 10. *Ego autem satis mirari non queo*] Sic codd. viginti. I. M. L. D. l. — *mirari* [*satis*] Br. sine uncis Sch. 2. — om. *satis* Cdd. multi P. Cr. V. G. Omissum est eo, quod *non queo* pro *nequeo* positum insolentius videbatur et ad *non queo* malebant *mirari*, ut affirmatio magis pateret. Sed *satis mirari non queo* dicitur ut nostrum *ich kann mich nicht genug wundern*, vix credibile videtur, tantum Romanos suas odisse literas.

sed ita sentio, et saepe disserui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse quam Graecam. Quando enim nobis, vel dicam aut oratoribus bonis aut poetis, postea quidem quam fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copiosae vel elegantis ornatus defuit?

IV. Ego vero, quoniam forensibus operis, laboribus, periculis, non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a populo Romano locatus sum, debeo profecto, quamtumcumque possim, in eo quo-

ut vulgo putarent] Recte Ern. vulgatum reposuit, quod Davis. in *putant* mutarat, imperf. docens a *diserui* pendere. Cfr. Ramshorn. p. 621. et Kuehner. ad Tuscul. I, 1. pr.

locupletiorem etiam] Sic Cic. saepius: sed, ut in re parum vera accidit, non sibi constitit. Cfr. II. Tusc. 15, 35. *Haec duo Graeci illi, quorum copiosior est lingua, quam nostra, uno nomine appellant.* Cfr. infra III, 15, 51. cl. ibid. 2, 5. *Goer.*

Quando enim nobis, vel dicam aut orat.] Sic Victorius; optime, saepissime hoc *vel dicam* (potius) et a libraris et a criticis, praesertim L., corruptum est. — *vel nobis dicam* codd. noti. Editt. praeter L. D. Lall., qui de coniectura *ne nobis dicam*. *Orell.* Sic Cic. Phil. II, 12, 30. *Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite.* Brut. 57, 207. *sed mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam, minime displicebat.* Ex his locis apparet formulam *vel dicam* sequentibus agglutinari, unde recte Orell. *vel dicam orat.* *Dicam* Futurum tempus est, non Praes. Coniunct. omisso *ut*, ut male putat Bremi.

Cap. IV.

mihi videor] Ern. de coniectura scripsit *videar* ut olim Clericus suaserat, intelligentes quippe *quum* particulam causalem, *da*, non posse cum indicativo modo coniungi. Orellius vitium retinuit, probans fortasse Goerenzii notam: „perperam [*videor*]. Non enim ad *mihi* attenderunt: sic coniunct. haud bene sibi conscientis foret. Recte autem vidit Bremi, *quum* h. l. ea relatione poni, ut, ante *debeo*, *tum* cogitandum sit. Sic ordine etiam inverso I. Orat. 30, 135. *rationem consuetudinis meae, qua quondam solitus sum uti, quum mihi in isto studio versari adolescenti licebat.* In *quondam*, *tum* latet.“ Recte explicuit hunc locum, modo ne cum nostro comparasset, in quo *quum* est particula causalis, quum in altero sit temporalis. Totam autem enunciationem esse h. l. causalem quisque intelligere debet. Iam quum part. *quum* cum indicativo nusquam apud Ciceronem tali in nexu coniungatur, emendatione opus est, quae facilis est, si scribitur *quoniam; quum* enim et *quando* et *quoniam* uno compendio in codd. scribuntur *qm̃* vel *qñ*. Primus hanc emendandi viam ingressus est Ernesti in Praefat. ad Cicer. Vol. I. p. VI., qui in eo erravit, quod interdum illud *quum* corrigeret in *quando* vitium vitio expellens. Nam *quando* pro *siquidem* vel

que elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei: nec cum istis tantopere pugnare, qui Graeca legere malint, modo legant ipsa, nec simulent: et iis servire, qui vel utrisque literis uti velint, vel, si suas habent, illas non magnopere desiderent.

quoniam nusquam apud Ciceronem reperitur; loci, qui reperiuntur, sunt corrupti et ex codd. emendandi per part. *quoniam*. Scribendum est igitur ubique pro *quando* vel *quum* causal. part., vel cum indicat. *quoniam*, quod fecit Orell. ubique in edit. Epistol. ad Fam., quae scatebant usque ad hoc tempus eo vitio, et ita correcti sunt omnes loci, quos attulit Ramshorn. p. 612. not. h. Simile vitium tollendum infra V, 20, 57. *quum satiari non possunt*, scribe: *quoniam satiari non possunt*. 23, 67. lege pro *quando*, *quoniam* ut habent aliqui codd.; idem faciendum ibid. paullo post. Plura hac de exposuit Wunder. in Praefat. ad Varr. Lectt. e cod. Erfurt. ad Cic. p. 96. seqq. et ego ad Caton Mai. c. 19, 9. Sed, ut quod vere sentio, profitear, miratus sum, cur ferant critici *quandoquidem* pro *siquidem* apud Ciceronem. Nam si *quando* pro *siquidem* vel *quoniam* poni posse ap. Cicer. negent, sequitur, ut, si nobis constare volumus, scribamus etiam *quoniamquidem*, quod ex simili oritur compendio *qm quidem*, et ita ap. Cic. de Legg. III, 1, 1. in duobus codd. Gud. scriptum est. Cfr. XII. ad Attic. ep. 6. *Librum, si me amas, mitte, tuus est enim, quoniamquidem est missus a te.* Parad. V, 3, 41. Orell. e pluribus codd. dedit *quoniamquidem*; quum in multis sit *quandoquidem*. Emenda de Orat. III, 14, 54. Act. in Verr. III, 80, 187. formula legis affertur, non Ciceronis, ut ibid. paullo post *quandoquidem* Cicero posuit, ut imitaretur illam formulam.

operis, *laboribus*] Haec verba quomodo differant docte enucleavit Doederlein latein. Synon. Th. 1. p. 115. seqq.

elaborare] *laborare* codd. multi et editt. vett. Sed ubique fere haec verba commutantur. Recte scribitur *elaborare*, quod est laborem in aliqua re exhaurire, laborare usque ad finem, efficere aliquid labore, non frustra laborare. Etenim e praepositio in compositis significat emersionem ex illa re, quam verbum simplex exprimit. *Laborare* simpliciter est laborem in aliqua re collocare, quod etiam frustra fieri potest. Sic docuit Beier. ad Cic. Offic. I, 1, 8. Cfr. Doederlein l. c. II. p. 116. not. *). Hanc veram esse differentiam optime docet Cic. locus in Epp. ad Fam I, 9, 36. *Ut Apelles Veneris caput et summa pectoris politissima arte perfecit* (i. e. *elaboravit*, quod mox huic loco respondet), *reliquam partem corporis inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solum elaborarunt: reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt.* Plura dedi ad Caton. 7, 9.

modo legant ipsa] Sic cod. Spir. optimus. Duo codd. Goer. P. Cr. Orell. *ipsa illa — illa ipsa* V. M. L. D. 1. Sch. — *ea ipsa* bini Oxx. et unus Goer. Ex hac ipsa varietate apparet, adiectum esse a scriba aliquo aut critico illud supplementum *illa* vel *ea*. Sed pluribus exemplis ostendit Goer. *ipse* sic simpliciter a Cicerone pro *is ipse* vel *ille ipse* positum esse. Cic. de Legg

Qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi 11
esse debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e nostris; et scribentur fortasse plura, si vita suppetet: et tamen qui diligenter haec, quae de philosophia literis mandamus, legere assueverit, iudicabit nulla ad legendum his esse potiora: quid est enim in vita tantopere quaerendum, quam quum omnia in philosophia, tum id, quod his libris quaeritur, quid sit finis, quid extremum,

II, 5, 12. *Lege autem carens civitas, anne ob ipsum habenda nullo loco?* primus *id ipsum* posuit Lamb. incertum an ex codd. Secuti sunt posteriores critici. 14, 34. *Reddam vero et ipsa, si potero brevi. ipsa* om. prima edit. aliqua Lipsiens. expressa ex Ascens. 1. Fin. I, 5, 13. *ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari.* II, 28, 93. *Iam ipsum absurdum, maximum malum negligi. Istud* Davis. suspicatus est, *id ipsum* Ern. Ad h. l. citat idem Goer. Orat. 39, 134. *ex ipsis, quae supra dicta sunt, intelligetur.* Off. III, 1, 3. *excerpere ex ipsis, si quid inesset boni*, sic cod. opt. Bernens. probatum e tribus Goer. codd. Fin. I, 15, 14. *nec ipsa, quae laudatur industria.* Ad II. de Legg. 14, 34. citat idem de Divin. II, 58, 119. *Contrahi autem animum Zeno et quasi labi putat atque concidere, et ipsum esse dormire. Et id ipsum* scripserunt Sch. Nobbe et Moser. quod reiecit Giese provocans ad Hand. ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 391. Praeterea laudat ad nostrum locum infra II, 26, 82. *mihi enim satis est, ipsis non satis;* sed h. l. ad nostrum non pertinet; nam non est *iis ipsis*, sed simpliciter *ipsis*, relatum ad eos, de quibus dixerat. I. de Or. 7, 28. *quae mihi videtur non tam ipsa aquila, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse;* hunc locum laudat ad II. Fin. 28, 93. sed ne opus quidem est *ea ipsa*, refertur enim simpliciter ad *relativum*. Grammatici hanc rem praeter Ramshorn., qui p. 351. leviter eam tetigit, praetermiserunt, ut omnino negligentes sunt in usu pronominum explicando. Rationem si quaeris, facilis est ad inveniendum. *Ipse* absolute ibi ponendum, ubi refertur ad id, quod antea dictum erat. *Ille ipse* vel *is ipse* tum, quum respondere debet nostro *gerade*, v. c. *ea ipsa laudasti, quae vehementer cupio, gerade das hast du gelobt, was ich recht sehr wünsche.* Vid. Zumpt. §. 695. ed. 5. Ex hac norma diiudicanda censeo dubia exempla. Differt autem *ipse* sic absolute positum a pron. dem. *is* eo, ut *ipse* ibi ponatur, ubi de eadem re in iis, quae praecedunt, sermo fuit; *is* autem, ubi novum aliquid affertur.

§. 11. *sic ut plura nemini*] Haud dubie dictum est pro *a nemine* scil. *scripta sint.* Vide Excurs. de Dat. c. Verbis Pass. pro *Ablat.* cum praep. *a.* — Subeat forte mirari, cur non Varronem exceperit, quem et ipse πολυγραφώτατον appellat XIII. ad Att. ep. 18. et de quo constat, ut Chrysippum inter Graecos, ita hunc in Latinis omnes librorum editorum multitudine superasse. Sed multa Varro posterius edidit, in quibus tum maxime amplum illud de Latina lingua opus elaborabat. *Goer.*

extremum — ultimum] *extremum bonum* est id. q. supremum,

quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? quid sequatur natura, ut summum ex rebus expetendis? quid fugiat, ut extremum malorum? Qua de re quum sit inter doctissimos summa dissensio, quis alienum putet eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuit, quod in omni munere vitae optimum et ve-
12 rissimum sit exquirere? An *partus ancillae sitne in fructu habendus* disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam, M' Manilium? ab hisque M. Brutus dissentiet, quod et acutum genus est

summum bonum, quo nullum maius potest reperiri; *ultimum* quod quum inventum sit, nihil ultra sit quaerendum.

quo] pendet ex *quid ultimum*. Haec disputatio incipit a cap. 9.

alienum — dignitatis] Rara haec est apud Cicer. constructio pro vulgata *alienum a dignitate*. Vid. Zumpt. §. 467. not. *Alienus* autem cum genitivo construi potest propterea, quod sensu idem est quod *non particeps*, veluti *alienum est dignitatis meae* significat: *non particeps hoc est dignitatis meae, non tale est, quod particeps possit esse dignitatis meae* i. e. *dignitati meae non convenit*, *οὐ πρέπει μοι*. Exempla Ciceronis, in quibus *alienus* cum genit. construitur, haec sunt: Acad. I, 11, 42. *omnia, quae essent aliena formae et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat*. N. D. II, 30, 77. *ignoratio rerum aliena naturae deorum est*, sed potest hic etiam *dativus* esse *naturae* ut Cic. pr. Caecin. 9. *id dicit, quod illi causae maxime est alienum*. Tim. 7. *naturam illam — vi cum eadem coniunxit, fugientem et eius copulationis alienam*. Aliorum scriptorum hos locos notavi: Lucret. VI, 68. 1063. Propert. I, 8, 18. Val. Max. II, 5, 6. Columell. III, 21. Sall. Catil. 40, 5.

§. 12. *partus ancillae sitne in fructu habendus*] Hoc ponit tanquam exemplum, ut ostendat, de levioribus rebus disputari, res gravissimas negligi. — Cum ex iure Romano *servi* non personarum iure fruerentur, sed rebus possessionis adcenserentur: inde teste Ulpiano VII. Digestt. t. I. leg. 68. *Vetus fuit quaestio, an partus ad fructuarium* (ius) *pertineret? Sed vicit Bruti sententia, fructuarium in eo locum non habere*. Intelligitur autem M. Iunius Brutus Ictus, qui VII. libros de iure civili scripsisse vulgo dicitur, quorum tamen Cicero II. Orat. 55, 222. *tres* modo numerat. *Goer.* Cfr. Iustinian. Instt. II. t. I. l. 37.

P. Scaevolam] Est P. Mucius Scaevola, de quo vid. Ernest. Clav. Cic. s. v. *P. Mucius*.

M' Manilium] Est iuris consultus, de quo vide Ernest. Clav. Cic. Cfr. Brut. 27. Acad. II, 32.

quae vitam continent omnem] h. e. in quibus vitae salus versatur. Sic *continere* est in or. pro Rosc. Am. 12, 34. *quae res totum iudicium contineat*. ubi vid. Matth. Plura habet Giese ad de Divin. I, 51, 117.

et ad usus civium non inutile: nosque ea scripta reliquaque eiusdem generis et legimus libenter et legemus: haec, quae vitam continent omnem, negligentur? Nam, ut sint illa vendibiliora, haec uberiora certe sunt: quamquam id quidem licebit iis existimare, qui legerint. Nos autem hanc omnem quaestionem de finibus bonorum et malorum fere a nobis explicatam esse his literis arbitramur, in quibus, quantum potuimus, non modo quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, perseeuti sumus.

Ut autem a facillimis ordiamur, prima veniat V.
in medium Epicuri ratio, quae plerisque notissi- 13
ma est: quam a nobis sic intelliges expositam, ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari: verum enim invenire volumus, non tamquam adversarium aliquem convincere. Accurate autem quondam a L. Torquato, homine omni doctrina erudito, defensa est

existimare] h. l. est *diiudicare*. Sic ap. Cic. pro Rosc. Am. 13, 35. *Tres sunt res, quantum ego existimare possum* etc. Agrar. II, 12. *tantummodo, si quis ea potestate temere est usus, existimamus.* Legg. I, 2. *De scriptoribus, qui nondum ediderunt, existimare non possumus.* ad Fam. I, 5. *quorum utrum minus velim, non facile possum existimare.*

his literis] Vocem *literis* mutare voluit L. in *libris* et sic habent quatuor codd. I. prob. Cens. Lambinum secuti sunt Lall. et Rath. Sed *literis* et *libris* facile permutantur, si scribitur libris, ut lb et le similis sint. Assentitur *libris* legentibus Orell. in Addend. ad h. l. p. 220. provocans ad Tuscul. III. §. 6. ubi de libro suo agit auctor, qui Hortensius inscribitur. Sed recte *literis* retinetur, quod significat *die Schrift*, cuius verbi significationis exempla habet Giese ad Cic. de Divin. II, 2, 5. p. 214. ubi item alii *libris* habent. Locus est hic: *Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia literis non egerent.* Cfr. de Orat. I, 43, 192. *Omnia sunt enim posita ante oculos — neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur.* Unum tantum librum de philosophia composuit Cicero in Hortensio.

Cap. V.

§. 13. *Epicuri ratio*] i. q. §. 14. Epicuri sententia.

L. Torquato] L. Torquatus, Epicureus, unde in hoc libro disputans inducitur cum Cicerone et Triario, quocum coniungitur Brut. 76. Praetor fuit a.U. 704. Non tam rhetor, quam πολιτικός; in eo

Epicuri sententia de voluptate; a meque ei responsum, quum C. Triarius in primis gravis et
14 doctus adolescens ei disputationi interesset. Nam quum ad me in Cumanum salutandi causa uterque venisset, pauca primo inter nos de literis, quarum summum erat in utroque studium; deinde Torquatus: quoniam nacti te, inquit, sumus aliquando otiosum, certe audiam, quid sit, quod Epicurum nostrum, non tu quidem oderis, ut fere faciunt, qui ab eo dissentiunt, sed certe non probes, eum, quem ego arbitror unum vidisse verum maximisque erroribus animos hominum libe-
p. 62. ravisse et omnia tradidisse, quae pertinerent ad bene beateque vivendum: sed existimo, te, sicut nostrum Triarium, minus ab eo delectari, quod ista Platonis, Aristotelis, Theophrasti orationis or-

literae interiores et reconditae, divina memoria. Interiit bello civili (vid auct. Bell. Afric. 96.) praetorius a. U. 705.

C. Triarius] C. Valerius Triarius bello civili classis praefectus erat Pompeii (Caes. B. C. III, 5.). Tribunus plebis fuerat a. 703. Non esse autem eundem Triarium, qui Scaurum accusaverit, ostendit Heinrich. ad Fragm. or. pr. Scaur. ed. Beier. p. 122. b. Sed id verum est, fuisse eum Triarium, cuius liberorum tutor fuerit post eius obitum Cicero. Vid. ad Att. XII, 28.

§. 14. *Cumanum*] Erat praedium Varronis. Cic. Acad. I, 1.

salutandi causa] Intelligenda est salutatio vespertina, de qua vide Gell. N. A. IV, 1. Intpp. ad Suet. Aug. 27. ad Martial. IV, 8.

maximis erroribus an. h. lib.] cfr. c. 13, 42.

quae pertinerent] Sic L. Ern. Br. Goer. Sch. Or. — Codd. P. Cr. V. M. D. Lall. *pertinent*. Male. Pendet a *tradidisse* ut §. 10.

orationis ornamenta] Sic plurimi codd. — *ornamenta orationis* cod. Bas. Mars. Orell. Sed nulla causa est, cur plurimorum codd. lectionem contemnamus, quum hoc non minus verum sit, quam illud *ornam. orat.* Pendent duo genitivi ab uno nomine, sed diversa vi relati. Genit. *orationis* regitur ab *ornamenta* et *Theophrasti* etc. pendet ex *orationis*. Exempla collegit Matth. ad or. I. in Catil. 5, 12. Beier. ad Offic. I, 14, 43. Dronke ad Tacit. de Orat. 34, 4. p. 209. Frotscher. ad Xenoph. Hier. I, 10. (nam etiam Graeci ita solent. Vide Matthiae Gr. Gr. max. §. 380. not. 1. p. 699. ed. II.) Drakenborch. ad Liv. XXV, 15. Rectum nomen regenti praeponitur, quod non minus crebro fit. Plura eiusmodi critici, parum circumspecti, mutaverunt sine ulla codd. auctoritate, ut Tusc. IV, 17, 40. *fratris consulatus repulsam*. Cfr. III, 18, 39. *habes formam Epicuri vitae beatae*. Ep. ad Div. I, 1. *Quae res auget suspicionem Pompeii voluntatis*.

namenta neglexerit. Nam illuc quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur. Vide quantum, inquam, fallare, Torquate. Oratio me istius philosophi non offendit; nam et complectitur verbis, quod vult, et dicit plane, quod intelligam: et tamen a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner; si non habeat, non admodum flagitem. Re mihi non aeque satisfacit, et quidem locis pluribus. Sed quot homines, tot sententiae; falli igitur pos-

illuc quidem adduci vix possum, ut — videantur] Decurtatam hanc esse dicendi formam pro *illuc quidem adduci vix possum, ut ea tibi non vera videri credam* dicit Goerenz. Assentiuntur Ramshorn. p. 687. extr. Wopkens Lectt. Tull. p. 244. (ed. Frotscher. p. 136.) et Krueger in libro praestantissimo über die Attraktion der latein. Sprache. p. 460., qui hanc attractionem vocat, quod enunciatio secundaria attracta sit ab enunciato primario per omissum verbum sentiendi, quale sit *credere;* pendere enim *ut* ab hoc verbo cogitatione addendo, ut ap. Cic. de Legg. II, 3. *ut iam videar adduci, hanc quoque — esse patriam tuam,* ubi item omissum sit verbum, quale sit *credo* pro *ut videar adduci ut credam — hanc — esse patriam tuam.* Adversatur tacitus huic sententiae Eduard. Wunder in censura Cic. or. pro Sext. ed. Mueller. (quae reperitur in Jahn Jahrbücher für Philol. V, 2. p. 158.) Is enim, quum commentationem ibi scribere coepisset de particula *ut* post verba sensuum posita, negassetque usquam *ut* pro *Acc. c. Inf.* post verba aut formulas sentiendi poni, quum in omnibus his exemplis *ut* adverbium esset, nostrum *wie*, h. e. *qua ratione*, eodem in numero habet nostrum locum, quem explicat: *vix adduci possum ad suspicandum*, idque simili exemplo probare studet ex orat. de provinc. cons. 16, 39. *Nam ut C. Iulius omnibus a senatu eximiis ac novis rebus ornatus per manus hanc provinciam tradat ei, cui minime vos velitis — adduci ad suspicandum nullo modo possum;* quod vertit: *ich kann mir nicht denken, wie.* Sed hoc quasi ponte ut veniamus ad id, quod assequi volumus, ne opus quidem est. Nam *adduci* significat ipsum, si ad animum transfertur, *adduci ad opinionem* et fere idem est, si dicimus *non adducor ut hoc verum sit*, ac si dicamus *non persuadetur mihi, non verisimile, credibile mihi reddi potest, quomodo hoc verum esse possit*, ut h. l. sensus est: *vix credibile mihi est, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur: mir ist es kaum glaublich, ich kann mich kaum davon überzeugen, wie dir das, was jener gedacht hat, nicht wahr scheinen könne. Ut* igitur h. l. adverbium est, neque ulla artificiosa interpretatione opus est. Eadem res est, si *adduci* cum Acc. c. Inf. coniungitur, ut Cic. de Legg. I, 3, 6. *ut iam videar adduci, hanc quoque, quae te procrearit, esse patriam tuam.* Hic prorsus idem est atque *persuaderi*, unde acc. c. inf. ponitur. Igitur, ut sensus postulat, verbum *adduci* et cum *ut* potest coniungi et c. *acc. c. inf.* Sicut est infra IV, 19, 55. *ipsa veritas clamabat*

sumus. Quamobrem tandem, inquit, non satisfa-
cit? te enim iudicem aequum puto: modo, quae
16 dicat ille, bene noris. Nisi mihi Phaedrum, in-
quam, mentitum aut Zenonem putas, (quorum
utrumque audivi, quum mihi nihil sane praeter
sedulitatem probarent,) omnes mihi Epicuri sen-
tentiae satis notae sunt: atque eos, quos nominavi,
cum Attico nostro frequenter audivi; quum mira-
retur ille quidem utrumque, Phaedrum autem
etiam amaret: quotidieque inter nos ea, quae au-
diebamus, conferebamus: neque erat umquam con-
troversia, quid ego intelligerem, sed quid pro-
barem.

VI. Quid igitur est, inquit? audire enim cupio,
17 quid non probes. Principio, inquam, in physicis,
quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus.

quodammodo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset. Acc. c. Inf. reperitur praeter loc. ex lib. de Legg. citat. XII. ad Att. 16. *Sed ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo.* Curt. X, 2, 19. *Non hercle potest fieri, ut adducar, querendi simul omnibus hanc causam esse, quam ostenditis.* Quid? quod verbum *tangor* eadem ratione c. *acc. c. inf.* construitur apud Ovid. Fastor. V, 73. *Hinc sua maiores posuisse vocabula Maio tangor* h. e. *persuadetur mihi, hinc sua maiores nostros vocabula imposuisse Maio.*

§. 16. *Nisi*] h. l. ironice positum est pro: *vix putare potes, mihi Phaedrum aut Zenonem mentitum fuisse.* Sic II. Catil. 10, 23. *nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt.* vid. Matth. ad Cic. or. pro Rosc. Am. 29, 82.

Phaedrum — Zenonem] Phaedrum et Zenonem Epicureorum celeberrimos fuisse eiusque philosophorum familiae tum principes, multa vel horum librorum loca testantur. Hunc Cicero puer Romae, hunc iuvenis Athenis audierat. Cfr. XIII. Div. ep. I. et III. Tusc. 17, 38. *Goer.* Compara Kuehner. de Cicer. in philosoph. meritis p. 39. adnot. 7.

Quum] est *licet*. Sedulitas deinde est omnino assiduitas in altero commendando, hoc autem loco magistri studium notat, quo discentis opera omni modo adiuvatur. De hac voce Lexica parum accurate praecipiunt. Meliora quaedam notavit Menken. Animadvv. h. v. *Goer.*

Cap. VI.

§. 17. *inquit*] *Torquatus.*

primum] Recte vindicarunt haec Bremi et Matthiae p. 97. contra Davis. et Ern. qui in v. *primum* offenderunt, cum *Principio*

Democrito adiicit perpauca, mutans; sed ita, ut ea, quae corrigere vult, mihi quidem depravare videatur. Ille ἀτόμους, quas appellat, id est,

praeiret. Nam *Principio* refertur ad primam universae huius orationis partem, qua de Epicuri *physicis* agitur. [usque ad fin. huius cap.] *Primum* autem partem partis huius continet, qua in his physicis iste totus ab aliis pendere dicitur. [usque ad fin. §. 17.] Apte laudat Bremi I. Orat. 31, 137. ubi eodem modo *principio* et *primum* se excipiunt. Atque inde fortasse defenditur etiam Sosicratis locus apud Rutil. I, 8. *sed initio ad bellum suscipiendum nos primum impulit Philippus.* Nolim igitur, inprimis in tam abruptis a reliquo contextu verbis, cum Ruhnken. quamvis ingeniose, *invitos* corrigi pro *initio*. Partis partes binae sunt.

1) totus alienus est: ita quidem, ut quae corrigendo addere Democrito conetur, depravet;

2) in quibus hunc sequitur, non fere labitur §. 18.

Intelligitur inde hoc: ita h. l. *primum* poni, ut pro *deinde*, *autem* legatur. Recte enim VV. DD. passim docuerunt, saepius *primum* dici, *deinde* non sequente; si id simul teneas, particulam hanc tum fere alia aliqua compensari. Ita *etiam* I. Orat. 44, 197. *Quid?* I. Tusc. 24, 57 — 61. Quid? *illa vis* etc. *Autem* eodem modo succedit I. Off. 14, 7. (§. 44. ubi plura habet Beier.) *Goer.* Cfr. Ochsner. p. 56. Kuehner. ad Tuscul. IV, 35, 74. Ramshorn. p. 705. not f). Wopkens. Lectt. Tull. p. 52. ed. Frotscher. Persequitur autem tria illa, quae ad philosophiam pertinent: Physicam, Dialecticam et Ethologiam. *Principio* refertur ad Physicam, qua de agit usque ad c. 7, 22. Respondet huic *Iam in altera parte* a cap. 7, 22 — 23. Tertia pars nominari potest *Teleologia*, qua agitur de finibus bonorum et malorum, quae ad Ethologiam pertinet, et haec est sententia, quam quinque his libris persequitur.

Tribus illis rebus respondet ita:

1) *Physica* Epicuri, qui sequitur Democritum, persequitur lib. I. cap. 6, 17 — 21.

2) Dialecticam Epicuri destruit a c. 7, 22. usque ad finem §. sed multa intercidisse videntur. Nam nimis properanter pergit ad

3) de finibus bonorum et malorum ex Epicuri sententia; quibus respondet toto libro II.

Ea Torquatus breviter repetit cap. 8.

mutans] Est h. l. i. q. *corrigens, corrigere conatus*, ut in illa forma, *nihil muto* et alibi saepe. Iam dicere auctor sic poterat, *ita mutans ut*: at graviori vi ponit *mutans, sed ita ut* i. e. *mutans, sed ita mutans*, etc. Similis altera ex parte constructio est II. Agrar. II, 1. *Neque me tantummodo consulem, sed ita fecistis.* Hoc totius sensu: *Ut initium a physicis faciam, quibus plurimum tribuit, primum tam parum in his suus est, ut totus aliunde pendeat. Addit quidem perpauca Democrito, quibus cum (eius sententiam) corrigere conatur; at haec eius naturae sunt, ut eum inde non correxisse, sed depravasse videatur.* Nihil autem necesse est, ut Epicurus totus a Democrito pendere dicatur, quod ex his contextis per se pateat. *Goer.*

Democrito] Democritus Abderites philosophiae Eleaticae asse-

... propter soliditatem, censet in ... quo nihil nec summum nec in... nec ultimum nec citimum sit, ... concursionibus inter se cohaerescant: ... tantur ea, quae sint, quaeque cernan...: eumque motum atomorum nullo a ..., sed ex aeterno tempore intelligi conve... Epicurus autem, in quibus sequitur Demo..., non fere labitur. Quamquam utriusque

..., floruit circa Ol. 80. natus 450. a. Chr. Eius fragmenta collegit I. Caspar Orell. Opusc. Gr. vet. sententiosa et moralia. Lips. 1819. 8. II. Voll.

corpora individua propter soliditatem] Sic coniunxit haec Orell. quod probo; nam, ut ex omni sermone apparet, hoc tantum vult ostendere, ex atomis omnia oriri, non, cur ferantur atomi. Goer. *propter soliditatem — ferri* coniunxit et propter miseram, quam vocat, tautologiam, *quum individuum corpus per se sit solidum*, aliud enim esse §. 18. *individua* et *solida*, et propter philosophiae Epicureae rationem, qua atomorum vim movendi Epicurus ab ipsarum soliditate repetat ut ex sola causa; si igitur ex eo, quod solidae sint, atomi moveantur, truncari loci sententiam hac distinctione. Denique vetare id linguae rationem; nam vv. *propter soliditatem* ab enunciati initio poni propterea, quod docere velit, quae causa sit cur atomi moveantur. At primum hoc non velle Democritum docere, quae vis sit, quae atomos moveat, sed quid atomi efficiant, apparet ex verbis: *ex quo efficiantur* etc. Deinde quam censet tautologiam esse verborum *corpora individua propter soliditatem* ea evanescit, si intelligis, ex eo, quod *corpora individua* sint, non sequi causam esse unicam *soliditatem*, neque intelligo, cur aliud sit *corpora solida et individua*. Ultima eius ratio de lingua petita corruit ex iis, quae dixi de totius rei sensu. De *atomis* accurate disputant Lactant. de Ira c. 10. seqq. Diog. Laert. X, 44. Lucret. II, 82. Tennemann Geschichte der Philos. t. III. p. 381.

citimum] Scripsimus cum Alemanno (L' Alleman) *citimum* i. e. *proximum*, cfr. Tim. c. 7. Somn. Scip. c. 3. etc. comprobatum uno Ursini et binis Paris. Bene opponitur sic *ultimum*, cum vulgata *extremum* langueat, si vel *ultimum* ad atomos ipsas proxime, *extremum* ad spatium, in quo ferantur, referatur. *Goer.* V. *citimus* utitur Cicero, ubi de rebus spatio comprehensis sermo est, opponitque alteri v. *ultimus*, ut Goethe *hüben und drüben*; contra in *bonorum fini* notione philosophica saepissime παραλλήλως iungit, non opponit vv. *ultimum* et *extremum* v. c. infra §. 42. Ceterum puto *citimum* e coniectura esse, sed optima. *Orell.*

aeterno tempore] *esse* scil. Fortasse tamen *e* in *tempore* absorbuit compendium *ẽe* i. e. *esse*.

§. 18. *non fere*] i. e. non facile. Sic Cic. pr. Sext. 23, 51. *ex bellica victoria non fere quemquam est invidia civium consecuta*. Brut. 40, 150. *aetates vestrae, ut illorum, nihil aut non fere*

quum multa non probo, tum illud in primis, quod quum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiatur; alterum, quae vis sit, quae quodque efficiat: de materia disseruerunt; vim et causam efficiendi reliquerunt. Sed hoc commune vitium: illae Epicuri propriae ruinae. Censet enim, eadem illa individua et solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam: hunc naturalem esse omnium corporum motum. Deinde ibidem homo acutus, 19
quum illud occurreret: si omnia deorsum e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere: itaque attulit rem commenticiam; declinare dixit atomum perpaullum, quo nihil posset fieri minus;

multum differunt. Tusc. V, 38, 111. *sapientis cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos.*

autem] respondet v. *primum* §. 17. in. ubi vid. not.

quodque] Vulgatur *quidque*, sed veram lectionem debemus Spir. et Erl. Cfr. II. Acad. 40, 125. *Goer.*

reliquerunt] i. e. *non exposuerunt, neglexerunt.* Cfr. I. Legg. 2, 6. *Goer.* Sic Graeci utuntur verbo *καταλείπειν.*

Epicuri propriae ruinae] Sunt vitia, quibus Epicuri sententia ruit. *Goer.*

deorsum] Suspecta est haec vox Goer., quoniam quod pondere feratur, ferri sursum non possit. At eodem modo loquitur Cic. N. D. I, 25, 69. atomum, quum pondere et gravitate directo deorsum feratur. Quod in quibusdam est codd. *deorsus* Appuleianum esse, non Ciceronis docet Heindorf. ad illum locum p. 198.

ad lineam] est nobis: nach der Schnur; alias auctor *perpendiculo et linea.* III. Q. Fr. II, 1. *Goer.*

§. 19. *ibidem*] *in eadem re.* cfr. II. Acad. 14, 44. *deinde ibidem inter falsa visa et vera nihil interesse.* Unde non opus est, ut legatur cum Davis. *idem.*

acutus] ex aperta ironia, ut saepius. *Goer.*

illud occurreret] i. e. *sententiae eius adversaretur.* Vide ad II. Acad. 14, 44. Bremi infra ad II, 33. p. 246. Comparat ad Acad. l. c. Graec. *ἐναντιοῦσθαι* ap. Plat.

e regione] h. l. idem est, quod de Fato c. 10, 22. eadem de re dicens habet *directis lineis* in gerader Linie.

itaque] Post quamvis digressionem ponitur. cfr. II. Legg. 1, 2. I. N. D. 20, 54. Nihil igitur violenta Ernestii ratione opus est, qui *itaque* deleri iubet. Est haec levis anacoluthia. *Goer.* Vide Excurs. de Anacoluthis apud Cicer.

quo nihil posset fieri minus] *potest* vult Bake ad Cleomedem p. 418. Tolerari, imo defendi potest in istiusmodi oratione obliqua coniunctivus; scilicet, ex omnium sanorum philosophorum commu-

ita effici complexiones et copulationes et adhaesitationes atomorum inter se: ex quo efficeretur mundus omnesque partes mundi quaeque in eo essent: quae quum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult: nam et ipsa declinatio ad libidinem fingitur, (ait enim declinare atomum sine causa; quo nihil turpius physico quam fieri sine causa quidquam dicere;) et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis: nec tamen id, cuius causa haec
20 finxerat, assecutus est. Nam si omnes atomi de-

. . . . . .

ni sententia dictum est, non tanquam ἀξίωμα unius Tullii. *Orell.* in Addend. p. 573. Sed potest facilius ita explicari: aber es möchte wohl nichts weniger, als dies geschehen können. Quae vis in ipsius est natura coniunctivi. Imperfecto usus est auctor, quia rem significat, quae prorsus fieri nequeat. Vid. Ramshorn. p. 416. a., cll. p. 410. c. Coniunctivi ita dubitanter positi exempla sint haec: Tusc. I, 8, 15. *ad quam* (calcem) *quum sit decursum, nihil sit praeterea timendum.* Legg. I, 8, 25. 9, 27. Fin. II, 1, 3. III, 15, 50. Cat. Mai. 7, 25.

quum — sit — tum ne efficit quidem] Bas. et Cr. *tamen non eff.* (Crat. et codd. Dav. om. *quidem* neglectum scil. a scribis ante *qu*). Heindorf. volebat *est*. Sed vid. Excurs. de *quum — tum*.

quo nihil turpius physico etc.] Offenderunt in pron. relat. *quo* critici, quippe quod supervacaneum eis videretur, quum ipsum illud, quod turpe esset, sequeretur. Unde Brut. Dav. Ern. *quum* legere volebant. Quod recte reiecit Goer., sed ipse non recte rem explicuit, quum dixit *quo* esse *licet eo*, ut saepe. *Quo* pendet ex comparativo, cui interdum praeponitur ablativus, quod fit eo, ut arctius cum superioribus sequentia coniungantur. Sic Cic. de Nat. Deor. I, 15, 38. *Quo quid absurdius, quam aut res sordidas atque deformes decorum honore afficere aut homines iam morte deletos reponere in deos?* ubi item offenderunt critici, veluti Lambin. qui pro *quo*, *quaeso* legere voluit. At defendit hunc locum Heindorf. nostro et loco de Orat. I, 37, 169. *Quid ergo hoc fieri turpius aut dici potest, quam eum — labi* etc. Comparat Platon. Gorg. 120. Ὁρᾷς γὰρ, ὅτι περὶ τούτου ἡμῖν εἰσιν οἱ λόγοι, οὗ τι ἂν μᾶλλον σπουδάσειέ τις καὶ σμικρὸν νοῦν ἔχων ἄνθρωπος ἢ τοῦτο, ὃν τινα χρὴ τρόπον ζῆν. Alia dicit attulisse Markland. ad Lysiam. p. 370. ed. Reiske. et Toup. ad Longin. p. 321. Wopkens in Lectt. Tull. II, 2.

haec] referatur ad omnia, quae de atomis dixerat.

§. 20. *Nam si — sine*] Male Ern. cum Dav. pro *sine*, quae est codd. omnium lectio (nam Gud. 2. *suavitate* decl. peccans, idem vulgatum defendit.), *sin* edidit, ut recte vidit h. l. Brem. Accuratius haec de structura egimus ad l. Acad. 2, 7. Cfr. Tursell. p. 1189.

clinabunt, nullae umquam cohaerescent; sive aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur: primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferantur: deinde eadem illa p. 53. atomorum, (in quo etiam Democritus haeret,) turbulenta concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit. Ne illud quidem physici, credere aliquid esse minimum; quod profecto numquam putavisset, si a Polyaeno, familiari suo, geometriam discere maluisset, quam illam etiam ipsum dedocere. Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito in geometriaque perfecto: huic bipedalis fortasse: tantum enim esse censet, quantus videtur, vel paullo aut maiorem aut minorem.

Goer. qui ad Acad. l. c. haec: I. Tusc. 41, 97. *Sive sensus extinguitur — Sin vera sunt.* (Praecedit etiam *si — sive* sequente III. de Or. 35, 142. [hunc locum e codd. emendavit Orell. *si* in *sive* mutans] I. Fin. 6, 20. (noster locus) Quid si adeo *aut* succedit Orat. 30, 106., sed videtur *aut si sibi* scribendum, ut est I. de Or. 17, 76.) Causa bene ex Graecorum εἴτε — εἰ repetitur, quippe quum illa particula ex Graeca εἰ nata sit, et Latini veteres simpliciter *si* pro *sive* dixerint, ut ex illa inscriptione apud Gell. II, 28. *si deo, si deae* aliisque multis cernitur."

suo nutu recte ferentur] i. e. sui ponderis nisu ad perpendiculum ferentur, quum nutus corporum cum pondere omnium proclivitas sit, qua ad terrae centrum (ut vocant) nituntur. Ita *verum* quoque Graeci philosophi. *Goer.*

quasi provincias atomis dare] est, pro arbitrio decernere, quae atomi etc. *Goer.*

hunc mundi ornatum] In voce *mundus* iam inest ornatus notio, ut in Graeco κόσμου: tamen et seriores Graeci saepe κόσμου διακόσμησιν dicunt. Erat videlicet tum vocis utriusque notio ita auribus adsueta, ut simpliciter universi vis ea intelligeretur. *Hunc* est, quem vides. *Goer.*

aliquid esse minimum] Nempe *quod sit individuum:* quum sit nihil omnino in rerum natura, quod dividi nequeat. Vid. Acad. I, 7, 27. *Goer.*

Polyaeno] Polyaenus in principibus Epicuri discipulis numeratur, ad quem hic ipse, Charino archonte, epistolas scripserit. cfr. Senec. Ep. 18. Eundem ante Epicurum vita excessisse, ex huius testamento coniici licet, cum eius nulla ibi mentio fiat, licet Epicuro familiaris audiat I. Fin. 6, 20. *Goer.* ad Acad. II, 33, 106.

huic bipedalis fortasse] Hic locus ne pugnare putetur cum illo II. Acad. 26, 82. *quantulus* (sol) *nobis videtur? mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur, sed non multum: nec maiorem quidem multo putat esse, quantus videatur: ut oculi aut non multum mentian-*

21 Ita, quae mutat, ea corrumpit; quae sequitur, sunt tota Democriti, atomi, inane, imagines, (quae εἴδωλα nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus;) infinitio ipsa, quam [illegible] vocant, tota ab illo est; tum innumerabiles mundi, qui et oriantur et intereant quotidie. Quae etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum, laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum secutus esset, nollem vituperatum.

VII. 22 Iam in altera philosophiae parte, quae est

tur, est nihil. Nam [illegible] qualis oculis se offert, [illegible] magnitudinem [illegible] contra quo[illegible] Eri. referre potuisset. De iis [illegible] citato auctorem ipsa Epicuri verba, [illegible] modo mentem expressisse. Goer. Cfr. Plutarch. Decret. Philos. I, 21. [illegible] Stob. Ecl. Phys. I. p. [illegible] Achill. Tat. Isag. ap. Petav. t. III. p. 81.

§. 21. *Ita quae* [illegible] §. 17. in.

quae sequitur] Si Rathius Bremium consuluisset, non denuo ille ex codd. quibusdam *sequuntur* cum Davis. scripsisset. Ut enim *aperte mutat* opponitur, i. e. *corrigere conatur*, et, *integra in suam sententiam transfert*; ita nihil hac memoria facit, quod Epicurus in quibusdam alios praeter Democritum secutus est; quum certum indubitatumque sit, hunc illum sectatum omnium maxime. Unde quoque paullo post §. 21. *qui eum unum secutus esset*. Adde quod *Ita* ex praecedd. colligit §. 17. 18. ubi idem Epicurus ab uno Democriti exemplo pendere dicitur. Bene etiam Bremi tota urget. *Goer.*

inane] Intelligitur ab Democrito illud, quod inter coelum et terram est spatium.

quae εἴδωλα nominant] Recte Bremi Graecam vocem Graecis literis. In *nominant* ne haereas, intelliguntur Democritus et Epicurus, de quibus communiter agitur. Hic enim ab illo id acceperat, ut istas ἀποῤῥοὰς τῶν σωμάτων, εἴδωλα diceret, cfr. Aristot. de Divin. per somn. c. 2. Ceterum verbis, *quae — cogitemus*, parenthesis signa addidimus, quae abesse nequeunt. Quod si Ern. vidisset, de *quarum* legendo minime cogitasset. *Goer.*

infinitio] est i. q. de N. D. I, 26, 73. *infinitio locorum*.

vituperatum] Refert Diog. Laert. X, 8. ab Epicuro Democritum ληρόκριτον audisse. Eo referantur quoque haec I. N. D. 33, 93. *quum Epicurus — in Democritum ipsum, quem secutus est, fuerit ingratus*. Nam haec una ratio, qua ingratus ille dicatur, cogitari potest, cum Democritus Ol. 71. vel ad summum 72. natus sit, (errant enim, qui ad 80. Ol. eius natalem referunt) Epicurus autem Ol. 109, 3. esse coeperit *Goer.*

Cap. VII.

§. 22. *in altera philosophiae parte*] Prima erat de physica.

quaerendi ac disserendi, quae λογικὴ dicitur, iste vester plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit: iudicia rerum in sensibus ponit; quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri et falsi putat. **** Confirmat autem 23
illud vel maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, asciscat et reprobet, id est, voluptatem et dolorem. Ad haec, et quae sequamur et quae fugiamus, refert omnia: quod quamquam Aristippi

quaerendi ac disserendi] Ponit partes logices; quae alias eodem modo *in ratione et disserendo* cerni dicitur I. Acad. 8, 30. et de Fato I, 1. *totaque est λογικὴ, quam rationem disserendi voco*, ut recte Bremi dedit, quae omnia ad idem redeunt. In proximis singula capita prioris partis i. e. dialectices, auctor percurrit, ut docet, quam in hac arte nudus sit Epicurus et inermis. *Goer.* Cfr. II, 10, 30.

de dividendo ac partiendo] *dividere* est exponere summa alicuius thematis capita; *partiri* singula capita in partes disponere.

ratio] argumentatio, Schluss.

iudicia rerum] iudicium rerum est κριτήριον, ad quod rerum veritas aestimatur, cfr. II. Acad. 9, 29. ubi de varia Graecae vocis apud Cic. expressae ratione egimus. *Goer.*

putat] Verissime VV. DD. fecerunt cum in signo lacunae ponendo, tum in extrudendis his verbis, quae ante Davis. ex paucis quibusdam codd. hiatui complendo textis inserta legebantur: *In tertia vero parte, quae est de vita et moribus, in constitutione finis, nihil generosum sapit atque magnificum.* Quae quidem verba si per se spectes, praeter vocem *finis*, cuius vice h. l. *finium* requiritur, nihil sane continent, cur intt. ea tantopere contemnant. At vix probabile est, auctorem tam praecipitate ad tertiam ethices partem transisse. Post haec autem ipsa, si vel in genuinis haberentur, tamen excidisse alia quaedam putanda forent, cum ne sic quidem ea, quae subiiciuntur, rite cohaereant. Ita sane nos quoque ea exclusimus, quibus nihil contexta adiuvarentur, quaeque tot codd. nostrique omnes damnarent. *Goer.*

§. 23. *Confirmat*] est, confirmare conatur. De hac verborum significatione ad Cat. Mai. 4, 4. haec notavi: Recte huius brevitatis originem explicuit Ramshorn. p. 386. De Graecis, qui eodem modo loquuntur, vide Monk. ad Eur. Hipp. 592. Brunck. ad Soph. O. T. 1441. Hermann. ad Aiac. 1105.

Ad haec — refert omnia] i. e. in consilii capiundi deliberatione de omnibus rebus quaerit maxime, doloremne an voluptatem afferant. Vid. Ochsner. p. 169. Beier. ad Lael. 9, 7.

Aristippi] Aristippus erat Socratis discipulus, Cyrene urbe Afri-

est, a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur: tamen eiusmodi esse iudico, ut nihil homine videatur indignius. Ad maiora enim quaedam nos natura genuit et conformavit, ut mihi quidem videtur. Ac fieri potest, ut errem: sed ita prorsus existimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenerit, aut torquem illum hosti detraxisse, ut aliquam ex eo perciperet voluptatem corpore, aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Veserim propter voluptatem. Quod vero securi percusserit filium, privavisse se etiam

esse crimina. Princeps erat sectae Cyrenaicae, quae voluptatem summum bonum, dolorem summum malum putaret. Vide Wieland in annotat. ad Horat. Epistol. I, 1. p. 27. sqq. Floruit circa ann. 390. a. Chr.

melius liberiusque defenditur] Cum Aristippus simpliciter in sensibus, Cyrenaica autem familia [orta ab Aristippo] in interiore tactu voluptatem, summum bonorum, poneret. cf. II. Acad. 7, 20. fin. *Epicurus autem idem cum* Aristippo simpliciter in sensibus. *Liberius est minus omnino* rationibus maiorem quandam veritatis speciem *prae se ferentium*. *Goer.*

neque eum Torquatum, qui — invenerit] Cfr. IV. Tusc. 22, 49. *Ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detraxisse.* Ex quo loco id quasi *monemur*, *neque esse* in nostro pro *ne-quidem* accipi debere; vel, *si mavis*, *pro etiam non*, ut barbari loquuntur. Sic enim saepius et *nec*, et *neque legitur*. Ita quidem nihil opus est, ut excidisse *auctorem conservationis putes*; etsi id quidem in exemplis afferendis *haud raro usurpare solet*. *Goer.* Haec aliorum explicatio longe *omnium est verissima*. *Respondet* illi *neque* §. 24. pron. interrogat. *Quid?* *Vid. Kuehner. ad Annotl.* Quomodo autem demonstretur, quod *in Tusc. loco ne - - quidem* ponitur, h. l. *neque* idem esse? Alia *aliorum locorum est conformatio*. Nunquam autem alia particula *pro alia ponitur*; *quod si fieri* videtur, vitiose id fieri putamus ex *nostra lingua iudicantes*, si vertenda est; in Latinis propriam vim *retinet*. *Res, quam narrat* Cic. notissima. Bello Gallico singulari *certamine Manlius aureum* torquem barbaro inter spolia detraxit: *inde Torquati nomen*. Vid. Flor. I, 13, 20.

apud Veserim] *Cfr.* III. Off. 31, 11. *cuius* (Torquati) *tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati* [vid. ibid. Beier.] cll. Valer. Max. VI, 4. *Erat* autem *Veseris* fluvius in Vesuvii vicinitate [unde nostro loco *quid. mss. Vesuvium*]; inter quem et montem hunc pugnam istam accidisse tradit Livius VIII, 8. Pugnatum est haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat. A fluviorum autem vicinitate appellari ubique pugnae veteribus solent. *Goer.*

Quod vero etc.] Ad hanc historiam respicit Virg. Aen. VI, 825. *Saevumque securi Aspice Torquatum.* Ubi Servius: Hic ad urbem

videtur multis voluptatibus, quum ipsi naturae patrioque amori praetulerit ius maiestatis atque imperii. Quid? T. Torquatus, is, qui consul cum Cn. 24
Octavio fuit, quum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum legatis accusantibus, quod pecunias praetorem in provincia cepisse arguerent, causam apud se dicere iuberet, reque ex utraque parte audita, pronuntiaret, eum non talem

pergens praecepit filio, ut tantum castra tutaretur: ille provocatus ab hostibus, nacta occasione, victoriam consecutus est. Reversus postea pater laudavit fortunam populi R., sed filium, ut dicit Livius, fustuario necavit. *Ergo* saevum securi, saevum iure occidendi, non ferri genere; *nam* securi non animadvertit in filium. At nec reliqua pars istius historiae recte traditur, filiumque Manlii securi percussum fuisse docet Livius. Illum vide VIII, 6, 7. Adi sis inter alios et Aul. Gellium IX, 13. *Davis.*

§. 24. *T. Torquatus*] T. Torquatum Cn. Octavio collegam dant Fasti Consulares ad a. U. C. 578. Scripsit autem T. primus Ernest. ut voluit Davis. eadem de causa, quum prius legeretur *L. Torq.*

accusantibus — quod arguerent] Miratur Goerenz. VV. DD. in hoc loco non haesisse, ubi *quod* pro *quum* cum subiunctivo struatur. v. c. pro Cluent. 9, 44. *ita quod ceteri propter liberos pecuniae cupidiores soleant esse, ille propter pecuniam liberos amittere iucundius esse duxit.* Ibi ab Ern. inde *quum* pro *quod* ex coniectura sine omni iusta causa correctum esse. Confert Cic. Acad. II, 20, 66. *eoque directius gubernant, quod eam teneant, quae cursu* etc. explicat autem *quoad eius ductu navigare possint.* III. Off. 10, 6. *quod sine alterius iniuria fiat.* At non intellexit Goerenz. nostro loco coniunctivum positum esse, quod haec ex Torquati sententia dicit Cicero, ubi necessarius est coniunctivus (vid. Zumpt. Gr. Lat. §. 549. Ochsner. p. 54.). *Quod eum arguerent* continet argumentum accusationis. Verte locum ita: dass er ihm auf Anklage der Mazedonischen Gesandten, weil sie ihn beschuldigten, dass er als Prätor in der Provinz Geld genommen habe, befahl, sich vor ihm zu vertheidigen. Alter locus ex orat. pro Cluent 9, 44. (est §. 28.) ex codd. ab Orellio Ionge aliter est constitutus ita: *Itaque ceteri propter liberos pecuniae cupidiores solent esse: ille* etc. Tertio in loco Acad. II, 20, 66. coniunctivus pendet ex sententia Arati. In ultimo denique Offic. loco *quod est quantum de eo fieri possit* s. *quatenus, quoad id fieri potest*, ubi recte se habet coniunctivus. (vid. Zumpt. Gr. Lat. §. 559.) Nunquam particula *quod* sine sententiarum causa habet coniunctivum, ut nulla omnino particula regit modum, quem dicimus, qui pendet a cogitatione; particulae nonnisi orationi connectendae inserviunt. Quod porro coniuncta sunt verba *accusare* et *arguere* id caveas pleonasmo attribuas: *accusare* est notio universalis: apud iudicem aliquem criminis causa accusare, *arguere* refertur ad argumentum accusationis; ut nos anklagen und be-

videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent; et in conspectum suum venire vetuit: numquid videtur tibi de voluptatibus suis cogitavisse?

Sed ut omittam pericula, labores, dolorem etiam, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit, ut non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes voluptates, dolores denique quosvis suscipere malit, quam deserere ullam officii partem: ad ea, quae hoc non minus declarant, sed videntur leviora, veniamus. Quid tibi, Torquate, quid huic Triario literae, quid historiae cognitioque rerum, quid poetarum evolutio, quid tanta tot versuum memoria voluptatis affert? Nec mihi illud dixeris: Haec enim ipsa mihi sunt vo- p. 54. luptati: et erant illa Torquatis. Numquam hoc ita defendit Epicurus: neque vero tu aut quisquam

schuldigen. Dotte differentiam exposuit Doederlein latein. Synon. T. II. p. 161. seqq.

videri] Est verbum in sententiae iudicis pronunciatione proprium. Locus classicus est II. Acad. 47, 146. *quae iurati iudices cognovissent, ea non ut esse facta, sed ut videri pronunciarent. Goer.* Fit hoc urbanitatis causa.

et in conspectum suum venire vetuit] Ernest. vult *vetaret*, satis violenter, quod putaret, per *et* pares modos esse ponendos. At vid. Excurs. de Anacol. et interea confer II, 19, 61.

Sed ut omittam — dolorem — dolores denique quosvis] Haec corrupta Davis. iudicat et Bremi. At nulla est *ταυτολογία* in verbis *dolorem, quem — suscipit* et: *dolores denique* etc. Primum enim, quod saepe solet, latius extendit id, quod ultimo loco dixit Cicero, quum plura dicit, id quod h. l. fit. *Dolores* autem *quosvis* etc. posuit membrorum aequalitatis causa: *omnibus voluptatibus* opponit *dolores quosvis.*

§. 25. *quid historiae cognitioque rerum*] Sic codd. et editt. Bremius primus suspiciosum fecit verbum *historiae* et suadet: *quid historiae cognitio, cognitioque rerum.* Intellexerunt nimirum *cognitionem rerum, historiam*, quod non opus est nec verum, vid. infra ead. §. denique glossae non solent praeponi, sed subiici a scribis. Sed ignorarunt iidem *historias* plur. num. esse *ποικίλας ἱστορίας*, varias, historias. Cognitio rerum ut explicat Orell. est philosophia. Retinendam igitur censeo codd. scripturam. Dubie Orell. proposuit *historia.*

Haec enim] *enim* elliptica ratione est positum ita: *non mirum hoc: haec ipsa enim* etc. Vid. Ramshorn. p. 564. not. m. De Graecis vid. Hoogeveen. ad Viger. p. 497. ed. Hermann. 3. Matthiae Gr. Graec. §. 615. init.

neque vero tu] intellige *defenderes.*

eorum, qui aut saperet aliquid aut ista didicisset. Et, quod quaeritur saepe, curtam multi sint Epicurei: sunt aliae quoque causae, sed multitudinem haec maxime allicit, quod ita putant dici ab illo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est, voluptatem. Homines optimi non intelligunt, totam rationem everti, si ita res se habeat. Nam si concederetur, etiam si ad corpus nihil referatur, ista sua sponte et per se esse iucunda, per se esset et virtus et cognitio rerum (quod minime ille vult,) expetenda. Haec igitur 26
Epicuri non probo, inquam. De cetero, vellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructior, (est enim, quod ita tibi videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur;) aut ne deterruisset alios a studiis: quamquam te quidem video minime esse deterritum.

Quae quum dixissem, magis ut illum provo- VIII.
carem, quam ut ipse loquerer; tum Triarius leniter arridens, Tu quidem, inquit, totum Epicurum paene e philosophorum choro sustulisti. quid

quod quaeritur] Id est: was das anbetrifft, dass man fragt. Vid. Zumpt. §. 629. seq.

sunt aliae quoque causae] *praeter voluptatem.*

hoc — allicit] Spir. Erl. Gu. 2. *haec* nempe *causa.* Quod quum ab optimis profectum sit codd., non dubitavi recipere.

putant] Sic Gu. 1. et Bas. et Cratandrinae ed. margo. Vulgo *putat*, quod scripsit is, cui non recte se habere videbatur pluralis ad nomen collectivum *multitudinem* positus apud Ciceronem. Rarius id quidem apud eundem, sed non sine exemplo. Orell. in Addend. p. 220. laudat Tusc. IV. §. 6. *multitudo contulit se — — sive quod invitabantur.* Cfr. II. Fin. 1, 1. *uterque. plebs* II, 16, 54. Verr. II, 31, 8. *civitas* ex optt. codd. et editt. vett. II, 39, 95. *unumquemque senatorem rogat, ut filio suo parcerent.* Sic antiquiss. editt.

Homines optimi] Per ironiam dicuntur, ut saepius, cf. II. Off. 25, 7. Rosc. Am. 8, 23. Sic item βέλτιστος apud Platonem in allocutione saepe. *Goer.*

si ita res se habeat] Sic Spir. Erl. Gu. 1. Mars. Hoc recepi, quum sit in optt. codd. Vulgo *si ita se res hab.* Rarissimum putat esse subiunctivum in hac formula Goer., sed subiunctivus non pendet ex formula, sed ex *intelligunt*: est enim oratio indirecta s. obliqua.

ei reliquisti, nisi te, quoquo modo loqueretur, intelligere, quid diceret? aliena dixit in physicis, nec ea ipsa, quae tibi probarentur. Si quae in his corrigere voluit, deteriora fecit; disserendi artem nullam habuit; voluptatem quum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit: deinde hoc quoque alienum. Nam ante Aristippus, et ille melius. addidisti ad extremum, etiam
27 indoctum fuisse. Fieri, inquam, o Triari, nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias. Quid enim me prohiberet Epicureum esse, si probarem, quae ille diceret? quum praesertim illa perdiscere ludus esset. Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae: maledicta, contumeliae, tum iracundiae, contentiones concertationesque pertina-

Cap. VIII.

§. 26. *aliena — det. fecit*] vid. c. 6, 17.
disserendi] vid. c. 7, 22.
voluptatem] §. 23.
indoctum] vid. §. 26. init.

§. 27. *reprehensiones non vituperandae*] *Reprehensio* est aut emendatio commissi vitii aut admonitio, ne quid in futurum fiat; *vituperatio est*, quae vitii agnitionem, meliorem intelligentiam, pudorem et poenitentiam quaerit. *Reprehendere* est verbessern oder warnen, *vituperare* Anerkennung des Fehlers. Saepe haec verba apud Cicer. coniunguntur. Vid. Doederlein. latein. Synon. T. II. p. 159.

tum iracundiae, contentiones] Sic codd. omnes et editt. vett. *iracundae contentiones* Marsus, L. Gulielm. Davis. Lall. Goer. qui quaerit membrorum aequalitatem: *iracundae contentiones, concertationes pertinaces*; inversam autem esse rationem pro: *concertat. pert.* et *irac. cont.* quod quo pertineat, non assequor; *tum* quum structurae mutatae rationem indicet, transponendum fuisse ita: *tum content.* Scribas denique offendisse, *iracundus* rebus h. l. adlungi, quum alias tribuatur hominibus. At primum quum sit *iracundiae* in omnibus codd. et editt. vett. verum puto. Scribas offendit numerus pluralis nominis abstracti *iracundiae*, quod vitium in codd. est frequentissimum. At sic etiam alias ap. Cicer. pluralis reperitur: Ep. ad Q. Fratr. I, 1. *Nam si implacabiles iracundiae sint, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa levitas.* II. N. D. 59, 148. *hae cupiditates iracundiasque restinguimus.* Plancus ad Cic. Ep. ad Fam. X, 23, 12. *Iracundias autem harum rerum recentes habebant.* Rep. I, 38, 60. *Ergo non profecto probares, si, consilio pulso, libidines, quae sunt innumerabiles, iracundiaeve tenerent omnia.* Tusc. III, 4, 7. *formidines, libidines, iracundiae.* (Kuehner docet non esse genit. h. l. sed nom. plur.)

ces, indignae philosophia mihi videri solent. Tum 28
Torquatus, Prorsus, inquit, assentior; neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia recte disputari potest. Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim. An me, inquam, nisi te audire vellem, censes haec dicturum fuisse? Utrum igitur, inquit, percurri omnem Epicuri disciplinam placet: an de una voluptate quaeri, de qua omne certamen est? Tuo vero id quidem, inquam, arbitratu. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo, eamque maximam: de physicis alias; et quidem tibi et declinationem istam atomorum et magnitudinem solis probabo et Democriti errata ab Epicuro reprehensa et correcta permulta: nunc dicam de voluptate; nihil scilicet novi, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam. Certe, inquam, pertinax non ero; tibique, si mihi probabis ea, quae dices, li-

Plurima ex Cicerone exempla collegerunt et qui collegerunt laudavit Ellendt. ad Cic. Brut. 82, 285. Ochsner. ad Cic. Ecl. p. 72. Zumpt. Gr. Lat. §. 92. Dubium est *honestates* in or. pro Sext. 51, 109. Sed sine vitio: *potestates* ibid. §. 56. *metus* 16, 36. pro Coel. 15, 36. Fin. I, 12, 41. Parad. II, §. 18., qui locus non mutandus, ut Orell. voluit. Tusc. V, 6, 16. *timores* Rep. I, 44, 68. *conscientiae* pr. Rosc. Am. 24, 67. Sic fortasse verum est, quod Goerenz. in Catil. I, 1, 2. ex uno mscr. suo profert, *furores*. De Graecis vid. nunc Bernhardy Griech. Syntax. p. 63. seq. Pluralis nostro loco, ut in multis aliis, concinnitatis causa est positus et eum per se stare debere, nec coniungendum esse cum *contentiones* docet voc. *iracundia* quod huic respondet. Coniungendae sunt autem *contentiones concertationesque pertinaces*. *Contentiones* sunt intentiones plurium ad eandem rem; *concertationes* sunt verborum.

§. 28. *recte disputari potest*] Om. vocem *disputari* aliquot codd. et Goer. haud dubie offensi duplici verbo; sed recte se habet verbum iteratum cum vi: nam primum dicit, sine reprehensione adversarii, secus sentientis, omnino disputari non posse, deinde, cum iracundia autem aut pertinacia non *recte* disputari posse.

An me] Sic duo codd. Davis. Recte; nam eodem modo peccatum est, quo supra cap. 2. refertur enim ad proximam obiectionem Torquati, cuius hac quaestione interrumpit Cicero orationem. Alii codd. *at* quod retinuit Goer.

Utrum igitur, inquit] Sic e tribus codd. Davisii edidit Orell. Ceteri om. *inquit*, sed quum mutatur persona, opus est adiecto verbo.

29 benter assentiar. Probabo, inquit: modo ista sis aequitate, quam ostendis. Sed uti oratione perpetua malo, quam interrogare aut interrogari. Ut placet, inquam. Tunc dicere exorsus est.

IX. Primum igitur, inquit, sic agam, ut ipsi auctori huius disciplinae placet: constituam, quid et quale sit id, de quo quaerimus: non quo ignorare vos arbitrer, sed ut ratione et via procedat oratio. Quaerimus igitur, quid sit extremum, quid ultimum bonorum; quod omnium philosophorum sententiâ tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat: ipsum autem nusquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult; summumque malum dolorem: idque instituit docere sic:

30 omne animal simul atque natum sit, voluptap. 55. tem appetere eaque gaudere ut summo bono;

Cap. IX.

§. 29. *ratione et via*] systematisch.

quid sit extremum, quid ultimum bonor.] vid. ad 4, 11. cll. II, 2, 5. *sive finem, sive extremum, sive ultimum definiebas.* V, 6, 17. *quum quaeritur in his, quid sit extremum, quid ultimum.*

ut ad id omnia referri — nusquam.] Expressit Cicero Graeca verba apud Stob. Ecl. Eth. II. p. 162. τέλος ἐστὶν ἐφ' ὃ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ πραττόμενα καθηκόντως τὴν ἀναφορὰν λαμβάνει, αὐτὸ δὲ ἐπ' οὐδέν. Quod paullo aliter effert Sex. Empir. I, 25. Ἔστι μὲν οὖν τέλος, τὸ οὗ χάριν πάντα πράττεται, ἢ θεωρεῖται, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκα. cfr. infra II, 2, 5. *Goer.* Aristot. I. ad Nicomach. 7.: Ἁπλῶς δὴ τέλειον τὸ καθ' αὑτὸ αἱρετὸν ἀεὶ, καὶ μηδέποτε δι' ἄλλο.

quod summum bonum esse vult] Gud. 2. verba *summum — vult.* ignorat, cuius erroris causam in duplici *summum* vides. Non igitur iusta causa Davisio fuit, ut, cum idem omissionis vitium in Paris. 2. deprehendisset, totum locum ad uncos damnaret. Nihil est glossae in his subodorandum, licet superflue addita videantur. Talis abundantia in explicatione, relativo iuncta, recurrit apud auctorem locis paene infinitis. *Goer.* Ubique fere ubi eadem cum vi repetuntur, sic suspiciones moverunt aut librarii aut critici, quae si diligentius consideras, rectissime se habere intelligis. Vid. v. c. ad c. 2, 4. 6, 19. Nihil est autem ad contexta scriptorum corrumpenda aptius, quam prorsus omittere talia, quae, si suspecta sunt, uncis includenda, non plane eiicienda sunt, ut fecit h. l. Schuetz.

§. 30. *omne animal — iudicamus*] De his disputat libro II. cap. 10, 31. cll. III, 5, 16. IV, 10, 25. V, 9, 24. „Vid. Sext. Emp.

dolorem aspernari, ut summum malum, et, quantum possit, a se repellere: idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre indicante. Itaque negat opus esse ratione neque disputatione, quam ob rem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentiri hoc putat, ut, calere ignem, nivem esse albam, dulce mel: quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmare; tan-

III. Pyrrh. Hypp. 194. τὰ γὰρ ζῶα, φασὶν (Ἐπικούρειοι), ἅμα τῷ γενέσθαι, ἀδιάστροφα ὄντα, ὁρμᾶν μὲν ἐπὶ τὴν ἡδονὴν, ἐκκλίνειν δὲ ἀλγηδόνας. cll. Diog. Laert. XI, 137. Ἀποδείξει δὲ χρῆται τοῦ τέλους, (ὁ Ἐπίκουρος) εἶναι ἡδονὴν, τῷ τὰ ζῶα, ἅμα τῷ γεννηθῆναι, τῇ μὲν συναρέσεσθαι, τῷ δὲ πόνῳ προσκρούειν φυσικῶς καὶ χωρὶς λόγου. Haec a Davis. iam laudata, expressit Cic. ita, ut tota apodosi unam vocem ἀδιάστροφα explicaret. *Goer.* Vide sis eundem contra Mathem. lib. XI. §. 96. Maximum Tyrium Dissert. XXXII., ubi partes Epicuri tuetur, et nostrum infra II, 10. *Davis.*

negat opus esse ratione, neque disputatione] Ern. suspicatur scribendum esse *atque*, sed idem est atque si dixisset: *dicit neque ratione esse opus, neque disputatione.* Rationem huius constructionis optime dedit Goerenz. ad Acad. II, 47, 145. Quum enim non bene latine dicatur *non dico*, dixerunt prò eo. Latini *nego*; ex quo igitur *negare* pro *non dicere* dici coepit, reliqua videtur constructio sic retenta esse, ut *nec* adiiceretur, ad quod *dicere* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ intelligendum esset. Id quidem vel ex eo clarum videtur, si cum *negare* alia negatio iungitur: tunc enim res quodammodo in ordinem redit. Cfr. Zumpt. §. 795. Ramshorn. p. 526. Cfr. Acad. II, 25, 79. *tu autem te negas infracto remo, neque columbae collo commoveri.* „Sensum vero horum hunc putabis: statuit Epicurus, nihil opus esse argumentis ex ratione petitis, eorumque docta expositione; experientia id ipsum clare patere; nos: es bedürfe keiner Gründe a priori. Verba enim, *ratione neque disputatione*, sunt ἓν διὰ δυοῖν posita pro: disputatione e sola ratione petita, nostri spekulative Erörterung." *Goer.*

ut calere ignem] wie das, dass das Feuer etc.

quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmare.] Plura in his offenderunt criticos. *Oportere* est a. M. M. L. D. Ern. Br. Sch. Goer. Orell. receptum, quum in codd. omnibus legatur *oporteret.* Med. *oportet.* *Oporteret* a grammatica ratione postulatur, quum oratio sit pendens a *putat*; sed recte docuit Goer. *quorum esse et horum* (vid. Zumpt. §. 603.), et scribae *oportere* mutarunt, quod est in editt. vett. haud dubie e codd. depromptum, in *oporteret* ea de causa, quod subiunctivus esset legitimus. Sed multo plura huius constructionis exempla reperiuntur apud Cicer. quam afferunt grammatici. Cic. de Orat. I, 29, 132. *quem saepe audio dicere, caput esse artis decere: quod tamen unum id esse* (Stephanus unus: *esset* eodem errore, quo nostro loco) *quod tradi arte non possit.* Cfr. Brut. 12, 47. *Itaque ait Aristoteles — artem et*

tum satis esse admonere: interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem: alterâ occulta quaedam et quasi involuta aperiri: alterâ promta et aperta iudicari. Etenim quoni-

praecepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse — quod idem fecisse Gorgiam. 52, 196. Fin. III, 19, 64. Acad. II, 45, 138. Beier. ad Offic. III, 11, 49. N. D. I, 17, 45. Lael. 10, 34. Orat. pro Cluent. 56, 153. pro Sest. 21, 47. *quor. alt.* etc. in Verr. V, 62, 160. Ep. ad Attic. II, 24. IX, 11. Cfr. Ramshorn. p. 616. seq. Wopkens. Lectt. Tull. p. 210. 284. Alterum est, in quo offendit Ernest. *confirmare* activo sine persona ad *oportet* posito pro passivo *confirmari* quod scriptum fuisse nostro loco putat. Sed recte docuit Goer. Activum stare posse, quum *oportet* proprie sit: es ist nöthig. Sed quod addit Goer. tum *nihil* esse simpliciter *non*, id mehercule non intelligo, quo referat. Nam si *nihil*, *non* significat, genitivus *quorum* non habet, unde pendeat; tota autem oratio sensu caret. Hic pessime interpretatus est V. D. *Confirmare oportere* refertur ad Epicurum, ex cuius sententia dicitur, quasi ipse dixisset: *quorum nihil oportet me confirmare.*

tantum satis esse admonere] *Tantum* Ern deleri, ut nusquam hac in forma obvium, Rath. transponi post *admonere* iubet. Contra ea idem suo cum positu defendit Bremi simili loco opportune laudato, II de Orat. 32, 139. *Sed hoc nihil ad me: nullum enim nobis certamen cum istis esse debet; tantum satis est intelligi, ne hoc quidem eos consecutos — efficere potuerunt, ut genera verum discernerent.* sic enim ibi interpungendum. At et qui id damnant, et qui retinent, in eo errant, quod adverbium, non adiectivum putant. Quod ut accuratius pateat, paullo altius repetendum est. *Tantum est*, nostro idiomate, nur so viel, i. e. praeterea nihil addendum. Cfr. praeter Plaut. Casin. Prol. v. 82. et Mercat. II, 2, 12. Terent. Eunuch. V, 5, 26. L. *Numquid est aliud mali, damnive, quod non dixeris, reliquum?* P. *Tantum est.* Graeci *Ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα*, vel eadem ratione, *τοσοῦτόν ἐστι* [Passow. in Lexico Gr. citat: Valcken. ad Eur. Hipp. 804. Lobeck. ad Soph. Aiac. 747. Schaefer. Julian. or. p. XII.] Ita similiter Terent. Heaut III, 7, 40. *Tantum pat habes?* verte: hast du an so viel genug? Quod si tenueris, perspectu haud difficile erit, hoc nostro loco et eo, quem ex II. Orat. excitavimus, eandem formulam valere: Soviel (und nicht mehr) sey, ist genug etc. Ita demum ipse videbis, voces *tantum satis* ex ordine iunctas esse. Si denique etiam intellexeris, *satis esse* in his *sufficere* valere: (prout in isto loco apud Cornel. Nep. Hannib. 10, 5. *a caeteris tantum satis habeant se defendere; satis habeant* pro *ipsis sufficiat* ponitur; vide ad II Acad. 18, 58.) nihil plane, verum nos vidisse, dubitabis. *Admonere* eadem vi, ut in proximis *admonitio*, ponitur. *Goer.* Respondet nostro *aufmerksam machen auf etwas, an etwas erinnern.*

indicari] Sic quidam codd. V. M. L. Schuetz. prob. Cens. Heidelberg. „animadversione atque admonitione res *indicantur* duntaxat, non *iudicantur*" *iudicari* P. Cr. D. Ern. B. Goer. qui

am, detractis de homine sensibus, reliqui nihil est: necesse est, quid aut ad naturam, aut contra sit, a natura ipsa iudicari. Ecquid percipit? ecquid iudicat, quo aut fugiat aut petat aliquid, praeter voluptatem et dolorem? —

Sunt autem quidam e nostris, qui haec sub- 31
tilius velint tradere, et negent satis esse, quid bonum sit aut quid malum, sensu iudicari: sed animo etiam ac ratione intelligi posse, et voluptatem ipsam per se esse expetendam et dolorem

male ad *argumentum conclus.* refert. Saepe autem confunduntur *iudicare* et *indicare* in MSS. cfr. Tusc. V, 20, 61. ubi *indicavit* recte defendit Kuehner. Lael. 3, 11. ubi item Beier. *indicatum est* recepit. Intrudunt autem hic e seqq. Codd. aliq. P. Cr. M. L.: *voluptatem etiam et per se expetendum esse, et dolorem ipsum per se esse fugiendum.* Non habent ista cod. Mos. V. D. Seqq.

ad naturam] *secundum* e glossa codd. aliq. M. L. — *ad naturam aptum* de Peaer. coni. Lall. Sed nihil opus emendatione: *ad naturam* est *πρὸς φύσιν.*

Ecquid percipit? ecquid iudicat] Sic Orell. *praecipit* Goer., qui naturam non dici posse *percipere* putat. At recte *percipit* defendit Orell. Est enim *in se concipere*, etwas in sich aufnehmen, quum *praecipere* h. l. nescius sim quo referam. Sensus est: *nihil natura percipit, nihil iudicare potest, cur aliud quid homo aut fugiat aut appetat, quam voluptatem et dolorem.*

§. 31. *sed animo etiam* etc.] Ex verbo *negent* repete *dicant*. Vid. ad c. 18, 61. ex. — *Animo* opponitur praegressae v. *sensu* quod est *experientia;* ut Graecis *νοῦς αἰσθήσει.* Ne tamen in voce *animo* Latinis paullo insolentius posita obscuritas quaedam relinqueretur, per *ac* explicativam *ratione* additum est. Graeci haec distinguunt *τῇ κάτωθεν* et *τῇ ἄνωθεν ὁδῷ*, *via experientiae et rationis.* Ceterum en tibi Epicureos, rationali via, (quam Epicurus ipse contemnebat,) voluptatem summum bonum esse, demonstrantes. Quinam isti fuerint, non constat: sed operae sane pretium foret rationes, quibus hoc probaretur, accuratius cognoscere. Viam certe vides: voluptatis nempe dolorisque notionem in *προλήψεσι* ponebant; atque inde eam naturâ esse, docebant. Nam verbis, quae paullo inferius sequuntur, *quasi naturalem atque insitam in animis notionem*, auctor Epicuri verbum *πρόληψις* circumlocutus est. Quae quidem vox, inventa ab Epicuro, adoptata deinde a Zenone est. vide nos ad I Legg. 9, 26. notionem quamlibet notat, quae, antequam iudicii vis adolevit, ita se animo impressit, ut ei se constanter eandem praesentet. Hoc notavimus propter Tennemann. Gesch. d. Philos. t. III, p. 403. qui nobis hanc v. paullo vagius explicasse videbatur. Erat enim Suidas v. *πρόληψις* conferendus. *Goer.*

ipsam per se] *ipsum per se* dicitur, quod sua solius vi nititur, sic ut nulla rei alterius accessione vel adiumento indigeat: at *propter se* causam moventem et finalem, ratione fere utilitatis habita indicat. Sic Lael. 21, 80. *amicitia per se et propter se*

tum satis esse admo[illegible] [illegible]n. Itaque aiunt, hanc gumentum conci[illegible] [illegible]tam in animis nostris diocrem animad[illegible] [illegible]a esse appetendum, al- alterâ occulta [illegible] [illegible]us. Alii autem, (quibus alterâ prom[illegible] [illegible]philosophis compluribus [illegible]ec voluptas in bonis sit [illegible] dolor, non existimant

praecepta [illegible] confidere, sed et argu-
feci [illegible]
B[illegible] [illegible]urate disserendum, et rationibus [illegible] voluptate et dolore disputandum putant. [illegible] perspiciatis, unde omnis iste natus sit [illegible] voluptatem accusantium doloremque laudan- [illegible] totam rem aperiam, eaque ipsa, quae ab [illegible] inventore veritatis et quasi architecto beatae [illegible] dicta sunt, explicabo. Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur aut odit aut fugit, sed quia consequuntur magni dolores

expetenda, dicitur. Hac ratione particulas istas, saepe permutatas a scribis, rectius dignosces. Hanc quasi normam admovebis ad II, 24, 82. ubi *per* reposuimus. *Goer.* in Addend.

Cap. X.

§. 32. *doloremque laudantium*] Non quidem laudabant proprie dolorem Academici et Stoici; sed illi, eum non summum malum esse, hi, cum omnino malum non sit, contemnendum esse docebant. Debet igitur *laudantium* h. l. ex vi oppositionis pro, *non accusantium*, sed *defendentium*, intelligi, ut prorsus Graecis ἐκαινεῖν dicitur. cf. Sturzii Lex. Xenoph. ad h. v. *Goer.*

inventore veritatis] Similiter Epicurus *Pater veri* dicitur Petronio Satyr. c. 132. Et apud Lucret. III, 9. legerim:

Tu pater et veri inventor, tu patria nobis
Suppeditas praecepta

non ut vulgo *rerum*. Vid. supra c. 5. [§. 14.] *Davis.*

quia voluptas sit, — sed quia consequuntur] Victor. propter membrorum aequalitatem, credo, reposuit *consequantur;* at utriusque modi h. l. alia est ratio; nam enunciatio *quia voluptas sit* ex aliorum sententia est dictum; ut si indirecte ita loquatur: *voluptatem se ideo dicunt aspernari, quod voluptas sit.* Contra *consequuntur* ex Torquati sententia est dictum, quasi dixisset: voluptatem non ideo fugiunt, quia voluptas sit, ut dicunt, sed eo fugiunt, quod eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt, magnos dolores consequuntur. Et ita omnes loci pendent, quos citat Goerenz. (Tusc. I, 7, 13. ubi *sint* ex optimo cod. Regio Paris. Orellio fuit recipiendum, ut fecit ante eum recte Davis. Orat. 54, 180. I Off. 7, 4. quo loco ab Orell. recte est mutatum *sit* in

eos, qui recte voluptatem sequi nesciunt: neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit: sed quia numquam eiusmodi tempora incidunt, ut labore dolore magnam aliquam quaerat voluptatem. Sim ad minima veniam, quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur? Quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiae consequatur; vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla pariatur? At vero eos et accusamus et iusto 33 odio dignissimos ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores et quas molestias excepturi sint, occaecati cu-

(32) Male enim et nostro loco et his, quos laudavit, subiunctivum dubitanter positum esse putat. — Ad rem apte laudat Davis. haec: Epicurus in Epistola ad Menoeceum ap. Diog. Laert. X. §. 129. *Ἐπεὶ πρῶτον ἀγαθὸν τοῦτο (ἡδονή) καὶ σύμφυτον, διὰ τοῦτο καὶ οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεθα· ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται· καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μεῖζον ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ πολλὺν χρόνον ὑπομείναντι τὰς ἀλγηδόνας.* Seneca de otio sap. 32. *Dicit Epicurus aliquando se recessurum a voluptate, dolorem etiam appetiturum, si aut voluptati imminebit poenitentia aut dolor minor pro graviore sumetur.* Et recte quidem

Φεύγ' ἡδονὴν φέρουσαν ὕστερον βλαβήν.

praecepit Menander apud Stobaeum Sermon. VI. p. 79. Nec minus apposite Maximus Tyr. Diss. XXXIII. *κἂν ταῖς τῶν πόνων ὁμιλίαις οὐδεὶς πονεῖ πόνου ἐρῶν (ἡ γὰρ ἂν εἴη δυσεραστότερος) ἀλλάττεται δὲ τοὺς παρόντας πόνου ἡδονῆς.* Vide Tuscul. V. c. 33, 95.

recte] Sic Spir. — Vulgata est *ratione*, quam vertere licet *auf eine vernünftige Weise*, sic ut Graecorum λόγῳ respondeat. Sed ambiguitatem quis non videt? Equidem vulgatam labefactari nolo: sed Spir. *recte*: et notandum sane est, *ratione* et *recte* saepissime a scribis ex comp. r̄e confundi. cfr. Rosc. Amer. 39, 114. *si recte fiat*, ubi plures codd. *ratione*. pr. Quinct. 17, 54. *Profecto si recte vestram bonitatem — cognovi*. ubi item duo mei *ratione* etc. Priore loco nuper, suffragantibus Graev. et Ern. sic receptum est. In posteriore aperte falsum, ut saepius codd. tractanti observare licet. *Goer.* Cui assentior et *ratione* ex schol. verbo *recte* prodire potuit. Recepi, quum sit in optimo cod. Spirensi.

qui in ea voluptate velit esse] Ex Graecismo dicitur. Goerenz. ad Acad. II, 26, 83. haec habet: Cum Graeci *ἐν πράγμασι*,

[illegible] non provident, similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est, laborum et dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio: nam libero tempore, quum soluta nobis est eligendi optio, quumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus: temporibus autem quibusdam et aut officiis debitis aut rerum necessitatibus saepe eveniet, ut et voluptates repudian-
p. 56. dae sint, et molestiae non recusandae. Itaque

κακοῖς, λόγοις, μεγίστοις εἶναι, tum ponant, ubi Latinis proprie, *in negotiis* etc. *versari* dicitur: eadem imitatione Cic. *in negotio curaque*, *in vitio aut virtute*, *in opinione*, *in sententia esse* scribit. Plurima exempla habet Drakenborch. ad Livium II, 22, 6. Rhodii Lexicon ad Scribon. Larg. s. v. *Esse*. Dronke in Ind. ad Tacit. dial. de Oratt. Heusinger. ad Cic. Off. I, 7, 8. p. 60.

§. 33. *nam libero tempore — eligendi optio*] Liberum tempus est, ubi, ut paucis post dicitur, nec debita officia, nec rerum necessitas urgent. *Eligendi optio* primo aspectu mire dicitur; sed Gerund. pro *in eligendo* frequens est, et *eligere*, verbum philosophis proprium, h. l. simpliciter *malle* valet, hoc sensu: cum in potestate nostra sit positum pro lubitu facere, quod malis. *Goer.*

facere possimus] Ne abundare *possimus* putes, notabis, ita contexta pergere — *dass es nicht — in unsrer Macht, Gewalt, stehen sollte. Goer.*

repellendus] Sic Spir. Erl. L. Ern. Goer. Schuetz. *depellendus* Ceteri, etiam P. V. M. Br. Goerenz haec recte notat: utrumque quidem proprie de hoste ponitur; et Epicurei dolorem naturae humanae maxime hostilem statuebant: sed *repelluntur*, quae ad tempus removentur: cum *depellantur*, quae plane arcentur, quod in dolore non licet. Ubique inde etiam auctor *repellere dolorem*, cfr. §. 30. et paucis post, *perferendis doloribus asperiores repellat*. Contra vero *famem sitimque depellere*, vid. §. 37. et talia, recte dicuntur. *Assumimus* contra, quae *libenter recipimus. Goer.* Huic differentiae repugnare dicit auctor addendorum in Forcellini Lex. s. v. *Depellere* locum ap. Cic. partit. orat. 12, 42. *depellendi aut ulciscendi doloris gratia.* Recte haec, sed Goer. in eo tantum erravit, quod dixit *dolorem non posse arceri* i. e. *depelli. Dolor* est enim duplex, aut *corporis ex morbo*, aut *animi; animi dolor* potest caveri, non item *corporis*. Unde *depelli* potest dolor *animi*, qui intelligitur in Cic. loco orat. partit. non *corporis*, qui repelli potest remediis. De utroque autem saepe loquitur in his libris Cicero, unde ex ratione diiudicandum est, quo utraque vox sit ponenda.

et aut officiis debitis aut rerum necessitatibus] Vere h. l. VV. DD. in scirpo nodum sibi nexuisse dicit Goerenz., sed ipse rem obscurius interpretatus est; *et* non esse potest *et quidem*, ut vult,

earum rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut reiiciendis voluptatibus maiores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat. Hanc ego quum teneam sententiam, quid est, cur 34
verear, ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros? quos tu paullo ante quum memoriter, tum etiam erga nos amice et benevole collegisti: nec me tamen laudandis maioribus meis corrupisti, nec segniorem ad respondendum reddidisti. Quorum facta quemadmodum, quaeso, interpretaris? Siccine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse, aut in liberos atque in sanguinem suum tam crudeles fuisse, nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent? At

nec ablativus pro *propter officia* et *necessitates* positus est. Sed simplicissima ratio ea videtur, ut ablativos hos absolutos dicamus, qui, ut aequalitas orationis servaretur, propter ablat. *temporibus* positi sint. Verte igitur: *zu gewissen Zeiten aber, und wenn die schuldige Pflicht oder die Nothwendigkeit der Verhältnisse da ist, wird es sich oft treffen, dass* etc. Quid? quod ablativi ipsi substantivorum vel apud Ciceronem ablativorum absol. loco poni possunt. Vid. Heindf. ad Cic. de Nat. D. II, 21, 54. *Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus* (bei so verschiedenen Läufen) *in omni aeternitate constantiam non possum intelligere sine mente.* Kuehner. ad Tuscul. III, 16, 34. Herzog. ad Caes. Bell. G. II, 7. p. 115. Giese ad Cic. de Divin. II, 2, 4. *his moribus atque temporibus.* Beier. ad Cic. Lael. 15, 54. p. 84. Ellendt ad Cic. Brut. 69, 242. p. 177. a.

§. 34. *Siccine eos censes*] cfr. c. 7, 23.

sanguinem suum] h. e. in eos, quos procrearunt. Apposuit autem hoc vocabulo *liberos*, ut magis crudelitatem efferret, si frustra, sine consilio aliquo tam crudeles, ut fuerunt, fuissent.

de utilitatibus, — de commodis] Sic omnes codd. et edītt. ante Iu., qui primus *voluptatibus* de coniectura, ut videtur Orellio, sed certissima, ut idem putat, scripsit. Secuti sunt Cr. L. Br. Seqq. *Utilitatibus* autem mutarunt in *voluptatibus*, qui non concoquerent verba synonyma *utilitatibus-commodis;* sed eadem coniunxit Cic. ad Q. Fratr. I, 1, 8. *Est eius, qui aliis praesit, eorum quibus praesit, commodis utilitatique servire.* de Offic. I, 44, 155. Fin. I, 10, 34. eadem verba coniunxit Lactant. VI, 6, 22. VII, 4, 5. Sic *emolumenta et commoda* Fin. II, 17, 55. Verba autem ita differunt, ut *utilitas* sit usus, quem ex aliqua re habere potes; *commodum* est usus, qui ad rem tuam facit, qui tibi opportune venit. (Nutzen — Nutzen günstig für den vorliegenden Fall.) Denique non voluptatis causa haec fecerunt, sed utilitatis, partim suae, partim ut exempla essent, ne quid tale postea ab aliis committeretur.

id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant atque turbentur, ut, earum motus et impetus quo per-
35 tineant, non intelligamus. — Tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa? — Quae fuerit causa, mox videro: interea hoc tenebo: si ob aliquam causam ista, quae sine dubio praeclara sunt, fecerint, virtutem his ipsam per se causam non fuisse. — Torquem detraxit hosti. — Et quidem se texit, ne interiret. — At magnum periculum adiit. — In oculis quidem exercitus. — Quid ex eo est consecutus? — Laudem et caritatem: quae sunt vitae sine metu degendae praesidia firmissima. — Filium morte multavit. — Si sine causa: nollem me ab eo ortum, tam importuno tamque crudeli: sin, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contineret; saluti prospexit ci-
36 vium, qua intelligebat contineri suam. Atque haec ratio late patet. In quo enim maxime consuevit iactare vestra se oratio, tua praesertim, qui studiose antiqua persequeris, claris et fortibus viris commemorandis eorumque factis non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore laudandis, id totum evertitur eo delectu rerum, quem modo dixi, constituto, ut aut voluptates omittantur, maiorum voluptatum adipiscendarum causa, aut dolores suscipiantur, maiorum dolorum effugiendorum gratia.

XI. Sed de clarorum hominum factis illustribus et
37 gloriosis satis hoc loco dictum [sit.] Erit enim

ruant atque turbentur] Sic codd. plerique (etiam Spir. Erl. Gu 1. P. G. Schuetz. — *itaque turbentur* Cr.) *turbent* V. cum codd. aliq. v. c. Morelii - *itaque turbent* e L. codd. Grut. D. Ern. Br. Recepi cum Goer. ex optt. codd. Spir. Erl. Gu 1. *atque turbentur*. Fefellit fortasse criticos et librarios activum et passivum coniuncta, de qua coniunctione plurima exempla vide ap. Kritz. ad Sall. Catil. 51, 43. p. 261.

Cap. XI.

§. 37. *satis h. l. dictum* [*sit*] Spir. et Gud. 1. *est* habent, unde *sit* suspectum de glossa redditur, quare inclusi.

iam: de omnium virtutum cursu ad voluptatem proprius disserendi locus. Nunc autem explicabo, voluptas ipsa quae qualisque sit, ut tollatur error omnis imperitorum: intelligaturque ea, quae voluptaria, delicata, mollis habeatur disciplina, quam gravis, quam continens, quam severa sit. Non enim hanc solam sequimur, quae suavitate aliqua naturam ipsam movet et cum iucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam illam voluptatem habemus, quae percipitur, omni dolore detracto. Nam quoniam, quum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus; omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne, quo offendimur, dolor: doloris omnis privatio recte nominata est voluptas. Ut enim, cum cibo et potione fames sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis: sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. Itaque non placuit Epicuro, me- 38
dium esse quoddam inter dolorem et voluptatem: illud enim ipsum, (quod quibusdam medium videtur,) quum omni dolore careret, non modo voluptatem

virtutum cursu] In his ne arguteris; nihil notant nisi, *omnes virtutes ad voluptatem feruntur*. Ita V. Att. ep. 15. *cursus animi*, studium est, quo quis ad rem aliquam fertur. *Goer.*

maximam illam voluptatem habemus] *habere* significat *indicamus*. „Sic autem scripsit Epicurus: Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Vide Laert. lib. X. §. 134, 3. A. Gell. II, 9. Plutarch. in libro: *non posse suaviter vivi secundum Epicurum*. T. II. p. 1088. et Sext. Empir. adv. Mathem. l. I. c. 13. §. 273. 283. *At privationem doloris summum bonum putare, non plane Peripateticorum ac Stoicorum, sed Cinicorum philosophorum est*. Verba sunt Lactant. Div. Inst. l. III. cap. 8, 10. *Davis.*

§. 38. (*quod quibusdam medium videtur*) *quum omni dolore careret*] Parenthesin distinximus, ut loco necessariam. *Careret* autem pro vulgato *caret*, exhibent 5. Davis. 4 mei, bini Oxon. ed. Mars. alii, aliaeque. Verissime: nam vulg. *caret* inde ortum, cum linea super *re* negligeretur; vel etiam, ut ad *videtur* accommodaretur. Sed non est, ut Matthiae vult, pro praesenti positum, imo, pendens a *placuit*, et ex Epicuri mente dictum, proprio tempore. Ceterum recte idem vidit, parentheseos verba explicationis causa a Torquato ipso interseri — Bremi, [Lambin. et nunc Or.] *carere*,

esse, verum etiam summam voluptatem. Quisquis enim sentit, quemadmodum sit affectus, eum necesse est aut in voluptate esse aut in dolore. Omnis autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem: ut postea variari voluptas distinguique possit; augeri amplificarique non
39 possit. At etiam Athenis, ut e patre audiebam,
p. 57. facete et urbane Stoicos ridente, statua est in Ceramico Chrysippi sedentis porrecta manu: quae

omisso *quum* prout P. Manut. coniecerat, uno I. Gronovii cod. [et uno Morel.] *quum* ignorante. Sed ad *careret* cogitabis *voluptas*, ut saepissime. Sine causa Rath etiam *videretur* coniicit. Explicandus autem hic verborum positus ex eo est, quod vox primaria cum vi in clausulam reiecta est. Sic prorsus nihil causae videbis, cur *vv. quum dol. car.* Davisii exemplo, cancellis addicas. *Goer.* Causa depravationis haec fuit, quod *careret* subiecto carere videretur, quod ipsum non opus erat repeti, quum proxime ad *voluptatem* agglutinata sit haec enunciatio. Ego toto animo probo Goerenzii interpretationem, quare recepi optt. codd. lectionem.

ut postea variari voluptas] I. e. *ita, ut si illa voluptas ad hunc summum gradum pervenerit, abinde non crescere amplius, sed varimode affici* (vulgus modificari dicit) *possit.* — *Variari* verbum Epicuri ποικίλλεσθαι reddit, cfr. Laert. X, 144. κυρ. δοξ. XIV. *distingui* explicationis causa additur. Vide infra II, 3, 10. *Goer.*

§. 39. *ut e patre audiebam*] Vulgatur *a patre*: sed *e* reponi iubebant Erl. Spir. Gud. 2. et ex editis Crat. aliaeque. Formam a Graecis petitam putat Goer. sed, id quod ostendere conatus sum ad Caton. Mai. 13, 43. ex talibus locis, ubi *a* et *e* coniuncta reperiuntur, ut ap. Cic. Ep. Fam. X, 28, 6. XIII, 22, 5. hoc tantum colligi potest, aut aurium gratia hoc fieri, aut leve esse discrimen, ut *ex aliquo audire* significet *ex ore alicuius coram verba excipere; ab aliquo audire* simpliciter significet *a quo aliquid audiverimus.*

ridente] Ita cum Spir. scripsimus pro vulgato *irridente*. Offenderat nos prius iam compositum, cum plures scriptos, veteresque editos, *arridente*, cum reliquis nostris, et quatuor Oxonn. et vett. impressis cum Marso, Crat. plerisque omnibus exhibere videremus; et auctorem non tam nostrum *verlachen*, quam *über etwas scherzen*, exprimi voluisse appareret. Tum autem *ridere* Latini. vid. de *Hirro* illo II Divv. ep. 9. *ut dederis nobis — quem semper ridere possemus.* Atque ita saepe. Neque urbanitatis est *irridere; sed ridere* ad hanc proprie pertinet. Causas igitur non leves secuti sumus, cum ita corrigeremus. *Goer.*

Ceramico] Locus celeber Athenis duplex, alter in urbe, alter extra urbem, de quo doctissime egit Meursius in libello de Ceramico gemino, qui exstat in Thesaur. Gronov. T. IV. In loco extra urbem sepulti sunt viri fortes bello caesi, unde etiam eorum statuae eo in loco collocabantur. Originem nominis ita narrat

manus significet, illum in hac esse rogatiuncula delectatum: *Num quidnam manus tua sic affecta, quemadmodum affecta nunc est, desiderat? Nihil sane. At, si voluptas esset bonum, desideraret? Ita credo. Non est igitur voluptas bonum.* Hoc ne statuam quidem dicturam pater aiebat, si loqui posset: conclusum est enim contra Cyrenaicos satis acute: nihil ad Epicurum. Nam si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate affiueret et illaberetur: nec manus esse contenta

Plinius H. N. XXXV, 12. *Fecit et Chalcosthenes cruda opera Athenis* (plastica) *qui locus ab officina eius Ceramicus appellatur.* Cfr. Cic. ad Att. I, 10. De Chrysippi statua vid. Diog. Laert. VII, 182. ibique Menag., qui Ceramicum interiorem intelligit.

quae manus significet, illum in hac esse rogatiuncula delectatum] Sensus est: statuarius significare voluit, Chrysippum saepe magno opere sibi placuisse in rogatiuncula a se callide excogitata identidem adversariis proponenda. Et *delectari in aliqua re* aliquoties exquisite Cicero [Legg. II, 7, 17. *in hoc admodum delector, quod* etc.], quocirca non est, cur hoc iuterpolatoribus deberi censeamus. Delevit *in* Lamb. Goer. inclusit *delectatum*, delevit Sch. quod si fit, significatur, eum semel omnino ita interrogasse, idque temporis punctum, in quo ea rogatiuncula occupatus esset, effictum esse ab artifice. *Orell.* Consilium autem huius imaginis fuit, ut eius dialectica subtilitas, quam in omni vita tenuerat, exprimeretur ad memoriam posterorum. *Rogatiuncula* est h. l. *conclusio* Schlussfolgerung, ut vertit Goerenz. Sic. IV. Fin. 3, 7. *pungunt* (Stoici) *quasi aculeis, interrogatiunculis angustis* Parad. Praef. *Cato-minutis interrogatiunculis quasi punctis, quod proposuit efficit.* Sic etiam *interrogatiuncula* ap. Senec. ep. 82. fin. *interrogatiunculas nectis*, quod exemplum affert Goer. Ita *interrogatio* Acad. I, 2, 5.

nihil ad Epicurum] h. e. ad Epicurum pertinet. II de Divin. 37, 78. *Credo id quidem, sed hoc nihil ad auspicia.* I N. D. 24, 67. *Quid ad rem? deorum enim natura quaeritur.* I Verr. 45, 116. *Iam quid ad praetorem, uter professus sit?* Hos locos laudat Giese ad Divin. I. c.

quasi titillaret — ut ita dicam] Verba γαργαρίζω et γαργαρισμός sunt ipsius Epicuri. cfr. I. N. D. 40, 103. *voluptates, quibus quasi titillatio* (Epicuri enim hoc verbum est) *sensibus adhibetur.* Cum autem Latinis hoc tenore verbum in usu non esset, duplici mitigatione auctor usus est, ut alias *quasi quodammodo* dicit et ad substantt. *quasi praestigiis quibusdam* etc. II. Acad. 14, 45. *Goer.* Vid. de voce *titillatio* quos laudavi ad Caton. Mai. 14, 47. Doederlein latein. Synon. T. III. p. 1. Beier. ad Offic. II, 18, 63. Athenaeum Deipn. XII. p. 564.

ad eos affiueret et illaberetur] Davis. coniicit *allaberetur*: quod Ern. laudat; ego contra vituperandum iudico. Nam *illaberetur*

vacuitate doloris sine iucundo motu. Sin autem summa voluptas est, si placet, nihil dolere: primum tibi recte concessum est, nihil desiderare manum, cum ita esset affecta: secundum non recte, si voluptas esset bonum, fuisse desideraturam. Idcirco enim non desideraret, quia, quod dolore careret, id in voluptate est.

XII. 40 Extremum autem esse bonorum voluptatem, ex hoc facillime perspici potest. Constituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente nec impendente: quem tandem hoc statu praestabiliorem aut magis expetendum possumus dicere? inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis, quod mors sensu careat; dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis soleat esse: ut eius magni-

est se insinuaret — Quem autem fugit figura illa Zeugma grammaticis dicta? Debuisset proprie *et in eos illab.* scribi, sed respuebat auctor pronomen repetitum. Haud ita raro sic vel coactus pron. *is* abiici vides. Infra III. Fin. 2, 6. *neque ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto* (ea.) Adde quod taedium superfluum foret *allaberetur*, cum plane non dispicias, quid h. l. duplex idem notans verbum velit. Nam si eiusmodi synonyma ponuntur, ubique, cur ponantur, intelligitur, quod h. l. secus foret. *Goer.* Exempla Ciceronis plura habet Matthiae ad Cic. II. Catil. §. 19. Ramshorn. p. 713.

Cap. XII.

§. 40. *Constituamus aliquem*] Conferas similem *beati* ex mente Epicuri descriptionem apud Laert. X, 133. qui locus omnino cum seqq. comparari meretur.

et firmitatem animi] Davis. eumque secutus Rath. *et* delere voluerunt. Verum autem vidit Bremi *et* h. l. esse partitivam et deinde per anacoluthon altera parte orationem his verbis pergere, *ad ea quam accedit.* Ita per anacoluthon Cicero plus quam centenis locis; et semper fere, si enunciationes explicativae interseruntur. Eius generis sunt ex maxima parte exempla, quae Hottinger. ad I. Divin. 30, 63. collegit, in quibusque *et* pro *etiam* dici statuit. *Goer.* Vid. nunc ad loc. de Divin. cit. Giese et Excurs. meum de part. *et* apud Cic. pro *ctiam* posita.

dolor in longinq. levis etc.] Apud Laert. lib. X. §. 140. Epicuri verba se sic habent: *Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκί· ἀλλὰ τὸ μὲν ἀκρὸν τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι.* Vide

tudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur. Ad ea quum accedit, ut neque divinum nu- 41
men horreat, nec praeteritas voluptates effluere patiatur earumque assidua recordatione laetetur: quid est, quod huc possit, quod melius sit, accedere? Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nulla spe proposita, fore levius aliquando, nulla praeterea neque praesenti neque exspectata voluptate: quid eo miserius dici aut fingi potest? Quod si vita doloribus referta maxime fugienda est: summum profecto malum est, vivere cum dolore. Cui sententiae consentaneum est, ultimum esse bonorum cum voluptate vivere.

di et §. 33. Plutarch. de Audiend. poet. p. 36. hoc effatum sic refert: *Οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μικροὺς οὐκ ἔχουσιν.* De eo multa veterum loca collegit Cl. Gataker. ad Antonini VII, 33. *Davis.* Cfr. infra II, 29, 94. ubi haec refutantur a Cicerone.

allevatio] Orell. suspicatur scripsisse Cicer. *levatio* (cl. Beier. ad Offic. T. II. p. 411.), sed non opus; sic enim est in Ep. ad Fam. IX, 1. *Etsi tot tantisque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat;* et verbum *allevare* Brut. 3, 12. *nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem aut quod aliqua ex parte sollicitudines allevaret meas. Allevatio* morbi fit per intervalla. vid. infra §. 49. II, 29, 94.

§. 41. *quod huc possit, quod melius sit, accedere*] Sic codd. aliq. P. Cr. V. D. Ern. Br. Orell. qui haec: „inanem istum lusum inter verba *accedere* et *accidere* sapienter sane ipse vitarat Tullius: praesertim, quum *contingendi* vel etiam *eveniendi* verbum ita longe aptius fuisset. Recte vero repetitur *accedere.*" Gud. 2. cum scriptis plerisque *huic p. accedere;* sic etiam Marsus et editt. vett. complures. Gud. 1. et Bas. *hinc — acced. Huc accedit* non habet pleonasmi offensionem, quae fortasse *huic* paruit. Vid. Ep. ad Fam. XI, 10. *Huc accessit manus Ventidii, quae* etc. Sic saepe ap. Cic. *huc accedit* in exaggerandis rebus. *Accedere* autem et *accidere* frequenter confunduntur in codd. Quare quum plurimi libri tueantur *accedere* et sensus sit: nihil posse reperiri, quod melius sit hac fortuna, secutus sum eosdem. Quod praecessit v. *accedere* id nihil offendit. Vide plura huiusmodi repetitionis exempla apud Ochsner. p. 60. Bremi ad Cic. de Fato. p. 4.

nulla praeterea neque praes.] Coniecerunt VV. DD. *nulla praeterita neq. praes.* etc. — *nulla praeterea nec praeterita.* Sed nihil opus esse correctione ostendunt, quae his respondent l. II, 19, 63.

Cui sententiae — tum vol. vivere] Haec in sperlis ponunt Th. Bentl. Walk. et Davis. Causam Bentlei. affert, quod ad haec non

Nec enim habet nostra mens quidquam, ubi consistat, tamquam in extremo: omnesque et metus et aegritudines ad dolorem referuntur: nec praeterea est res ulla, quae sua natura aut sollicitare
42 possit aut angere. Praeterea et appetendi et refugiendi et omnino rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate aut a dolore. Quod quum ita sit, perspicuum est, omnes rectas res atque laudabiles eo referri, ut cum voluptate vivatur. Quoniam autem id est vel summum bonorum vel ultimum vel extremum, (quod Graeci τέλος nominant,) quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes: fatendum est, summum esse bonum iucunde vivere.

XIII. Id qui in una virtute ponunt, et, splendore nominis capti, quid natura postulet, non intelligunt; errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur. Istae enim vestrae eximiae pulchraeque virtutes nisi voluptatem efficerent,

recte verba coeant *metus et aegrit. ad dol. ref.* Ex Bentleii, opinor, grammatica, quae, ne quid sententiis interponatur, studet cavere. At conclusio fit a contrario, quae plene proposita, ipsa deinde ab utraque parte probatur, idque fecisse Ciceronem, ostendunt, quae his respondent II, 19, 63. *deinde concludebas, summum malum esse dolorem, summum bonum voluptatem.* Omnino autem Viri Docti nimium verbis adhaerent, negligentes sententiarum vim melius perscrutari, et, id quod in hos maxime libros cadit, quae opponantur Epicureis a Stoicis quasi ad amussim, ut ne verbulum quidem praeterierint, quod possent captare. Comparandus est igitur, si rectissime de locis dubiis volumus iudicare, secundus liber totus ad singulas paragraphos; quae res, id quod luculentissime ostendam infra capite 20. §. 70. in insigni corruptela levissime corrigenda, omne iudicium veri continet.

quidquam] *Aliud quidquam* est coniectura L. prob. Dav. A sensu hoc postulatur, si comparas *nec praeterea est res ulla.* Nam sensus est: si voluptatem non summum bonum putas, nihil habes, quo possis quietus esse. Neque tamen scribere hoc debemus.

metus et aegritudines] Metus aegritudinis sunt partes. cfr. IV. Tusc. 20, 46. De plurali numero in voc. *metus* egimus ad c. 8. Quid sit *aegritudo* secundum Stoicos vid. Tusc. IV, 7, 14. ibique Kühner.

§. 42. *nullam ad aliam rem*] sc. *refertur*, quod repete ex *referuntur*.

quis eas aut laudabiles aut expetendas arbitraretur? Ut enim medicorum scientiam non ipsius p. 68.
artis, sed bonae valitudinis causa probamus; et gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur: sic sapientia, quae ars vivendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret; nunc expetitur, quod est tamquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis. Quam autem ego dicam voluptatem, iam videtis; 43
ne invidiâ verbi labefactetur oratio mea. Nam quum ignoratione rerum bonarum et malarum maxime hominum vita vexetur; ob eumque errorem et voluptatibus maximis saepe priventur et gravissimis animi doloribus torqueantur: sapientia adhibenda, quae et terroribus cupiditatibusque detractis et omnium falsarum opinionum temeri-

Cap. XIII.

utilitate non arte] i. e. quatenus utilitas cum ea coniuncta est, non quatenus ars est; ita non opus est ut *ablat.* pro *propter* cum *accus.* positus putetur, ut voluit Goerenz. Nego enim omnino hanc esse apud Cicer. vim ablativi. Ablat. eadem ratione h. l. positus, qua cum verbis *metiendi* ablativus ponitur apud Cicer. Est enim idem, quasi dixisset: *utilitate metimur eoque laudamus, non arte.* Vide Excurs. de Ablat. pro *propter* ap. Cic. posito. Ceterum ad haec comparanda sunt, quae Diog. Laert. X, 138. ex Diogenis Tarsensis Ἐπιλέκτων lib. XX. laudat: Διὰ δὲ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς δεῖν αἱρεῖσθαι, οὐ δι' αὐτάς· ὥσπερ τὴν ἰατρικὴν διὰ τὴν ὑγίειαν. ubi vid. Menag. et infra V, 31, 93.

si nihil efficeret] Εἰ μή τι ἐξεργάσαιτο; i. e. *nisi utilitatem fructumque afferret aliquem.* De hac verbi vi vid. Ern. Clav. h. v. *Goer.*

§. 43. *Quam autem ego dicam volupt.*] Sic Erl. Gud. 2., quod placet Orellio, relicit Goer., quod non respondeat *vos iam videtis.* At docuit Wunderus V. Cl. ad Cicer. or. pr. Planc. c. 20, 49: *ego* etiam alibi a scriptoribus latinis additum reperiri, ubi vix ulla sit personarum oppositio, et multo plura huius pronominis temere ab librariis omissi quam additi exempla exstare. Haec quod vera puto, recepi ex optt. codd. pronomen, quod omiserunt, quia nullam videbant personarum oppositionem. Vide Cic. de Divin. I, 23, 46. *Quid ego, quae magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dinonis Persicis proferam?* hic nulla est oppositio. Coniungit autem sic saepe Cicero pron. relat. cum *ego.* Vid. exempla plurima apud Beier. ad Offic. II, 18, 63. p. 123.

sapientia adhibenda] Sic Erl. et Spir. — *adh. est* Gud. 2. et Bas. — Cett. *est adh.* Omissio est vera, quum Cicero in praecipiendo et maxime ad Part. Fut. pass. in *dus* verbum sub-

tate derepta certissimam se nobis ducem praebeat ad voluptatem. Sapientia est enim una, quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat: qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto; cupiditates enim sunt insatiabiles: quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt;
44 totam etiam labefactant saepe rempublicam. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur; nec hae sese foris solum iactant; nec tantum in alios caeco impetu incurrunt: sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident atque discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici: ut sapiens solum, amputata circumcisaque inanitate omni et errore, naturae finibus contentus, sine aegritudine possit et sine metu
45 vivere. Quae est enim aut utilior aut ad bene vivendum aptior partitio, quam illa, qua est usus Epicurus? qui unum genus posuit earum cupiditatum, quae essent et naturales et necessariae: alterum, quae naturales essent nec tamen necessariae: tertium, quae nec naturales nec necessariae. Quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa

stantivum omittat. Vide hac de re optime disputantem Beier. ad Cic. Off. I, 8, 25. T. I. p. 57. II, 18, 64. T. II. p. 125.

§. 44. *Ex cupiditatibus odia* etc.] Cfr. II. N. D. 16, 42. infra §. 58.

sese iactant] i. e. *se proiiciunt.*

sapiens solum] Ne quis cum L. Dav. Ern. legat *solus*, monendum, *solum* ad rationem, non ad personam h. l. referri. Sensus est: nulla alia ratione, nisi sapientia sine aegritudine vivi posse: *sapiens solus* significaret *nemo praeter sapientem.*

inanitate omni et errore] Est singularis illa Epicuri distinctio, qua eas ille cupiditates κενὰς appellabat, quae nihil ad vitam conferrent, cum nec naturales essent, nec necessariae. Hinc in seqq. *inanium cupiditt.* saepius mentio iniicitur, cfr. §. 46. etc. Has hac in voce auctor cogitasse videri potest: sed rectius putabis, per ἓν διὰ δυοῖν expressam his esse Graecam vocem κενοδοξίαν, Epicuro frequentatam, cfr. Diog. Laert. X, 149. quippe quae ipsa illarum fons sit atque origo. *Goer.*

§. 45. *illa partitio*] Vide II, 9, 26.

Quarum ea ratio est] Sic recte distinguendum esse censeo;

nec impensa expleantur. Ne naturales quidem 46
multa desiderant, propterea quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles et terminatas habet; inanium autem cupiditatum nec modus ullus nec finis inveniri potest.

Quod si vitam omnem perturbari videmus XIV.
errore et inscientia: sapientiamque esse solam, quae nos a libidinum impetu et a formidinum terrore vindicet et ipsius fortunae modice ferre doceat iniurias et omnes monstret vias, quae ad quietem et tranquillitatem ferant: quid est, cur dubitemus dicere, et sapientiam propter voluptatem expetendam, et insipientiam propter molestias esse fugiendam?

Eademque ratione ne temperantiam quidem 47
propter se expetendam esse dicemus; sed quia pacem animis afferat et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim, quae in

nam brevi de his tribus generibus nunc disputat, ubi leve est anacoluthon: debuerat enim ita dicere: *ea ratio est, ut necessariae etc. — naturales multa q. desiderent — inanium autem — possit.* Sed usus est anacolutho, quod graviorem requirebat auctor orationem, quae simplici illa divisione non efficeretur.

§. 46. *quod ipsa natura*] Haec plene et accurate expressa vide ex Epicuri κυρ. δοξ. XV. Laert. X, 144. Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται, καὶ εὐπόριστός ἐστιν. *Divitiae* pro *rerum affluentia* dicuntur. Eaeque *terminatae* sunt, i. e. non vagae, sed certis suis finibus circumscriptae: quod contra fit in cupiditatibus *inanibus*. *Goer.*

Cap. XIV.

errore et inscientia] Spir. Bas. Oxonn. E. ξ. P. Cr. V. M. *insscitia*. Vide Excurs. de verbis *inscitia* et *inscientia*.

a formidinum terrore] cfr. c. 19, 63. *omnium autem rerum natura cognita — non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles existunt saepe formidines.* Expressit autem his duo Epicuri verba ἀχονία et ἀταραξία. cfr. Diog. Laert. X. §. 136. *Formido* est summus gradus timoris; vid. Doederlein. latein. Syn. T. II. p. 196. seqq.

ad quietem et tranquillitatem] *Tranquillitas* est *animi ab affectu alicuius impetu; quies cessatio laboris.* Vide accurate disputantem Doederlein. latein. Synon. T. II. p. 80. Sed hanc differentiam non esse perpetuam exempla docent ab eodem allata, ubi ut h. l. coniunctae reperiuntur voces.

§. 47. *Temperantia est enim*] Σωφροσύνην cogita, ut ex vocis definitione patet. cfr. Plat. IV. de Rep. p. 349. Bip. Κόσμος τού

rebus aut expetendis aut fugiendis rationem ut sequamur monet. Nec enim satis est iudicare, quid faciendum non faciendumve sit: sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum; plerique autem, quod tenere atque servare id, quod ipsi statuerunt, non possunt, victi et debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec, quid eventurum sit, provident, ob eamque causam propter voluptatem et parvam et non necessariam et quae vel aliter pararetur et qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt: saepe etiam
48 legum iudiciorumque poenis obligantur. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas dolores consequantur: et qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiunt non esse faciendum: hi voluptatem maximam adi-
p. 59. piscuntur praetermittenda voluptate. Iidem etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter se esse fugiendam temperan-

τις ἡ σωφροσύνη, καὶ ἡδονῶν τινων καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια. Quem locum Cic. sic imitatus est I. Offic. 27, 1. *in qua* (reliqua honestatis parte) *verecundia, et quasi quidam ornatus vitae, temperantia, — cernitur. Goer.* Vid. ad h. l. Beier.

quod ipsi statuerunt] Sic Spir. Erl. recte. Respondent enim §. 48. verba: *qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiunt non esse faciendum*; quo loco intelliguntur ii, qui in iis perstant, quae, ut optima, sequenda esse iudicarunt. — Cet. om. *ipsi*.

§. 48. *voluptatem maxim.*] Quod *ὀξύμωρον* sic Epicuri verbis explicaveris: *τὴν ἡδονὴν τὴν καταστηματικὴν εὑρίσκουσι, τῆς ἐν κινήσει οὔσης ἡδονῆς καταφρονοῦντες.* De re ipsa cf. Tenneman. Gesch. der Philos. IV. p. 360. Neque sane poterat Epicurus summam voluptatem in *indolentia* sitam putare, si summum bonum ponere volebat, vagum et *ἄστατον*. *Goer.*

nec intemperantiam - temperantiamque] *Nec - que* sibi respondent eodem anacoluthi genere, quo *nec — et* c. I, 3. ubi vid. not. cfr. Horat. Turnell. de Partic. p. 447. Matthiae ad Cicer. or. II. in Catil. §. 28. Kuehner. ad Tuscul. Disp. I, 4, 7. p. 53. a. Sic ap. Graecos *οὔτε — τε* sibi respondent. Vid. Matthiae Gr. Gr. maxim. p. 1226. ed. II.

esse fugiendam] Sic Spir. et Erl. — Cet. *fug. esse*.

tiamque expetendam: non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur.

Eadem fortitudinis ratio reperietur. Nam ne- XV.
que laborum perfunctio neque perpessio dolorum 49
per se ipsa allicit: nec patientia nec assiduitas nec vigiliae nec ipsa, quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem: sed ista sequimur, ut sine cura metuque vivamus: animumque et corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur; et ut, succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque ferre miserum est; ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt: sic robustus animus et excelsus omni est

Cap. XV.

§. 49. *fortitudinis*] Quid sit *fortitudo* docet Cic. Off. I, 19, 62. seqq.

assiduitas] Sic codd. potiores Goerenzii. M. L. O. — *assiduitates* ceteri. Pluralis numerus ortus est e v. *vigiliae*, ut cap. 8, 27. *iracundiae* ex *contentiones*. vid. not. ibid. De *assiduitate* vide optime disputantem Doederlein latein. Synon. T. I. p. 117. et Addenda T. III. p. 312.

nec ipsa, quae laudatur, industria] Sic Spir. Erl. Gud. 2. Bas. — Ceteri *ea ipsa*, quo non opus esse, apparet ex his, quae dixi ad c. 4, 10. Vis est autem in v. *laudatur;* nam est etiam alia industria pravis in rebus obtinendis occupata. Quae laudatur industria est in laudabilibus rebus collocata.

ne fortitudo quidem] Suspecta haec censori Heidelbergensi. Iniuria, opinor. Nam auctor quum antea scripsisset *Eadem fortitudinis ratio reperietur*, easque deinde virtutes posuisset, quae in fortitudine insunt, cum asseveratione haec addit, quo fortior fiat oratio: *ne ipsam quidem fortitudinem quasi matrem laudatarum virtutum per se allicere.* Nam quum primum de temperantia dixisset, nunc de fortitudine disputare vult, et verba *Eadem fortit. rat. rep.* quasi titulum novae disputationis efficiunt, et comparationem cum temperantia continent, cuius quum partes exposuisset, ad summam sententiam redit de fortitudine plura dicturus. Sic saepe in suspicionem adducuntur loci integerrimi. Vid. Ind. s. v. *Suspecta verba* in libris de Fin. Orellius coniecit scribendum esse: *nec ea, quae laudatur industria, ne ipsa fortitudo quidem.*

perdiderunt] Goerenz. explicat aoristi Graeci loco: *perdiderunt: perdere solent.* At haec perfecti Latini vis non est apud Ciceron. usitata. Nam qui afferuntur loci a VV. DD. aliter sunt intelligendi. Ramshorn. p. 401. 6., b. nostrum solum locum laudat. Alter locus, quem notavi, Offic. I, 44, 155. *Atque illi,*

liber cura et angore, quum et mortem contemnit, (qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati:) et ad dolores ita paratus est, ut meminerit, maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos: ut, si tolerabiles sint, feramus; si minus, aequo animo e vita, quum ea non placeat, tamquam e theatro, exeamus. Quibus rebus intelligi-

quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis utilitatibus et commodis non recesserunt, a Beiero quidem explicatur *ἀοριστῶς*, *recedere solent*. Sed si totum locum legis, reperis, plane esse historicum; narratur enim, quid illi fecerint, qui versati sint aliquando in rerum cognitione. Speciem veritatis habet ille locus Parad. II, 18. *quocunque aspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt iniuriae.* Sed est interpretandus: wohin du dich nur einmal magst gewandt haben. Tusc. II, 22, 52. *Nec si pes condoluit, si dens, si tactum dolore corpus, ferre non possumus.* Sed est: wenn ein Fuss angefangen hat, wehe zu thun. Hoc modo examinandi sunt omnes loci, quos attulit ex Cicer. Wopkens. Lectt. Tull. p. 238. ed. Frotscher. p. 132. Alia exempla equidem non reperi apud Cicer. Apud poetas autem et alios scriptores hunc perfecti usum satis esse frequentem non opus est exemplis docere. Rationem attulit Hermann. ad Viger. p. 746. Cfr. Walch. ad Tacit. Agric. p. 104. seq. Kritz. ad Sall. Catil. 51, 11. Frotscher. ad Quinctil. X, 1. p. 10. 7, 14.

quum et mortem contemnit] Vix est credibile, quas sibi difficultates hoc in loco, qui est facillimus ad intelligendum, fecerit Orell. Primum *et* pro *etiam* positum ei videtur, unde omnis ei est labor. Omittere igitur vult molestum illud *quum*, quod non est molestum, sed connexus hic est: ut mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur, sic robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore quum [wann] mortem contemnit; *et* autem respondet altero *et*, sowohl — als auch. Orellius erravit eo, quod idem, quod scribis tribuit, ipse peccavit; putat enim *quum* esse causalem particulam, *da*. Verba *et ad dolor.* respondent illis *et ut succumbere dolori*. [Cf. R. Klotz. Quaest. Tull. Lib. I. p. 47. sq. qui non minus Orellium vituperat.]

qua qui affecti sunt etc.] Sensus est: qui mortui sunt, nihil sentiunt; non ergo sentiunt dolores, ut nec ii, qui nondum nati sunt. Cfr. Tuscul. I, 5, 9. seqq.

qua antequam nati] dictum est pro: in qua fuerunt, antequam nati sunt. Vid. Excurs. de omissa praep. secundo membro ponenda ad II, 13, 40.

si minus] Sic omnes codd. Goerenzii. — Ceteri *sin minus*, quod quum item in oppositione ponitur, ad optimorum codd. lectionem est confugiendum. Vid. Ramshorn. p. 592. August Grotefend. latein. Gramm. §. 246. subtiliter hac de re disputat.

tamquam e theatro] Tertium comparationis, quod vocant, in *libertate* positum est, qua aeque vitam atque theatrum relinquere liceat. Ceterum videtur his Stoicorum oratio imitata esse, quo-

ur, nec timiditatem ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine: sed illas reiici, quia dolorem pariant; has optari, quia voluptatem.

Iustitia restat, ut de omni virtute sit dictum, sed similia fere dici possunt. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli nec distrahi possint: sic de iustitia iudicandum est: quae non modo numquam nocet cuiquam, sed contra semper allicit quum vi sua atque natura, quod tranquillet animos, tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret. Et quemadmodum temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et semper sollicitant turbulentaeque sunt: sic iniustitia cuius in mente con- XVI. 50

rum illud praeceptum proprium erat: cum contra Academicis Φρονρᾶς λύειν ἑαυτόν, cfr. Plat. Phaed. c. 6. *vincula carceris rumpere* I. Tusc. 30, 74. vetitum esset. Hanc autem rationem vere ab Epicuro profectam esse, docet Lucret. III, 950 — 956. *Goer.* De decreto illo Stoicorum *licere egredi e vita, quum iustam causam habeas mortis* vide uberrime disputantem Beier. ad Cic. fragm. orat. pro Scaur. p. 151. b.

optari] propria vi verbi *eligi* h. l. notat.

Cap. XVI.

§. 50. *Iustitia*] Vide Offic. I, 7, 20. seqq.

ut de omni virtute sit dictum] de cardinalibus tribus reliquis virtutibus, (cfr. Offic. I, 4.) auctor in prioribus egerat, ut ipse addit. *Restat ea, quae omnem vitae actionem complectitur et continet, et ad quam referenda sunt omnia* I. Off. 14, 42. *Goer.*

nec divelli nec distrahi] Duplex *nec* monet, haec ad diversa applicari; quod negligendum minime. Hoc autem monere, est, notiones diversas confundi nolle. *Divelli* igitur de extranea vi, *distrahi* de sententia, quae animo fovetur, intelligendum. *Goer.*

natura non depravata] *Depravata natura* eorum est, qui se cupiditatibus inanibus, quae sunt inexplebiles, §. 43. 44. constringendos tradiderunt, atque his victi et debilitati degenerarunt. *Goer.* cfr. §. 30.

desideret] e codd. Grut. D. 1. Br. 2. ut §. 63. extr. — Cet. *desiderat.*

Et quemadmodum etc.] *temeritatem* sapientiae, *libidinem* temperantiae, *ignaviam* fortitudini opponit.

sic iniustitia] Sic cod. vel coniectura Ursini verissima. Desideratur haec vox in omnibus codd., sed, quod mirum est, legitur postea in plerisque codd. *turbulenta non potest fieri*, ad quae verba subiectum requiritur, quod fuisse videtur *iustitia*, profectum ab iis,

sedit, hoc ipso, quod adest, turbulenta est: si vero molita quippiam est, quamvis occulte fecerit, numquam tamen id confidet fore semper occultum. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum iudex; multi etiam, ut te consule, ipsi se indicaverunt.

51 Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam septi esse et muniti videntur, deorum tamen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, a diis immor-

qui haec opponenda arbitrati sunt his: *quemadmodum temeritas — turbulentaeque sunt.* Sed non attenderunt ad sequentia, quae satis ostendunt de *iniustitia* disputari, idque eo esse factum, ut, quum antea auctor *iustitiam* cum tribus cardinalium virtutum reliquis comparasset, deinde *iniustitiam* cum vitiis, illis tribus virtutibus oppositis, committeret. Eo autem, quod iniustitiam hominum animos perturbare indeque voluptate privare docet, ostendere vult iustitiam esse praeferendam, quae libera sit ab animi perturbatione, voluptatemque afferat; non igitur propter se esse expetendam iustitiam Torquatus dicit, sed quod voluptatis sit effectrix. Quae si recte sunt explicata, intelligitur cur *iniustitiae* vocabulum sit recipiendum, obliteratum quippe, quod contexta non satis perspicerent librarii. Iam quum recepta esset lectio *iustitia — turbulenta non potest fieri* (necessario autem *non potest fieri* scribendum erat, ut sensus recte se haberet, si praecesserat *iustitia*), obliteratum est verb. substant. *est* post *turbulenta*, quod mutatum est in *et*, ut, quae sequerentur, coniungerentur cum iis, quae praecessissent. Recte autem Censor Heidelberg. scripsit *turbulenta est.* Nam quod retinuit *et* vertens: *und wenn auch wirklich*, id quo pertineat non intelligo; postulatur enim, si ita vertas, oppositio, quae hoc in loco non est.

molita est] h. e. meditata nefas fuerit. Huc pertinet Epicureum illud κυρ. δοξ. Laert. X, 151. *Οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους (οἱ ἄνθρωποι) εἰς τὸ μὴ βλάπτειν, μηδὲ βλάπτεσθαι, πιστεύειν, ὅτι λήσει.* Cfr. Fin. II, 16, 52. seqq. quae nostris respondent.

sermo atque fama] Das Gerede und das üble Gerücht. Epicurus l. c. *ἡ ἀδικία οὐ καθ' ἑαυτὸν κακόν, ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότες κολασταί.* Vide Lactant. de Ira dei c. 17, 6. 7.

§. 51. *noctes atque dies*] Sic cum codd. M. L. 1. G. 2. O. — *noctesque diesque*, omnes codd. Goerenzii P. Cr. V. D. Br., quod ortum est ex poetica formula. Sed unice verum videtur *noctes atque dies*, quod in plurimis codd. obliteratum est formula frequentiori *noctes et dies.* Goer. putat scriptum esse *noctes diesque*, quod rare Cic. hac in forma *noctes* praeponat. v. c. I. Orat. 61, 260. Sed eadem forma *noctes et dies* reperitur in Brut. 90, 308. pro Arch. 11, 29. Tusc. V, 25, 70. 39, 113. *dimensionibus noctium ac dierum* de Rep. III, 2, 3. *nox et dies* Tim. 9, 9.

alibus supplicii causa importari putant. Quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitae molestias accessio fieri potest, quanta ad augendas, quam conscientia factorum, tum poena legum odioque civium? Et tamen in quibusdam neque pecuniae modus est neque honoris neque imperii nec libidinum nec epularum nec reliquarum cupiditatum: quas nulla praeda umquam improbe parta minuit; sed auget potius atque inflammat: ut coercendi magis, quam dedocendi esse videantur. Invitat igitur 52
vera ratio bene sanos ad iustitiam, aequitatem, fidem; neque homini infanti aut impotenti iniuste facta conducunt; qui nec facile efficere possit, quod conetur, nec obtinere, si effecerit: et opes vel fortunae vel ingenii liberalitati magis conveniunt; qua qui utuntur, benivolentiam sibi conciliant, et, quod aptis- p. 60.
simum est ad quiete vivendum, caritatem; praesertim quum omnino nulla sit causa peccandi. Quae 53
enim cupiditates a natura proficiscuntur, facile ex-

§. 52. *Neque — et opes* sibi respondent.

homini infanti] *homo infans* h. l. est *indisertus*, *ineloquens*, cui respondet *opes ingenii* i. e. eloquentia parta ingenio. Sic saepe *ingenium* et *infans* sibi opponuntur. Cic. Brut. 26. *Fanii historia neque nimis est infans, neque perfecte diserta.* pr. Cluent. 18. extr. *Timebam, si nihil dixissem, ne infantissimus existimarer.* Rhetor ad Herenn. II, 11. *Dialectici, dum caute expediteque loqui volunt, infantissimi reperiuntur.* — *Impotenti* opponitur: *opes fortunae* i. e. fortunae opes eorum, qui vel nobilitate generis vel divitiarum magnitudine insignem in civitate auctoritatem sibi peperere. *Infanti* autem et *impotenti* iniuste facta non conducere dicuntur, quum nec eloquentia nec potentia ipsi suppetant, quibus agendi rationem vel defendere vel probare imperitis possit. *Opibus* contra *fortunae* et *ingenii* rectius *liberalitatem*, quam iniuste agendi rationem convenire dicit auctor. *Obtinere* significat *retinere* behaupten. Sic infra II, 22. qui locus nostro respondet, *non metuet autem, sive celare poterit, sive opibus magnis, quicquid fecerit, obtinebit.*

§. 53. *Quae enim* etc.] Epicurus apud Stobaeum Serm. XVII. p. 157. *χάρις τῇ μακαρίᾳ φύσει ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἑτοίησεν εὐπόριστα· τὰ δὲ δυσπόριστα, οὐκ ἀναγκαῖα.* Et p. 159. *Οὐ γὰρ ἡ τῆς φύσεως ἡδονὴ τὴν ἀδικίαν ποιεῖ ἐξωθεν, ἀλλ' ἡ περὶ τὰς κενὰς δόξας ὄρεξις.* Idem apud Laert. X, 130. *Τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι· τὸ δὲ κενὸν, δυσπόριστον.* Vide sis et §. 144. *Κυρ. δοξ.* XV. atque ibi Menag. Quales vero sint cupidi-

plentur sine iniuria ulla: quae autem inanes sunt, his parendum non est; nihil enim desiderabile concupiscunt, plusque in ipsa iniuria detrimenti est, quam in his rebus emolumenti, quae pariuntur iniuria. Itaque ne iustitiam quidem recte quis dixerit per sē ipsam optabilem, sed quia iucunditatis vel plurimum afferat. Nam diligi et cārum esse iucundum est, propterea, quia tutiorem vitam et voluptatem efficit pleniorem. Itaque non ob ea solum incommoda, quae eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus: sed multo etiam magis, quod, cuius in animo versatur, numquam sinit eum
54 respirare, numquam acquiescere. Quod si ne ipsarum quidem virtutum laus, in qua maxime ceterorum philosophorum exsultat oratio, reperire potest exitum, nisi dirigatur ad voluptatem, voluptas autem est sola, quae nos vocet ad se et alliciat suapte natura: non potest esse dubium, quin id sit summum atque extremum bonorum omnium, beatēque vivere nihil aliud sit nisi cum voluptate vivere.

XVII. Huic certae stabilique sententiae quae sint con-
55 iuncta, explicabo brevi. Nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est, in voluptate aut in dolore: sed in his rebus peccant, quum, e quibus haec efficiantur, ignorant. Animi autem voluptates et dolores nasci fatemur e corporis volu-

tates φυσικαὶ et ἀναγκαῖαι, docebit §. 149. *Davis.* Vid. infra II, 9, 26. seqq.

sine iniuria ulla] Sic tres. codd. Goer. — Goer. Orell. *sine ulla iniuria* — om. prorsus *ulla* codd. aliq. Mars. Cum vi postponitur pronomen, ut de Orat. I, 23, 108. *Nam si ars ita definitur, ut paullo ante exposuit Antonius — non mihi videtur ars oratoris esse ulla.*

§. 54. *Quodsi*] Wenn daher. Refertur haec sententia ad id, quod demonstrare conatus erat Torquatus, *virtutes per se ipsas non esse expetendas, sed propter voluptatem.*

exitum] *optabilem, quem optamus.*

Cap. XVII.

§. 55. *in his rebus peccant*] Sensus est, *non in finibus ipsis errant, sed errant in hoc, quod nesciunt, unde hi fines existant, constituantur. In his rebus* nihil aliud est, quam *in his, quae huc referuntur. Goer.*

ptatibus et doloribus. Itaque concedo quod modo dicebas, cadere causa, si qui e nostris aliter existimant: quos quidem video esse multos, sed imperitos: quamquam autem et laetitiam nobis voluptas animi et molestiam dolor afferat: eorum tamen utrumque et ortum esse e corpore et ad corpus referri: nec ob eam causam non multo maiores esse et voluptates et dolores animi, quam corporis; nam corpore nihil nisi praesens et quod adest sentire possumus; animo autem et praeterita et futura. Ut enim aeque doleamus animo, quum corpore dolemus; fieri tamen permagna accessio potest, si aliquod aeternum et infinitum impendere malum nobis opinemur. Quod idem licet transferre in voluptatem; ut ea maior sit, si nihil tale metuamus. Iam illud quidem perspicuum est, 56
maximam animi aut voluptatem aut molestiam plus aut ad beatam aut ad miseram vitam afferre momenti, quam eorum utrumvis, si aeque diu sit in corpore. Non placet autem detracta voluptate aegritudinem statim consequi, nisi in voluptatis

quod modo dicebas, cadere causa] Referuntur haec ad §. 25. *Homines optimi non intelligunt, totam rationem everti, si ita res se habeat*, scil. recta et honesta per se facere laetitiam i. e. voluptatem; nec animi voluptatem etc. e corporis voluptate nasci.

si qui — existimant] Ern. invitis scriptis editisque omnibus *existiment*, quia orationem indirectam hunc modum postulare putaret. Sed *si qui* modeste dictum est pro *quicunque*, ut II. Legg. 23, 58. *Credo fuisse — eos, si qui hoc virtutis causa, soluti legibus, consecuti sunt.* Exempla habet Beier. ad Cic. Off. I, 16, 52. Zumpt. Gr. Lat. §. 737. ed 5. Haec si ad sensum accommodas adiectivam efficiunt notionem: *omnes aliter existimantes*, inde tum recte indicativus modus ponitur.

praesens et quod adest] *praesens* ad tempus refertur, *adest* ad locum. *Quod adest* est τὸ παρὸν i. e. rerum praesens status et conditio. Coniunguntur autem hae voces etiam alibi. v. c. Offic. I, 4, 11. Cfr. Kuehner ad Tusc. IV, 7, 14. De re vid. Cic. N. D. I, 40. Clemens Alex. Strom. II. pag. 498. Plutarch. *non posse suav. viv.* etc. T. II. p. 1088. E. adv. Colot. 1125. Cic Fin. II, 27. Diog. Laert. X, 137. Tusc. V, 33. Senec. vit. beat. 6. Hos locos citat Davis.

Ut enim] licet enim dolor animi cum eo corporis par sit, tamen inde ille maior multo evadere potest. *Goer.*

ut ea maior sit] i. e. *ita ut ea* etc. Cfr. II. Acad. 4, 10. *Etsi heri — id, quod quaerebatur, paene explicatum est, ut tota*

locum dolor forte successerit: at contra gaudere nosmet omittendis doloribus, etiam si voluptas ea, quae sensum moveat, nulla successerit: eoque intelligi potest, quanta voluptas sit non dolere.
57 Sed ut his bonis erigimur, quae exspectamus: sic laetamur his, quae recordamur. Stulti autem malorum memoria torquentur: sapientes bona praeterita, grata recordatione renovata, delectant. Est autem situm in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus et secunda iucunde ac suaviter meminerimus. Sed quum ea, quae praeterierunt, acri animo et intento intuemur, tum fit, ut aegritudo sequatur, si illa mala sint; laetitia, si bona.

XVIII. O praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! Quum enim certe nihil homini possit melius esse, quam vacare omni dolore et molestia perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus: videtis, quam nihil praetermittatur, quod vitam adiuvet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequa-

fere quaestio tractata videatur — tamen etc. I, 9, 33. *quas mirifice Plato erat amplexatus, ut in his quiddam divinum inesse diceret.* Fin. I, 12, 40. extr.

§. 57. *Est autem situm in nobis*] h. e. *a natura habemus.*

iucunde ac suaviter] Citat hunc locum Doederlein latein. Synon. T. III. p. 258. propter discrimen, quod intercedit inter *iucunde* et *suaviter; iucunde* enim ad animum refertur; *suaviter* ad sensus externos.

acri animo et intento] Sic tres codd. optimi Goer. „quod utique videtur melius, [quam *attento*, haec est enim vulgata lectio] similitudine ab oculorum acie desumpta. IV. Tusc. 17, 38. *acrem in omnes partes aciem intendit.* Flacc. 12, 26. *intentis oculis acerrime contemplari. Goer.*

si bona, laetitia] Sic Erl. quod probat Goer. ex auctoris enunciata sibi opposita invertendi more. Recte.

Cap. XVIII.

apertam] i. e. planatam, munitam; ut *simplex* unam eamque veram innuit, *directa* denique, quae non per ambages, sed ad rectam quasi lineam ducit. *Goer.*

videtis] Sic Spir. omisso *ne*, quod in aliis codd. et editt. annexum est huic verbo interrogative.

quam nihil praetermittatur] i. e. *wie so ganz und gar nichts*

mur? Clamat Epicurus, is, quem vos nimis vo- p. 61.
luptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde vivi, nisi sapienter, honeste iusteque vivatur: nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. Neque 58
enim civitas in seditione beata esse potest, nec in discordia dominorum domus: quo minus animus a se ipse dissidens secumque discordans gustare partem ullam liquidae voluptatis et liberae potest; atque pugnantibus et contrariis studiis consiliisque semper utens nihil quieti videre, nihil tranquilli [potest.] Quod si corporis gravioribus morbis 59
vitae iucunditas impeditur: quanto magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum,

übergangen wird. Sic componuntur adverbia gradationis tum demonstrativa, tum relativa, ut *quam*. Vide exempla apud Eilendt. ad Cicer. Brut. 60, 217. p. 157. a.

Clamat] i. e. *clarissimis verbis docet*: ut enim *clamat* de clara et cum vi expressa voce dicitur, h. l. ad clare et graviter expressam sententiam eleganter transfertur. *Goer.*

non posse — nisi iucunde] Recte vidit Davis. his ipsa Epicuri verba exprimi, cfr. ex eius κυρίαις δόξαις apud Laert. X., 140. Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως. Vide eadem expressa inf. II, 16. et in Tusc. Dispp. saepius. Graeca verba ex parte laudantur XV. Divv. ep. 19. *Goer.* Senec. de vit. beat. c. 10.

§. 58. *Neque enim civitas*] Tres optimi mei *enim* delent. Sed librarii in hac particula haud raro offendunt, si, ex Graeci γὰρ usu, exemplum afferentis est, ut h. l. Neque id mirum, cum eam tum vel VV. DD. sollicitent. cfr. pro Milon. 3, 8. *Neque enim posset aut Ahala* etc. ubi *enim* Ern. Scheller, alii, vel damnant, vel perverse explicant. Eadem ratio est in *Nam*, quae tum fere in *Iam* pravari solet, cfr. ad I Acad. 9, 34. *Goer.*

a se ipse] Goer. dicit, *suos* omnes habere *a se ipso*, idque esse rectius. Non credo. Nam *ipse* est: *non aliunde motus*. Vult enim auctor significare, ut si seditione prematur civitas, non possit ea esse beata, ita nec animum, si vel ipse secum discordet; satis id esse miserum, si a rebus externis permoveatur. *A se ipso* est *non ab alia re dissidens*, quod ad hunc locum no quadrat.

nihil tranquilli potest] Inclusi voc. *potest* tertio loco repetitam cum Goer. Posuit is, cui clausula *nihil quieti videre, nihil tranquilli* non satis concludere videbatur sententiam. De coniunctis vocibus *quietus* et *tranquillus* vide ad c. 14, 46.

§. 59. *Quodsi corporis*] Haec periodus pertinet ad inversam sententiam: *nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde.*

immensae atque inanes] cfr. §. 43. ubi *insatiabiles* dicuntur. Cfr. II, 26. seq.

gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum: accedunt aegritudines, molestiae, moerores, quì exedunt animos conficiuntque curis hominum non intelligentium, nihil dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis praesenti futurove seiunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat; nemo igitur eo-
60 rum non miser. Accedit etiam mors, quae, quasi saxum Tantalo, semper impendet: tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest. Praeterea bona praeterita non meminerunt, praesentibus non fruuntur; futura modo exspectant, quae quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore et metu: maximeque cruciantur, quum sero sentiunt, frustra se aut pecuniae studuisse aut imperiis aut opibus aut gloriae; nullas enim consequuntur voluptates, quarum potiendi

exedunt animos] Sic Spir. Recte. Est enim sententiae vis in verbo, non in substantivo. Genitivi a substantivo regente, id quod optime notavit Goer., tam longe distracti, instar paene eorum, qui apud Graecos consequentiae vocantur, et in rarissimis exemplis ponendi. Ne autem in hoc verborum positu vitium odoreris, notandum est, ita *hominum*, quod ad *animos* pertinet, postpositum esse, ut alias *eius*, *eorum* etc. pro *et quidem eius* vel *eorum dico*, solet; hoc sensu, *et quidem eiusmodi hominum, qui non intelligunt*. *Goer.* Exempla huius verborum collocationis habet Beier. ad Cic. Offic. II, 9, 34. extr. p. 68. Matthiae ad or. IV. Catil. 8, 16.

§. 60. *quasi saxum Tantalo*] Applicat hanc fabulam paullo aliter, sed more plane Epicureo, Lucret. III, 995. seqq. *miser impendens magnum timet aëre saxum Tantalus — cassa formidine torpens. Sed magis in vita divum metus urget inanis Mortales.* Bene autem h. l. Rosa monet, proverbiali ritu hoc Tantali saxum de imminentium periculorum metu dici, laudato Archilochi fragm. ap. Schol. Pindari Olympp. od. I, 30. *μηδ' ὁ Ταντάλου λίθος τῆς ὑπὸ νήσου κρεμάσθη.* coll. Pindar. ipso Isthm. od. 8, 19. seqq. *ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς τοῦ Ταντάλου λίθον παρά τις ἔτρεψεν ἄμμι θεός.* De fabula ipsa vid. intt. ad Virg. Aen. VI, 602. seqq. Ceterum videtur ille gladius, quem Dionysius tyrannus Damocli in seta suspendit, ab hoc Tantali saxo quasi imitatus esse. *Goer.* Vid. Tusc. V, 21, 61. De Tantalo adde ibid. IV, 16. in.

angore et metu] *metus* est opinio mali futuri s. metus, te id non assecuturum, quod speras; *angor* est incertitudo animi, qua speratur et metuitur.

inflammati multos labores magnosque suscepe-
. Ecce autem alii minuti et angusti aut omnia 61
per desperantes aut malevoli, invidi, difficiles,
fugi, maledici, monstrosi: alii autem etiam
itoriis levitatibus dediti, alii petulantes, alii au-
es, protervi, iidem intemperantes et ignavi,

. 61. *minuti*] quid sit explicatur his: *aut omnia semper de-
ntes.*
ngusti] sunt *malevoli* etc.
alevoli etc.] Accurata serie hi singuli et ordine cogitato po-
ar. Nam *invidi* sunt, quorum *malevolentia* in eam magnitu-
n excrevit, ut, quidquid in altero boni viderint, non in se
im, animum inde exedant, cum illius odio. Hi tales evadunt,
s vulgus *intractabiles*, bene Latini propria voce *difficiles* vo-
Ex his denuo ii enascuntur, qui hominum celebritatem fugi-
tristitiae cuicumque suae indulgentes. cfr. III. Att. ep. 7. *Odi
ritatem, fugio homines, lucem adspicere vix possum.* Qui ipsi,
mera adiectiva unice recte, non *lucifugae*, sed *lucifugi* di-
maledicentiae fere vitio succumbunt, aliorum actionem ad
mensurae normam severa censura revocantes. Post *maledicos*
riptis omnibus *monstrosi* sequuntur, quos VV. DD. pro *animo
ndique ratione monstrosi* dici putant; Scheller Obss. p. 195.
me *Leute* vertit. Sed dudum vidit Lambinus tales ad haec
xta nimis infinite poni, neque exstare exemplum, quo v.
trosus sic absolute ad animum transferatur, correxitque *mo-*
. Confecit rem Matthiae l. c. p. 107. cum doceret, eos vera
itione *maledicis* addi, quippe qui sua natura ad aliorum *mo*-
axandos carpendosque proni sint atque proclives: *κακοήθεις*
e, *καὶ φιλάδικοι*. Harum rationum veritati ita cessimus,
rosi corrigeremus, quod compendii lineola ex vitio super *r*
facile sic corrumpi potuit. *Goer.* Sed quum codd. omnes
nius p. 345. tueantur *monstrosi*, retinui cum Orell. quod, ut
recte ait, voc. *monstrosi* cetera fere complectitur significat-
nomines *portentosos*, *intolerabiles omnino*. Coniicit autem hoc
esse a comico aliquo desumptum. Mihi maxime fidem facit
is, a quo vix credibile est mutationem esse factam. Quod
Goer. *monstrosi* non ita absolute pro *monstrosis hominibus*
positum reperiri, id convellitur hoc, quod *minuti et angu-*
n minus absolute hoc uno loco a Cic. est positum et excu-
eo, quod aequalitas orationis erat servanda inter tot adie-
Morosus autem nusquam malo sensu dicitur, sed significat
qui animo benivolo aliorum vitia corrigere tentat et ita, id
Rath. recte monuit, *difficiles* et *morosos* coniunxisset ut
29. aut *morosi*, *difficiles* scripsisset, ut in Caton. Mai. 18,
Vide de voc. *difficilis* Doederlein latein. Synon. T. III. p. 233.
lii autem etiam] *autem* delere vult Goer. propter praecedens
n et quod *etiam*, *adeo* significet. Recte id quidem. Sed
n est retinendum, nam oppositioni h. l. inservit: *tristibus* op-
nunc *nimis laetos.*
gnavi] hoc est *timidi.* Significat enim non solum *segnem*, sed
etiam, qui non est animo cito (aufgeregten Geistes). Vid.
derlein lat. Synon. T. I. p. 123. extr. seqq.

numquam in sententia permanentes. Quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiae. Igitur neque stultorum quisquam beatus neque sapientium non beatus; multoque hoc melius nos veriusque, quam Stoici. Illi negant esse bonum quidquam nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine: virtutem autem nixam hoc honesto nullam requirere voluptatem atque ad beate vivendum se ipsa esse contentam.

Illi negant esse bonum quidquam nisi etc.] Sic scripsi de coniectura, vestigiis insistens codd. Erl. et Gud., qui habent *negant enim* omisso *esse*. *Enim* autem et *esse* propter scribendi compendium $\overline{ci}$ et $\overline{ee}$ saepissime in codd. confunduntur. Copula causalis non necessaria est ad contexta, unde ex *enim* feci *esse*, quod, si cum asseverationе dicitur, praemittitur a Cic. v. c. I. Acad. 12, 45. *negabat esse quidquam, quod sciri posset.* II, 24, 76. *qui negant esse quidquam* etc. Favet huic coniecturae cod. Bas. et edit. Crat. *negant esse* (Crat. *neg. esse b. q. esse*) Vulgata lectio est *Illi enim negant bon. quidq. esse.*

umbram, quod appellant honestum] Hoc ex loco apparet male correxisse VV. DD. I. N. D. 15, 39. *tum fatalem umbram et necessitatem rerum futurarum*; pro *umbram* enim *vim* editur. *Fatalis umbra* est ad hunc nostrum locum accommodate, *umbra, quod voc. fatum.* Utrumque autem pro *umbra honesti, fati*, dicitur. VII. Att. ep. 11. in.: *O hominem amentem, qui ne umbram quidem τοῦ καλοῦ viderit.* Muren. 6, 13. *umbra luxuriae.* Pis. 24, 57. *umbrae falsae gloriae* etc. dicuntur. *Umbra* quidem non *splendet:* putari igitur Cic. ex simili excidisse possit, cum addatur, *non tam solido, quam splendido nomine.* Aptasse enim vocem hanc ad rei notionem dicendus est. *Goer.* De formula illa *nescio quam illam umbram* vid. Ramshorn. p. 367. not. 2. Miror hanc formulam praeterisse Krueger. in libro de attractione, nam huc nimirum pertinet, quia dicitur *ille nescio quis laudavit me* pro *ille, nescio quis sit, laudavit me.* V. c. *Prope me nescio quis loquitur* Plaut. Pers. I, 3, 19. Sed locutio *nescio quis* ita vulgaris facta est, ut syntaxis negligeretur et adverbialem acciperet notionem, unde cum indicativo modo coniungitur, quum proprie coniunctivum requirat. Usque eo autem dilatarunt posteriores scriptores hanc adverbialem significationem, ut Quinctil. Instt. VI. prooem. adeo accusativo c. infin. interposuerit, et Valer. Max. II, 4, 8. dicat: *quos nescio deos vidit.* Factum hoc est eadem ratione, qua *mirum quantum* adverbialiter cum indicativo coniungitur, quam attractionem recte dicit Krueger l. c. p. 469. seqq. Idem mecum sentit August Grotefend. §. 564. extr. Cum indignatione hanc formulam usurpari docuit Beier. ad Cic. Off. I, 41, 146.

virtutem autem nixam] Ne hac in structura offendas, cogitabis ex praegresso *negant* per anacoluthiam aliquam *dicunt. Goer.*

Sed possunt haec quadam ratione dici, non modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis. Sic enim ab Epicuro sapiens semper beatus inducitur: finitas habet cupiditates; negligit mortem; de diis immortalibus sine ullo metu vera sentit; non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita; his rebus instructus semper est in voluptate: neque enim tempus est ullum, quo non plus habeat voluptatum, quam dolorum; nam et praeterita grate meminit et praesentibus ita potitur, ut animadvertat, quanta sint ea, quamque iucunda: neque pendet ex futuris, sed exspectat illa, fruitur praesentibus: ab hisque vitiis, quae paullo ante collegi, abest plurimum: et, quum stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur voluptate: dolores autem si qui incurrunt, numquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens, quod XIX. 62

Non est anacoluthon, sed dicitur illa figura *ἀπὸ κοινοῦ*, h. e. a communi; est enim unum verbum commune pluribus sententiis, quarum quaeque suum sibi proprium verbum postulat; quod non fit, ne oratio inaequalis fiat, nisi ubi nimia orationis duritas aut vitanda obscuritas id prohibet. Ad Ellipsin referunt antiquiores grammatici, ut Rudd. II. p. 860. I. cll. p. 361. not. 8. inter recentiores Zumpt. §. 774. Ramshorn. p. 685. c., Cfr. Beier. ad Cic. Off. III, 2, 9. ad Lael. p. 94. Walch. Emendatt. Livian. p. 230.

Cap. XIX.

§. 62. *quadam ratione*] Id est, *quodam modo non sine ratione*: ita enim pron. *quidam* capiendum, si praemittitur. Ut enim dies diem docet, ita iam nos non recte fecisse videmus, cum III. Legg. 1, 1. in vv. *quadam admiratione* offenderemus, sic ut non sine *quadam* veri specie *nimia* additum vellemus; cf. I. Acad. 2, 8. *quadam hilaritate conspersimus*. Arch. Poet. 11, 28. *de meo quodam amore gloriae — confitebor*. Quo ex loco patet, vix recte supra IV. Tusc. 37, 75. *etiam novo quodam amore veterem amorem eliciendum putant; quodam* in *quidam* correctum esse, cum *amor* h. l. ut Graecum *ἔρως*, *studium*, *Attachement*, notet. *Goer.* Nos optime vertimus *quadam ratione*: *in einer gewissen Beziehung*.

ut non plus habeat sapiens, quod gaudeat, quam quod angatur] V. *quo* ut volebat Ern. quod probat Orell. Goer. *quod* pro *accusat.* habet, ut dicatur *habeo quod laeter*. Sed est coniunctio, eo modo posita, quo in formula *non habeo quod*, *non est quod*, de quibus vid. Zumpt. §. 662

63 gaudeat, quam quod angatur. Optime vero Epi
curus, quod exiguam dicit fortunam intervenire sa
p. 62. pienti, maximasque ab eo et gravissimas res consi
lio ipsius et ratione administrari: neque maiorem
voluptatem ex infinito tempore aetatis percipi posse,
quam ex hoc percipiatur, quod videamus esse fi-
nitum. In dialectica autem vestra nullam vim
existimavit esse nec ad melius vivendum nec ad
commodius disserendum. In physicis plurimum
posuit. Ea scientia et verborum vis et natura
orationis et consequentium repugnantiumve ratio
potest perspici: omnium autem rerum natura co-
gnita, levamur superstitione, liberamur mortis me-
tu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua
ipsa horribiles exsistunt saepe formidines; denique

§. 63. *Optime vero Epicurus*] Goer. delere vult *vero*, quod saepe intrudatur a librariis, veluti Orat. 2, 6. *In orationibus vero Graecis quidem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat.* Esse autem spurium ostendere Gud. 2. Bas. et Oxona. E. ξ. Recte vero se habet *vero* particula, non intellecta a librariis; est enim transitionis causa ad graviora et maiora posita. Vide Corte ad Sall. Catil. 58, 16. et 61, 1. *Autem* inservit oppositioni, quae h. l. inepta est.

exiguam dicit fortunam etc.] Consilium et ratio λογισμὸν denotant, opponunturque fortunae. Epicuri verba sic se habent: *Βραχεῖα σοφῷ τύχῃ παρεμπίπτει· τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ὁ λογισμὸς διώκηκε, καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον τοῦ βίου διοικεῖ, καὶ διοικήσει.* Exstant apud Laert. X, 144. suntque *κυρ. δοξ.* XVI. Ex his suppleri potest Stob. Ecl. Ethic. p. 199. *Βραχεῖα σοφῷ τύχῃ παρεμπίπτει· τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα λογισμὸς διώκηκε, καὶ τὸν βίον ἢ συνεχῆ χρόνον.* Lege *καὶ κατὰ τοῦ βίου τὸν συνεχῆ χρόνον διοικεῖ καὶ διοικήσει.* Vide nos ad Tuscul. V, 9. *Dav.*

neque maiorem — finitum] Graeca Epicuri verba ibidem leguntur §. 145. *Ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονὴν καὶ ὁ πεπερασμένος, ἐάν τις αὐτῆς τὰ πέρατα καταμετρήσῃ τῷ λογισμῷ.*

In dialect.] Epicureos Dialecticam *ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζειν* observat Laertius X, 31. Vide Cicer. N. D. I, 32. et Sext. Empir. adv. Mathem. VII. §. 14. *Dav.*

Ea scientia et verborum — perspici] Haec quae subiiciuntur, reliquae quidem disciplinae in dialecticis tractabant: at Epicurus eadem in physicis suis, vel si propius dixeris, psychologicis, quantum satis putabat, tractarat. — Vide Diog. Laert. X, 24. seqq. *εἰώθασι μέντοι τὸ κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ συντάττειν.* [Orell. laudat Epistol. ad Herod. §. 44. Schneider. s. ap. Diog. Laert. X, 15. Lucret. V, 1027.] Epicurus nempe cum rationalem philoso-

etiam morati melius erimus, quum didicerimus, quae natura desideret; tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, servata illa, quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigentur, numquam ullius oratione victi sententia desistemus. Nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo mo- 64
do poterimus sensuum iudicia defendere; quidquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus; qui si omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi: quos qui tollunt et nihil posse percipi dicunt, hi, remotis sensibus, ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Praeterea sublata cognitione et scientia tollitur omnis ratio et vitae degendae et rerum gerendarum. Sic e physicis et fortitudo sumitur contra mortis timorem

phiam omnem, ut nunc vocant, renueret, sensibus unice certam fidem tribuens, non potuit, quin de dialectica, a qua reliquae philosophorum disciplinae nimium exspectabant, abiectius sentiret: de tribus philosophiae partibus, quae tum separatim tractabantur, naturali, ethica, rationali, tertiam recidit, et quae ex ea in rem suam opus essent, κανονικοῦ nomine naturali parti addixit. cf. Senec. Ep. 89, 9. *Goer.*

regula] Cfr. I. N. D. 16. fin. Epicurus autem cognitionis hanc regulam, quam κριτήριον ἢ κάνονα vocat, Physicae tribuit, cum reapse Dialectica sit. Adi Sext. Empir. adv. Mathem. lib. VII, §. 22. *Dav.* Cfr. Acad. II, 10, 29. *Regula* illa est *constitutio veri, falsi, cogniti, incogniti.* Vide ad cap. 7, 22. — Ad vv. *delapsa de caelo* Victor. Varr. Lectt. XIX, 16. recte Graecum v. διοπετές expressum putat.

§. 64. *rerum natura*] Id est, *natura rerum, ut vere sunt. Goer.*

sensuum iudicia] *ea, quae sensuum adiumento vera esse iudicantur. Goer.*

a sensibus] i. e. *a sensationibus. Goer.*

remotis sensibus] i. e. sensuum veritate remota, reiecta. Ceterum quae addantur de cognitionis certitudine ad vitam degendam et res gerendas necessaria, ea contra novos Academicos et Stoicis et Antiocho accuratius disputata vide II. Acad. 12, 37. 38. 39. *Goer.*

e physicis et fortitudo sumitur] Epicurus κυρίων δοξ. XII. *Οὐκ ἦν τὸν φοβούμενον ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων λύειν, μὴ κατειδότα τίς ἡ τοῦ σύμπαντος φύσις, ἀλλ' ὑποπτευόμενόν τι τῶν κατὰ τοὺς μύθους, ὥστε οὐκ ἦν ἄνευ φυσιολογίας ἀκεραίας τὰς ἡδονὰς ἀπολαμβάνειν.* Vide Laert. X, 143. *Dav.*

et constantia contra metum religionis et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione sublata, et moderatio, natura cupiditatum generibusque earum explicatis; et (ut modo docui) cognitionis regula, et, iudicio ab eadem illa constituto, veri a falso distinctio traditur.

XX. Restat locus huic disputationi vel maxime ne-
65 cessarius, de amicitia, quam, si voluptas summum sit bonum, affirmatis nullam omnino fore: de qua Epicurus quidem ita dicit: *omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius.* Neque vero hoc oratione solum, sed multo magis vita et factis et moribus comproba-

omnium rerum occultarum ignoratione sublata] *Res occultae* eae maxime Ciceroni dicuntur, quae solius rationis ope intelliguntur. I. Acadd. 4, 15. N. D. I, 18, 49. Atque ita quoque supra 9, 30. occulta et quasi involuta aperiri conclusione rationis dicuntur. Epicurus autem rationem, nisi sensuum quasi fundamento niteretur, mancam et debilem statuebat. Iam *ignoratio* de eo, *quod sciri non potest*, hoc sensu dicitur, *omnibus iis, quae sola rationis ope, qua nihil certi erui potest, explicantur, reiectis. Goer.*

moderatio, natura cupiditatum generibusque earum explicatis] Nos si latine haec scriberemus, ita scriberemus: *moderatio cupiditatum, natura generibusque earum explicatis.* At frequentem auctori morem esse substantiva primaria ad enunciatum posterius ponere, exemplis docuit Goer. ad Acad. I, 8, 30. p. 49. b. his: I. Legg. 17, 47. ibid. 23, 61. et III, 5, 12. Cfr. Wopkens Lectt. Tull. p. 32. 50. 88. 127. seq.

distinctio] est *distinguendi ratio;* sic docet Goer. cf. II. Legg. 5, 13. *Ergo est lex iustorum iniustorumque distinctio.* Sic solere Ciceronem substantiva in *io* terminata ponere exemplis ostendit ad Acad. II, 19, 62.

Cap. XX.

§. 65. *de qua Epicurus ita dicit*] Verba ipsa Epicuri κύρ. δοξ. XXIX. haec sunt: Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις. Laert. X, 148. *Goer.*

vita et factis et moribus] Oxon. X. et Crat. [P. V.] om. *et factis.* Sensum horum scribae non ceperunt. Explicatur nempe *vita*, id est, *vivendi ratio*, quae partim *factis*, partim *moribus* cognoscitur. Laert. X, 9. haec de Epicuro, quae huc spectant, refert: τοῦ δ' ἀνδρὸς μάρτυρες ἱκανοὶ τῆς ἀνυπερβλήτου πρὸς πάντας εὐγνωμοσύνης. Atque inde est, quod Cic. eum virum *optimum* vocat II. Tusc. 19, 44. cll. infra II. Fin. 25, 80. *Goer.*

vit. Quod quam magnum sit, fictae veterum fabulae declarant: in quibus tam multis tamque variis ab ultima antiquitate repetitis tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo et ea quidem angusta quam magnos quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges? quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamus. De hominibus dici non necesse est.

Tribus igitur modis video esse a nostris de 66

Quod quam magnum sit etc.] scil. *amicitiam bonorum omnium maximum esse oratione et vita comprobare. Magnum* autem, ut Graecum *μέγα*, *arduum*, *difficile* valet. *Goer.*

tria vix amicorum paria reperiuntur] Cfr. Lael. 4, 15.: *ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum.* ubi Beier. citat Plutarch. *περὶ πολυφιλίας* c. 2. p. 93. E. *κατὰ ζεῦγος φιλίας λέγονται Θησεὺς καὶ Πειρίθους, Ἀχιλλεὺς καὶ Πάτροκλος, Ὀρέστης καὶ Πυλάδης, Φιντίας καὶ Δάμων* [vid. Beier. ad Off. III, 10, 45], *Ἐπαμινώνδας καὶ Πελοπίδας*. Cfr. Lucian. Tox. cap. 10. ibique Jacobs. Wetzel ad Lael. l. c. haec habet: „*Thesei cum Pirithoo*, Ixionis Thessaliae regis filio inita familiaritas — tanta fuit, ut et inferos cum ipso Proserpinam rapturo adiret, vel ex Horatio [IV, 7, 27.] et Virgilio [Aen. VI, 392 — 96.] et Plutarcho [in Theseo cap. 30. seq.] nota. *Achillis* intima, qua *Patroclum* Menoetii filium et vivum fovit et caesum ultus est, amicitia ab Homero iam maxime celebrata. *Orestis cum Pylade*, Strophii filio, a tragicis admodum frequentata [Thoas enim, Tauricae Chersonesi rex quum omnes hospites Dianae immolare soleret, et Orestem, interfecta matre huc furiis agitatum una cum comite fidelissimo Pylade immolare vellet, hic se pro Oreste interfici voluit. Cfr. Euripidis Iphigen. in Tauris. Ovid. Met XII, 34. et Trist. IV, 4, 63. seqq. ex Ponto III, 2, 49. seqq. Herodot. Histor. IV, 103. Fecit ex hac re tragoediam Pacuvius Duloresten inscriptam, de qua vide Stieglitz. De M. Pacuvii Duloreste et Naeke de M. Pacuvii Duloreste. Bonnae 1823. Cfr. Lael. 7, 9. et Fin. II, 24, 79. V, 22, 63.]. *Phintias* denique quam arcto amoris vinculo cum *Damone* fuerit coniunctus, ipse Cicero alibi [Off. III, 10. ubi vid. Beier.] narravit. Confer et Valer. Max. III, 7. ext. 1. et Ovid. Pont. II, 3, 41 — 45.“ Damonis autem et Phintiae amicitia non erat ficta, ut reliquae videri possunt.

una in domo] Epicuri *φίλους τοσούτους τὸ πλῆθος ὡς μηδ' ἂν πόλεσιν ὅλαις μετρεῖσθαι δύνασθαι* testatur Laertius X, 9. *Dav.*

§. 66. *Tribus igitur modis — a nostris*] Addit auctor *a nostris*, quod ex his tribus primum tantum Epicuri esset, reliqua posteriorum Epicureorum. cfr. infra II, 86, 82.

amicitia disputatum. Alii, quum eas voluptates, quae ad amicos pertinerent, negarent esse per se ipsas tam expetendas, quam nostras expeteremus: quo loco videtur quibusdam stabilitas amicitiae vacillare; tuentur tamen eum locum seque facile, ut mihi videtur, expediunt. Ut enim virtutes, de quibus ante dictum est, sic amicitiam negant posse a voluptate discedere. Nam quum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet, amicitias comparare: quibus partis confirmetur animus et a spe pariendarum vo-

Alii — expeteremus] *Primus est modus*, quem persequitur usque ad fin. §. 68. cui respondet Cicero II. 26, 82. usque ad vv. *vivi non posset.* — *Secundus modus* a verbis §. 69. *Sunt autem* usque ad *propter se ipsos amentur*, quae persequitur usque ad vv. *et iustius.* Respondet his II, 26, 82. a vv. *attulisti — nulla exspect. nec quaesita voluptate.* — *Tertius modus* explicatur a §. 70. usque ad vv. *quam se ipsos dilig.*, quae illustrat a vv. *quod et* usque ad fin. cap. 20. Oppositio est l. II, 26, 83. usque ad fin. cap. In verbis autem *quo loco videtur quibusdam stabilitas amicitiae vacillare* anacoluthon deprehendere sibi visus et Goer. Sed verba haec sunt Torquati, non eorum, quorum sententiam profert, unde omnia se habent rectissime. Respondent his haec verba §. 69.: *verentur, ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur.* Sed est quaedam anacoluthia in tota oratione, quum sic se excipere debebat oratio: *Alii, quum — expeteremus; alii* (§. 69.) *quum dicerent primos congressus — amentur; alii quum dicerent* (§. 70.) *foedus quoddam esse — diligant.* Sed eiusmodi anacoluthon non negligentiae debetur, sed arti, quam adhibuit scriptor, ut ne omnia ad scholasticam regulam dividendi et periodos conformandi elaborata diligenter viderentur.

amicitiam negant posse a voluptate discedere] Huc referenda sunt illa l. II. §. 82. *e quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere: amicitiam a voluptate non posse divelli, ob eamque rem colendam esse, quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset. Satis est ad hoc responsum.* Intellige §. 78. 79.

confirmetur] Sic Gud. 2. et Erl. quod bene se habiturum dicit Goer., si etiam *possit* legeretur: tum enim *quibus, cum his* significaturum. Mihi tamen recte habere videtur subiunctivus, recte explicatus a Goerenzio, qui si diligentius de sententiarum divisione cogitasset, recepisset, credo, subiunctivum. Si *confirmatur* legitur, tum ad vv. *a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest*, repetendum est: *animus;* sed hoc ineptum; apertum est, cogitandum esse *amicitia*, quod durum est his interpositis *quibus partis confirmatur animus.* Respondere autem sibi haec: *quum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet, amicitias comparare — et a spe pariendarum vo-*

luptatum seiungi non potest. Atque ut odia, in- 67
vidiae, despicationes adversantur voluptatibus: sic amicitiae non modo fautrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum tam amicis, quam sibi: quibus non solum praesentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia nullo modo sine amicitia firmam et p. 68
perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus; neque vero ipsam amicitiam tueri, nisi aeque amicos et nosmet ipsos diligamus: idcirco et hoc

luptatum seiungi non potest, ostendunt, quae sequuntur §. 67. *atque ut odia, invidiae, despicationes adversantur voluptatibus, sic amicitiae non modo fautrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum, tam amicis quam sibi.* At si quis dicat: *quomodo spes pariendarum voluptatum solitudini* et *vitae quae sit sine amicis, insidiarum et metus plenae consulere potest?* respondeo hanc difficultatem nec vulgata lectione retenta tolli. Tollitur tamen difficultas, si putamus, id quod saepe fit apud Ciceronem, primum tantum enunciatum *ratio ipsa monet* referri ad ista verba *quum solitudo* etc., quae sequantur *et a spe pariendarum volupt. seiung. non potest* ea de causa posita esse ab auctore, ut, quae subiungere vellet per opposita, rectius annecti possent superioribus. Proprie haec tantum sunt inter se coniuncta: *quum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet, amicitias comparare, quibus partis confirmetur animus* h. e. *corroboretur eo, quod videat, habere se amicos, qui iniuriam ab ipso repellere parati sint.* Ad sensum comparare potes Lael. 9, 2. 7. 13, 3.

§. 67. *sibi*] i. e. *ei, qui sibi amicos peperit.* Ita enim reciproco saepius utitur Cicero. cfr. II. N. D. 63, 158.

Quod quia] Bas. *Quo.* Manut. suspicatus est *quodque nullo.* Sed *quod* verissimum est. Inservit enim et connectendae periodo et significat ex his, quae dicta sunt, colligi aliquid. Verte *Deshalb also, weil. Idcirco* repetitum est, ut, quod plura interiecta sunt, cum vi ostendatur, cur amicitia cum voluptate connectatur. Sic *quod quoniam* infra III, 18, 58. [adde III. Rep. 5, 8.] *quod etsi* ibid. IV, 4, 10. etc. cfr. I. N. D. 20, 52. *Quod quia, quemadmodum.* Haec citat Goer. Cfr. Zumpt. §. 799. Ramshorn. p. 633. Ruddim. II p. 355. Beier. ad Cic. Offic. III, 31, 112. p. 896. Giese ad II. de Divin. 62, 127. Sic *quod ubi* de Orat. II, 49, 200. Verr. I, 26, 67. *quod quum* pro Coel. 32, 79. *quod nisi* pro Milon. 6, 15. in Verr. II, 26, 64. III, 92, 215. *quod ut* pro Mil. 19. Plin. H. N. 18. §. 53. Virg. Aen. X, 61. Sall. Iug. 14. *quod etiamsi* de Orat. II, 27, 117. *quod quidem* N. D. II. §. 24. *quod utinam* Ep. ad Fam. XIV, 4, 1. De aliis scriptoribus vide Drakenborch. ad Liv. XXXII, 37, 6. Muncker. ad Hygin. 16. 108. *quod ubi* Corn. Nep. Hannib. 1, 2. cfr. Caes. B. G. III, 23, 7. Liv. VI, 7, 2. *quodne* Columell. V, 11, 1.

aeque — et] Sic tres Goer. et alii codd. *ac* cod. Ursin. 1. 2.

ipsum efficitur in amicitia et amicitia cum volu tate connectitur; nam et laetamur amicorum la titia aeque atque nostra, et pariter dolemus a goribus.

68 Quocirca eodem modo sapiens erit affectus e ga amicum, quo in seipsum. Quosque labor propter suam voluptatem susceperit, eosdem reci piet propter amici voluptatem; quaeque de virtu tibus dicta sunt, quemadmodum hae semper vo luptatibus inhaererent, eadem de amicitia dicend sunt. Praeclare enim Epicurus his paene verbis

Persuasere enim sibi scribae, part. *aeque*, *pariter*, *similiter*, *s mul* etc. nonnisi cum *ac* vel *atque* scribi. *Goer.* Auctor adde in Forcellini Thes. Ling. Lat. s. v. *Aeque* optime rem ita illustr vit: sic dicitur etiam *aeque — et*, ac transitur aperte in his loc ex comparatione in simplicem adiectionem, et quae comparari d bebant, ea tanquam paria adiiciuntur. Cic. Cluent. 69. *Qu tamen ipsos aeque et eos, quos praesentes videtis, huius exspect tio iudicii sollicitat.* Id. Fin. I, 20. (noster locus) ibid. IV, 2 *Catuli, qui iam dispecturi sunt caeci aeque et ii qui modo nati sun* Hic al. *ut*, al. *ac*, sed vid. Goer. Id. Tusc. II, 26. *Iidem iab res non sunt aeque graves imperatori et militi.* Cfr. Ruddi Instt. L. Lat. T. II. p. 94. not. 58. Ochsner. p. 324. Ramshor p. 521. not. 2.

aeque atque nostra] Sic codd. meliores Spir. Erl. V. Gr D. 1. Br. 2. — *ac* P. M. L. — *ut* codd. aliqui. Goer. Cfr. N. D. III, 18. *Hi coluntur aeque atque illi.* Forcellini l. c. l dat Ep. ad Fam. XIII, 66. Ostendit autem auctor addend. Forcell. s. v. *Aeque*, *aeque — ut* non esse Ciceronis. Nam Phil. XII, 12. *Possumusne igitur in Antonii latrocinio aeq esse ut hi?* edi nunc *tuti* pro *ut hi.* de loco Fin. IV, 23. dict esse supra (vid. notam praecedentem). Certiorem esse locum orat. pro Dom., quae falso tribuatur Ciceroni, cap. 11.

§. 68. *susceperit — recipiet*] Ascon. Ped. p. 8. ed. Ald. *Suscipit totum; recipitur pars. Suscipitur principale; recipitur quod hi pendet. Suscipitur solum aliquid propter se; recipitur etiam pr pter aliud.* Etsi quidem his nondum totum horum verborum di crimen patet; tamen et haec, quae Pedianus dicit, verissima sun et ad hunc locum egregie faciunt. Cfr. pro Rosc. Am. 38, 11 *Quid recipis mandatum, si aut neglecturus — es —. Suscipis om officii, quod te putas sustinere posse.* Hoc autem falsissimum es quod, ut tot alia, Scheller Animadvv. p. 18. statuit, *recipere* sa pe pro *suscipere* poni. Iudicat enim ex vulgato horum verborum discrimine, cum quo non poteris non, quin ubique offendas. *Goe*

inhaererent] Sic Spir. Erl., ut volebat Ern. G. 2. Vulgo *in haerent*, quod debetur indoctis, qui non intelligebant, impenfectu pendere a perfecto *dicta sunt*, et referri ad id tempus, quo dic sint. Vide ad I, 5, 14. Facile etiam ex compendio *inhaerēnt* or ri potuit.

Eadem*, inquit, *sententia confirmavit animum, ne quod aut sempiternum aut diuturnum timeret malum, quia perspexit, in hoc ipso vitae spatio amicitiae praesidium esse firmissimum.

***Eadem sententia — firmissimum*] Graeca Epicuri Laert. X, 148. haec sunt: Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις. Καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς [τοῖς] ὡρισμένοις ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατεῖναι συντελουμένην. Ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν, μηδὲ πολυχρόνιον. Haec verba si cum Latinis Ciceronis comparas, vides, Ciceronem neque verbum de verbo transtulisse, nec eadem dedisse, quae scripsit Laertius. Quod quum intelligerent critici et Diogenis et Ciceronis, conati sunt consensum facere utriusque scriptoris, unde primum transposuerunt Diogenis verba ita: ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν, μηδὲ πολυχρόνιον. καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς τοῖς ὡρισμένοις ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατεῖναι συντελουμένην. Quam transpositionem quum fecissent, emendare studuerunt verbum κατεῖναι, quod corruptum est, et quum a Graecis abesse viderent verbum *perspexit*, suasit Rath. κατεῖσαι vel κατειδεῖν. Goer. κατιδεῖν. Stephan. in Lex. Cicer. κατανοῆσαι, ad quod verbum repetunt ex praecedd. ἐποίησεν, (in Latinis *perspexit* esse *perspicere fecit* persuadere vult Goer.) ut esset sensus: *eadem sententia effecit, ut perspiceremus* etc. Sensus non est vituperandus, modo quis doceat, unde a scribis verba in Diogene transposita sint, quum sciamus, cur ita transposuerint critici, ut modo dixi. Quod quum vix quisquam explicuerit, nunquam adducar, ut transpositionem istam probem. Putandum potius est, Ciceronem, quae ultima sunt apud Diog. ideo praeposuisse, ut cum suis arctius cohaererent illa verba ἡ αὐτὴ γνώμη. Sensum enim recte ita Rath. exposuit: *Eadem de amicitia sententia, quae est, ut illa voluptatibus i. e. utilitati inhaereat, confirmavit animum, ne quod aut sempiternum aut diuturnum timeret malum, quodvis enim amicorum ope depellitur.* Non autem verba de verbis transferre Ciceronem, sed liberius versari in vertendo, adeo ut interdum ne sententiam quidem scriptoris reddiderit, certum est ex Oeconomico Xenophontis, quem quam liberrime convertit; videtur etiam interdum memoriter aliorum sententias afferre, ut h. l. aperte docet adverbium *paene*, quod significat, non ad manus ei fuisse Epicuri librum κυρίων δοξῶν, sed memoriter eum haec citare. Unicam corruptelam puto inesse in verbo κατεῖναι, quod ad sensum recte Goer. emendavit in κατειδεῖν, rectius tamen ex palaeographia mutabis in κατειδέναι, quum ειναι et ειδεναι saepe confundantur. Vide Koen. ad Gregor. Corinth. p. 206. Schaefer. p. 249. et 1062. b. Acc. c. Infin. autem καὶ — συντελ. pendet ex formula μέγιστόν ἐστι. Saepe sic oratio variatur. Vide Matth. Gr. Graec. p. 1057. ed. max. Verte: und das, dass man weiss, dass in diesem Leben etc. Hoc tamen magis miror, Goerenzium non vestigia pressisse Rathii, qui primus intellexit *quae perspexit* sine sensu esse dictum. Nam quum nemo dixerit unquam *sententia perspicit aliquid*, apparet *quae* esse corruptum, quod ut defenderet Goer. dixit *perspexit* esse *perspi-*

69 Sunt autem quidam Epicurei timidiores paullo contra vestra convicia, sed tamen satis acuti: qui verentur, ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus copulationesque et consuetudinum instituendarum voluntates fieri propter voluptatem: cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiam si nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicras exercendi aut venandi consuetudines adamare solemus: quanto id in hominum consuetu-
70 dine facilius fieri potuerit et iustius? Sunt autem, qui dicant, foedus quoddam esse sapientum, ut ne minus amicos, quam se ipsos diligant: quod et fieri posse intelligimus et saepe esse factum vide-

cere fecit, quod idem nunquam a Romanis dictum esse certo credo. Sic enim verba activa nusquam posita reperiuntur. Rath. suspicatur scriptum fuisse *qua perspexit* scil. *animus*.] At non haec sententia effecit, ut perspiceret animus, amicitiae praesidium esse firmissimum; causam potius afferre debet Cicero, cur non sempiternum timeat malum animus. Primum dicit hanc sententiam animum eo perduxisse, ut ne quod sempiternum aut diuturnum timeret malum; nunc causa afferenda est, cur haec sententia hanc persuasionem possit efficere. Lego itaque *quia*, quod cum *quae* facile permutari potuit. Sunt autem apud scriptores multa vitia longe nostris codicibus antiquiora, ut illud, quod emendabimus §. 70. Meibom. scripsit κτήσει δεῖ νομίζειν, Davis. κτῆσαι εἶναι coniicit. Alius V. D. κράτει δεῖ νοῆσαι.

§. 69. *timidiores paullo*] Naturalis verborum ordo est *paullo timidiores*. Praeponitur autem h. l. adiectivum, quod in eo vis inest, quia est partitio. Primum enim genus est eorum, qui eas voluptates, quae ad amicos pertinerent, negarent esse per se ipsas tam expetendas, quam nostras expeteremus. Alterum genus est timidiorum Epicureorum, qui non omnino amicitias propter voluptates suas expetendas censerent, sed amicos propter se ipsos amandos dicant. Sic *melius multo* Cic. de Or. I, 59, 253. Cato Mai. 23, 82. *ampliora multo* Ep. ad Fam. III, 13, 3. *maior multo* Fin. III, 12, 41. *minus multo* IV, 4, 9. *perlucidior mobiliorque multo* N. D. II, 11, 30. Cfr. Frotscher ad Xenoph. Hier. 1.

§. 70. *Sunt autem* etc.] His respondet Cicero l. II, 26, 83.

quod et fieri posse intelligimus] Sic scripsi, secutus vulgatam

mus, et perspicuum est, nihil ad iucunde vivendum reperiri posse, quod coniunctione tali sit aptius. Quibus ex omnibus iudicari potest, non modo non impediri rationem amicitiae, si summum bonum in voluptate ponatur, sed sine hoc institutionem amicitiae omnino non posse reperiri.

Quapropter si ea, quae dixi, sole ipso illu- XXI.
striora et clariora sunt: si omnia dixi, hausta e 71
fonte naturae: si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat, id est, incorruptis atque integris testibus: si infantes pueri, mutae etiam bestiae, paene loquuntur, magistra ac duce natura, nihil esse prosperum nisi voluptatem, nihil

lectionem, quamquam meliores codd. Spir. et Gud. uterque *posse fieri* habent; quod verum esse putat Goer., quia ad rei possibilitatem eiusdem veritas addatur. Sed in loco, qui huic respondet l. II §. 83. legitur in omnibus codd. *id et fieri posse*. Et recte quidem; non enim de possibilitate potissimum loquitur, sed de eo, quod vere hoc foedus ratum habeatur a sapientibus h. e. *fiat*.

et saepe esse factum videmus] Sic scripsi de coniectura, quum in loco, qui nostro respondet II. §. 83. legantur eadem verba: *Posuisti etiam, dicere alios, foedus quoddam inter se facere sapientes, ut, quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos: id et fieri posse et saepe esse factum, et ad voluptates percipiendas maxime pertinere.* Scripti plerique, Goerenziique omnes *et saepe enim videmus*, sine sensu. Davis. ex Eliens. *etiam* pro *enim*, non melius. Goer. coniecit *saepenumero videmus*, quod *saepe enim* ex compendio oriri potuerit: *saepenūm*. Probat hanc coniecturam Orell.; sed ut concedam sic *saepenumero* corrumpi potuisse; non coniectura tantum facienda erat, sed id quoque videndum, num satis quadraret ad contexta. Opposita sibi esse membra *et fieri posse intelligimus* — et *saepe* (esse factum) *videmus*, facile apparet, praesertim si conferas locum citatum. At si cum Goer. scribis *saepenumero*, oppositio non apparet, quae esse debet in verbis *et fieri posse* — *et saepe* (esse factum) *videmus*. Facillime autem *enim* et *factum* propter simile compendium a librariis confundi potuerunt ita: *enim*, (*enim*) *īam* (*factum*); *esse* autem per compendium scriptum a praecedente syllaba v. *saepe* absorptum est ita: *saepe e*̄*e*. Huic coniecturae ita confido, ut in texta eam recipere non dubitaverim. Sic omnia plana sunt. [Plane in eandem coniecturam incidit Reinh. Klotz. Quaestt. Tull. p. 48. sqq.]

Cap. XXI.

§. 71. *neque depravate — neque corrupte*] I. e. *neque ex ipsorum ex sese depravata natura, nec iudicio per alios corrupto. Goer.*

asperum nisi dolorem; de quibus neque depravate iudicant, neque corrupte: nonne ei maximam gratiam habere debemus, qui hac exaudita quasi voce naturae, sic eam firme graviterque comprehenderit, ut omnes bene sanos in viam placatae, tranquillae, quietae, beatae vitae deduceret? Qui quod tibi parum videtur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quae
72 beatae vitae disciplinam iuvaret. An ille tempus aut in poetis evolvendis (ut ego et Triarius te hortatore facimus,) consumeret? in quibus nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio: aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris, astris contereret? quae et a falsis initiis profecta vera esse non possunt; et, si essent vera, nihil afferrent, quo iucundius id est, quo melius viveremus. Eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam tamque operosam et perinde fructuosam relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus, sed hi indocti, qui, quae pueros non didicisse turpe est, ea putant usque ad senectutem esse discenda. Quae quum dixisset, explicavi, inquit, sententiam meam, et eo quidem consilio, tuum iudicium ut cognoscerem; quae mihi facultas, ut id meo arbitratu facerem, ante hoc tempus numquam est data.

§. 72. *ut id meo arbitratu facerem*] Respicit Torquatus ad verba Ciceronis supra posita cap. 8, 28. *Tuo vero id quidem arbitratu*, quibus ei et *argumenti selectio* et *orationis perpetuus usus*, prout ipse vellet, concessus erat. *Goer.*

M. TVLLII CICERONIS

DE

FINIBVS BONORVM

ET MALORVM

LIBER SECVNDVS.

Hic quum uterque me intueretur seseque ad audiendum significarent paratos, primum, inquam, deprecor, ne me tamquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum: quod ne in I. 1

LIB. II. Cap. I.

§. 1. *uterque me intueretur, seseque — significarent paratos*] *intuerentur* Mureti suspicio — *significaret paratum* Lamb. coniectura. Offenderunt scil. hi VV. DD. in coniunctis numeris singulari et plurali. De plurali numero cum collectivis nominibus iuncto vide ad I, §. 25. Rarior autem est hic transitus a sing. ad pluralem num., cuius unum tantum novi Cicer. exemplum or. pro Flacc. 41, 104. *Quotus enim quisque est, qui hanc in republica sectam sequatur — quum illam viam sibi videant expediliorem?* Simile est illud Tuscul. I, 13, 30. *nemo — maeret suo incommodo: dolent fortasse et anguntur.* Cfr. Wopkens. Lectt. Tull. p. 85. Apud alios scriptores hoc dicendi genus tam est frequens, ut sexcenta possim, si velim, exempla proferre. Cfr. Ramshorn. p. 694.

scholam — explicaturum] *Scholae* vox ex graeco venit σχολή, quae 1) significat *otium* 2) *operam in literis positam*, quia otio a negotiis publicis opus est ad has exercendas 3) *disputationem*, quae oritur ex literarum studio, sive scriptam, sive coram auditoribus habitam. Cfr. Tuscul. III, 34, 81. I, 4. 8. or. in Pis. 25. 27. Haec significatio non multo ante Ciceronem nata est, unde I.

tatur: ut facile intelligi possit, eos, qui aliquid sibi videri dicant, non ipsos in ea sententia esse, sed audire velle contraria.

3 Nos commodius agimus: non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam cur. Ego autem arbitror, quamquam admodum delectatus sum eius oratione perpetua, tamen commodius, quum in rebus singulis insistas et intelligas, quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi, quod velis, et ad exitum perveniri. Quum enim fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cuiusquemodi rapiat: nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas. Omnis autem in quaerendo quae via quadam et ratione habetur oratio praescribere primum debet, ut quibusdam formulis res agatur, ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseratur.

II. Hoc positum in Phaedro a Platone probavit
4 Epicurus; sensitque, in omni disputatione id fieri

§. 3. *ad exitum perveniri*] verte *man zu einem (sicheren) Resultate gelange*. Vide de hac vi v. *exitus* ad Acad. II, 9, 27. *Goer.* qui citat ibi I. Orat. 20, 92. III. N. D. 14, 36.

ut quibusdam formulis res agatur] Sic Spir. Erl. Gud. 2. (Erl. *agetur* Gud. 2, *agitur*), quod explicat Goer. *ut ex regulis quibusdam, tanquam formulis ut causae iureconsultorum, ita haec res philosophorum agatur*. Recte. Solet enim in iure dici *ea res agatur*. vide Gaii Instt. IV. §. 131. si ex empto agamus, ut nobis fundus mancipio detur, debemus ita praescribere: *EA RES AGATUR DE FUNDO MANCIPANDO*, quem locum citat Orell. ut comprobaret vulgatam: *ut quibusdam in formulis ea res agatur*. Sed quum codd. optimi id habeant, quod dedi cum Goerenzio, non sequor Orell. Vulgata orta est ex eo, quod putabant verba ipsa formulae iuris esse posita a Cicerone.

Cap. II.

§. 4. *Hoc positum in Phaedro a Platone*] Locus est Phaedri p. 301. Bip. *Περὶ παντὸς μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύσεσθαι. εἰδέναι δεῖ, περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ ἅπαντος ἁμαρτάνειν ἀνάγκη.* — *Positum* absolute dici pro *afferre, proponere scripto, disputatione*, nube exemplorum docuit Mencken. Obss. h. v. p. 763. *Goer.* Cfr. Ernesti Clav. Cicer. s. h. v. Kiessling. ad Tacit. An. VI, 27. infra II, 26, 83.

oportere; sed quod proximum fuit, non vidit. negat enim definiri rem placere; sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur; velut in hoc ipso, de quo nunc disputamus: — quaerimus enim finem bonorum: — possumusne scire, hoc quale sit, nisi contulerimus inter nos, quum finem bonorum dixerimus, quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? Atqui haec patefactio quasi 5
rerum opertarum, quum, quid quidque sit, aperitur, definitio est: qua tu etiam imprudens utebare nonnumquam. Nam hunc ipsum sive finem sive p. 65.
extremum sive ultimum definiebas id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur. Praeclare hoc quidem. Bonum ipsum etiam quid esset, fortasse, si opus fuisset, definisses: aut quod esset natura appetendum aut quod prodesset aut quod iuvaret aut quod liberet modo. Nunc idem, nisi molestum est, quoniam tibi non omnino displicet definire et id facis quum vis; velim definias, quid sit voluptas: de quo omnis haec quaestio est.

Quis, quaeso, inquit, est, qui, quid sit volup- 6
tas, nesciat: aut qui, quo magis id intelligat, definitionem aliquam desideret. Me ipsum esse dicerem, inquam, nisi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem et satis firme conceptam animo atque comprehensam. Nunc autem dico,

proximum est] i. e. *proxime inde sequitur*, τοῦτον ἔχόμενον. Goer.

§. 5. *Nunc idem*] i. e. *nunc idem tu.* Vide Ramshorn. p. 338. et infra §. 16.

§. 6. *Quis, quaeso, inquit, est*] Sic de coniectura e vestigiis codd. ducta Goer. — Spir. *quisque si* — Erl. *quis quasi* — Gud. 2. *quasi. Quis. Quasi* mutandum erat in *quaeso.* Sic enim saepe haec formula corrumpitur, ut V. ad Att. ep. [?] *quid quaeso istud erat?* ubi codd. omnes *quasi* sine sensu. Infra 25, 80. *quis quaeso — negat.* At quatuor optimi Goer. *quis quasi — negat.* IV, 26, 72. *quis istud quaeso nesciebat*, ubi non minus scripti *quasi* habent.

ipsum Epicurum nescire et in eo nutare: eumque, qui crebro dicat, diligenter oportere exprimi, quae vis subiecta sit vocibus, non intelligere interdum, quid sonet haec vox voluptatis, id est, quae res huic voci subiiciatur.

III. Tum ille ridens hoc vero, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id extremum, id ultimum bonorum; id ipsum quidem, quale sit, nesciat. Atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur et iucun-

Cap. III.

Hoc vero — optimum] scil. *sit*. Nos: Ey das wäre allerliebst! De adiectivo hoc, ex ironia posito, vide supra I, 7, 25. *Goer.* Grammatica ratio postulat, ut dicatur *optimum — eum nescire* vid. Zumpt. §. 623.; sed vide Excurs. de *ut* post *adiectiva* et *verba* pro *acc. c. infin.* posito. *Ut* positum est ita, ut sensus sit: *vix credibile est, vix intelligere possum, quomodo is — nesciat.*

omnes mortales, qui ubique sunt] Est haec formula, qua utimur, quum rem quam maxime infinitam significare volumus. Eadem recurrit II. de Divin 63, 129. Tuscul. I, 15, 35. *omnes, qui ubique sunt.* IV. de Finib. 27. pr. Divin. II, 44. extr. *omnes eodem tempore ortos, qui ubique sint nati.* Errant autem, qui dicunt, *ubique* his in locis significare *ubicunque;* est enim simpliciter *uberall* — Ad vv. *aut Epicurus, quid sit voluptas, scit* repetendum ex sequente *nesciunt*, qua forma dicendi significatur: si Epicurus scit, quid sit voluptas, tum omnes homines nesciunt, h. e. tum omnes homines errant in sua de voluptate sententia. Est in his ironia, qua dicit: *omnes melius scire, quam Epicurum, quid sit voluptas.* Unde addit deinde: *quia voluptatem hanc sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur et iucunditate quadam perfunditur.* Haec autem satis aperte significant, Torquatum non intellexisse Ciceronem, quippe qui dicat, Epicurum veram nescire voluptatem; hanc modo nosse, quam omnes sciant, hoc est, quae sensus permoveat; animi voluptates eum ignorare. De figura ἀπὸ κοινοῦ, qua ex verbo *negandi* verbum *affirmativum* repetendum est, dixi ad I, 18, 61. extr.

quam sensus accipiens movetur] Hoc dictum est per attractionem, pro: *quâ* (*voluptate*) *si sensus eam accipit, movetur.* Cfr. Krueger über die Attraktion §. 96. ubi citat: Cic. de Fin. II, 20. *Aberat omnis dolor, qui si adesset, nec molliter ferret* scil. *eum* etc. pro *quem, si adesset* (*is*), *non molliter ferret.* Cic. de N. D. III, 14. *Heraclitum non omnes interpretantur uno modo: qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus* pro *quem, quoniam is* etc. Cic. Catil. II, 3. *Ex iis, qui — maluerunt; qui-*

ditate quadam perfunditur. Quid ergo? istam 7
voluptatem, inquit, Epicurus ignorat? Non semper, inquam. Nam interdum nimis etiam novit, quippe qui testificetur, ne intelligere quidem se posse, ubi sit aut quid sit ullum bonum praeter illud, quod cibo aut potione et aurium delectatione et obscoena voluptate capiatur. An haec ab eo non dicuntur? Quasi vero me pudeat, inquit, istorum, aut non possim, quemadmodum ea dicantur, ostendere. Ego vero non dubito, inquam, quin facile possis: nec est, quod te pu-

bus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum praetoris ostendero, concident, pro: *qui, si iis* etc. Cfr. Ramshorn. p. 570. 4., Walch. ad Tacit. Agric. 34. p. 356.

§. 7. *Quid ergo?*] Sic distinxit Orellius. — Goer. *Quid? ergo ist.* Sed *Quid ergo?* distinguendum, ubi aliquid e superioribus colligitur, ut h. l., ubi ex eo, quod dixerat Cicero *voluptatem corporis omnes sentire* colligit Torquatus, qui ne nunc quidem Ciceronem ironice loqui intelligit, Epicurum bene scire, quid sit voluptas. *Quid ergo?* enim significat: *Quid ergo vis amplius? si voluptas in sensibus posita ab omnibus intelligitur, putasne Epicurum, qui voluptatem summum bonum putat, eam ignorare?* Vide Beier. ad Offic. III, 20, 80.

ne intelligere quidem — capiatur] Haec ex libro Epicuri περὶ τέλους a Graecis scriptoribus saepe laudantur. Vide Laert. X, 6. Οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς δι' ἀφροδισίων, καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων, καὶ τὰς διὰ μορφῆς. Eadem ter refert Athenaeus VII. p. 208. qui post μορφῆς ibi plenius addit, κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις. Cfr. eundem ibid. p. 278. et XII. p. 546. itemque Hesych. Illustr. p. 29. Cicero ipse, qui eorundem saepius mentionem facit, plenius et accuratius ipsa vertit III. Tusc. 18, 41. *Goer.* Cfr. I. N. D. 40, 111. or. in Pison. 28, 69.

obscoena voluptate] est *quae dictu turpis est.* Wyttenbachius enim in Biblioth. crit. P. VIII. p. 76. docuit, *obscoenus* magis de verborum, quam rerum turpitudine dici.

An haec] Verte: oder sagt das etwa Epicurus nicht? Inest igitur in hoc loco ironia, cuius sensus est: *dicit hoc sane Ep.* Et sic semper *an* intelligendum ironice, ubi non respondet alia interrogandi particula. Vide ad I, 2, 5.

Quasi vero] Cicero vultu malignius subridente ex Torquato quaerit, numne ita vere Epicurus? Tum T. *Ey gleichsam als ob ich mich deshalb zu schämen hätte.* — Iam Cic. *Ey ich bin überzeugt. Vides*, eandem ironiae umbram eadem voce ab utroque recte signari. *Goer. Quasi vero* semper ironicam habet vim. Vide Beier. ad Cic. Offic. III, 9, 39. Unum tantum novi exemplum, ubi sine ironia legitur, qui locus est apud Lucret. VI, 971.

deat sapienti assentiri; qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus: nam Metrodorum non puto ipsum professum: sed, quum appellaretur ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluisse. Septem autem illi, non suo, sed populorum suffragio omnium nominati sunt.

8 Verum hoc loco sumo, verbis his eandem certe vim voluptatis Epicurum notasse, quam ceteros. Omnes enim iucundum motum, quo sensus hilaretur, Graece ἡδονήν, Latine *voluptatem* vocant. Quid est igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, et quidem discendi causa magis, quam quo te aut Epicurum reprehensum velim. Ego quoque, inquit, didicerim libentius, si quid attuleris, quam te reprehenderim. Tenesne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quod dicat esse summum bonum, quo putet omnia referri oportere? Teneo, inquit, finem illi videri nihil dolere. Quid?

9 idem iste de voluptate quid sentit? Negat esse eam, inquit, propter se expetendam. Aliud igitur esse censet gaudere, aliud non dolere. Et qui-

qui se unus — sit ausus] cfr. Cicer. Cato Mai. 13, 1.

Metrodorum] *Metrodorus* Atheniensis, sed vulgo Lampsacenus dictus, quod unde factum sit vide Ionsium de philos. I, 2, 6. Menag. ad Diog. Laert. X, 22. *Epicuri discipulus.* Vide Tuscul. II, 3.

Septem autem illi] Intelliguntur septem illi sapientes Graeci.

§. 8. *Verum hoc loco sumo* etc.] Quae sequuntur usque ad init. cap. 5. interposita sunt παρενθέτως. Sic saepe hac dialogica forma interrumpitur oratio continua. [Codicum lectionem *nosse* pro *notasse*, quae est Davisii coniectura, optime defendit *Reinh. Klotz.* l. l. p. 51 — 54.]

quam ceteros] Est haec attractio pro: *quam ceteri* scil. *notarunt.* Sed quia relativum sensu idem est, ac si dixisset: *sumo verbis his Epicurum et ceteros unam eandemque vim voluptatis notasse*, accusativum posuit, ut constructio acc. c. inf. esset aequalis. Vide Krueger. Ueber die Attraktion p. 287. Ramshorn. p. 617. et meam notam ad Cic. Caton. Mai. 1, 1. p. 5. ubi particulae *quam* hos locos citavi: Cato Mai. 22, 6. N. D. I, 26, 74. de Rep. I, 22, 35.

Hieronymus Rhodius] Peripateticus, de quo iudicat Cic. infra V, 5, 14.

§. 9. *propter se expetendam*] Sic Spir. Erl. Gud. 2. omisso *ipsam* post *propter se*, quod est in vulgatis exemplaribus. Nec opus est, vide I, 9, 31.

dem, inquit, vehementer errat. Nam, ut paullo ante docui, augendae voluptatis finis est doloris omnis amotio.

Non dolere, inquam, istud quam vim habeat, postea videro: aliam vero vim voluptatis esse, aliam nihil dolendi, nisi valde pertinax fueris, concedas necesse est. Atqui reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem: dici enim nihil potest verius. Estne quaeso, inquam, sitienti in bibendo p. 66. voluptas? Quis ista, inquit, possit negare? Eademne, inquam, quae restincta siti? Immo alio genere: restincta enim sitis stabilitatem voluptatis habet, inquit: illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est. Cur igitur, inquam, res tam dissimiles eodem nomine appellas?

Quid paullo ante, inquit, dixerim, nonne me- 10
ministi, quum omnis dolor detractus esset, variari, non augeri voluptatem? Memini vero, inquam. Sed tu istud dixti bene Latine, parum plane; varietas enim Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa disparia: varium poema, varia oratio, varii mores, varia fortuna: voluptas etiam varia dici solet, quum percipitur e multis dissimilibus rebus, dissimiliter efficientibus voluptates. Eam si varietatem diceres, intelligerem, ut etiam non dicente te intelligo: ista varietas quae sit, non satis

ista] Sic tres Goer. optimi. Vulgo *istud*. Sed recte se habet pluralis numerus *ista*, qui significat *haec et talia, so etwas*. Saepe sic corrumpitur a scribis pluralis, quum praecedat nomen singulare, ut Tuscul. I, 6, 12. cfr. c. 3, 6. Goerenz. ad Legg. III, 8, 19. citat de Or. II, 2, 6. II. Acad. 40, 126. Cfr. Wopkens. Lectt. Tull. p. 16.

§. 10. *variari, non augeri*] vid. I, 11, 38. Sic apud Epicur. ποικίλλεσθαι. Laert. X, 144. 149.

dixti] Sic vetere forma Erl. Spir. Pal. 1. V. et Grut. Secuti sunt recentt. Retinui, quod ita est de N. D. III, 9, 23. Legitur eadem forma de Divin. II, 31, 66. in quibusd. codd. Sed ubique ex compendio orta potest esse forma. Cfr. Drakenb. ad Liv. VI, 18, 10.

perspicio, quod ais, quum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse: quum autem vescamur his rebus, quae dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu voluptatem, qui faciat varietatem voluptatum: sed non augeri illam non dolendi voluptatem, quam cur voluptatem appelles, nescio.

IV. An potest, inquit, quidquam esse suavius, quam
11 nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam; nondum enim id quaero, num propterea idem voluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia? Ita plane, inquit; et maxima quidem, qua fieri nulla maior potest. Quid dubitas igitur, inquam, summo bono a te ita constituto, ut id totum in non dolendo
12 sit, id tenere unum, id tueri, id defendere? quid enim necesse est, tamquam meretricem in matronarum coetum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere? invidiosum nomen est, infame, suspectum. Itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi siquando dictum est; est autem dictum non parum saepe: etsi satis clemens sum in disputando, tamen

Cap. IV.

§. 11. *inquit*] Sic scripsi omisso *ille*, quod vulgo post *inquit* legitur, sed in optt. codd. est ante *inquit*, quae ipsa verborum collocatio docet, *ille* esse spurium. Nusquam enim apud Ciceronem *inquit* nomini subiungitur, sed semper praeponitur. Vide Heindorf. ad Cic. de Nat. D. I, 7, 17.

ut ita dicam, indolentia] Infra §. 19. hac mitigandi formula in hoc verbo non utitur, sed excusationis causa pron. *ille* adiicit. At Off. III, 3, 12. sine ulla excusationis formula hac v. utitur. Vid. ibid. Beier.

Ita plane] Sic de coniectura Goer. posui, quum in Spir. Erl. et Bas. *idem* absit, adiectum, opinor, ab eo, qui post affirmandi vocem *plane* additamentum postulabat. *Ita* facile excidere potuit propter ultimam syllabam verbi *indolentia*. Vide Tuscul. I, 7. *Non dicis igitur miser est M. Crassus, sed tantum miser M. Crassus. — Ita plane.*

§. 12. *invid. nomen est, infame, suspectum*] Sensus est: *nomen hoc iis, qui ipso utuntur, invidiam creat, infamiam contrahit et opinionem hanc probabilem reddit, a re eos non alienos esse, qui in nomine usurpando nihil sibi cavent.*

nterdum soleo subirasci. Egone non intelligo, quid sit ἡδονὴ Graece, Latine voluptas? utram tandem linguam nescio? deinde, qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse voluerunt? quod vestri quidem vel optime disputant, nihil opus esse, eum, qui futurus sit philosophus, scire litteras. Itaque, ut maiores nostri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset: sic vos de pagis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos. Ergo illi intel- 13
ligunt, quid Epicurus dicat, ego non intelligo?

quod vestri quidem vel optime disputant, nihil opus esse etc.] *Optime* ironice intelligendum. cfr. II. Acad. 36, 115. Sensus est: *Vos Epicurei dicere soletis, nos non intelligere, quam dicat Epicurus voluptatem. At iidem vos Epicurei disputatis vel ab hominibus ineruditis posse philosophiam tractari eiusque sententias intelligi. Ergo illi homines intelligunt Epicurum, ego non intelligo?* Haec enunciatio proprie collocanda fuit post verba *Itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod* enim non est, ut Goer. explicat, *quod ad id attinet*, sed est accusat. gen. neutr. qui coniungendus est cum *disputant*, ut etiam simpliciter dicitur *disputare rem, eine Sache besprechen.* Hinc simul intelligitur, non esse hoc concisum genus dicendi pro: *quod vestri vel optime dicunt, qui disputant*, ut explicat Goer. duce Wopkens. Lectt. Tull. p. 91. seq. Hoc autem demum loco haec sententia profertur, quia propius erat, ut refutaret Epicureos, qui ei obiecerant, quod non intelligeret, quid vellet Epicurus. Tum causam addit, cur id satis mirari nequeat, quod se, qui sit philosophus, Epicurum intelligere negent, quum ipsi Epicurei plurimi admodum sint indocti, et tamen Epicurum intelligant. His autem docet, Epicureos ipsos secum dissentire, qui dicant, philosophum posse esse ineruditum, sibi autem, qui magnus sit philosophus, obiici, non intelligere Epicurum, quem inculti intelligant. Verte prima verba ita: Darüber sprechen nun Leute allerliebst, man habe nicht nöthig etc.

nihil opus esse, eum etc.] Vide Menag. ad Diog. Laert. X, 6.

qui futurus sit philos.] Sic tres Goer. — Orell. cum al. *ph. f. s.*

Cincinnatum] L. Quinctius Cincinnatus dictator primum dictus est a. U. 296. vide Liv. III, 26. iterum dictator dictus est a. U. 315. quae dictatura h. l. intelligitur. Vide Liv. IV, 13. seq. et ne ad Caton. Mai. 16, 5. — *Ut — sic* in oppositione contrariorum dici, supra vidimus I, 1, 3.; optime autem hanc comparationis rationem ironiae inservire, per se patet. *Goer.*

bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos] Cfr. Tusc. I, 3, 6. *multi iam esse Latini libri dicuntur scripti inconsiderate, ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis.* Vid. ad eum loc. Kuehner. Omnes tamen errant, si pleonasticum positum putant *illi*, quod pronomen ad augendam orationis vim ponitur hoc modo: *colligitis viros, illos nempe, qui boni quidem sunt, sed non eru-*

Ut scias me intelligere, primum idem esse dic voluptatem, quod ille ἡδονήν. Et quidem saep quaerimus verbum Latinum par Graeco et quo idem valeat: hic nihil fuit, quod quaereremus Nullum inveniri potest, quod magis idem declare Latine, quod Graece ἡδονή, quam declarat volu ptas; huic verbo omnes, qui ubique sunt, qui Latine sciunt, duas res subiiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem iucunditatis in corpore. Nam et ille apud Trabeam *voluptatem animi nimiam laetitiam* dicit, eandem, quam ille Caecilianus, qui *omnibus laetitiis laetum* esse se narrat. Sed hoc interest, quod voluptas dicitur etiam in animo, (vitiosa res, ut Stoici putant; qui eam sic

diti. Cfr. Zumpt. §. 743. Ramshorn. p. 336. f., August Grotefend. §. 218. Posteriores scriptores dilatarunt hunc loquendi usum ita, ut etiam *hic quidem* ita dicerent, veluti Plin. Hist. Nat. XXII, 22, 46.

§. 13. *commotionem iucunditatis suavem*] Sic tres Goer. optimi; optimo ordine.

Nam et] Mirum est neminem de part. *et*, quae hoc loco pro *etiam* posita videri possit, aliquid dixisse. Nam quum non aliud *et* respondeat, dicendum est, aut pro *etiam* positum esse, aut latere alterum *et* in contextis, quod verum esse censeo. Voluit enim, opinor, ita scribere auctor: *nam et ille apud Trabeam voluptatem animi nimiam laetitiam dicit, et ille apud Caecilium, qui* etc. Sed coniunxit secundum membrum per *eandem quam*, quod oblitus erat initii auctor.

Trabeam] Fuit poeta Romanus comicus, quem Gronov. ad Gell. XV, 24. circa a. U. 622. floruisse censet. Vide Both. Fragm. Comic. Vol. V. P. I. p. 29. Pertinet ad nostrum locum II. Div. ep. 9. *Repente vero decessi omnibus laetitiis laetus. In quo quum obiurgarer, quod nimio gaudio paene desiperem: ita me defendebam: Ego voluptatem animi nimiam.* Plenius ille Trabeae versus laudatur IV. Tuscul. 15, 35. *ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitratur.* Unde Bentleius hunc versum Trochaicum composuit:

'Ego voluptatem ánimi nimiam súmmum esse errorem árbitror.

Idem tamen aptiorem dicit hunc versum futurum in Emendatt. ad hunc locum p. 283. ed. Orelli. 1829.

'Ego voluptatem ánimi nimiam súmmum esse aegrorem árbitror. aegror pro *aegritudo* est, ut ait idem, aliquoties apud Lucretium et Trabeae aetati apprime convenit.

Caecilianus] Est versus Caecilii Statii, de quo poeta vide ad I, 2, 4. Qua ex fabula desumptus sit versus, nos nunc dicere non possumus. Erat autem versus trochaicus, ut ex hoc initio videmus.

definiunt: sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui:) non dicitur laetitia, nec gaudium in corpore.

In eo autem voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, quum percipitur ea, quae sensum aliquem moveat, iucunditas: hanc quoque iucunditatem, si vis, transfer in animum: iuvare enim in utroque dicitur ex eoque iucundum: modo intelligas, inter illum, qui dicat, 14 p. 67.

Tánta laetitia aúctus sum, ut nil cónstet:

et eum, qui,

sublationem animi] Diogenes Laert. in Zenone VII, 114. Ἡδονή ἐστιν ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν. Apud Stobaeum quidem Eclog. Eth. p. 176. Λύπην δ' εἶναι συστολὴν ψυχῆς, ἀπειθῆ λόγῳ· αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν, πρόσφατον καὶ παρεῖναι ἐφ' ᾧ καθήκει ἐπαίρεσθαι. Absurde quod nemo non videt. Scilicet excidere nonnulla, quae videntur hoc modo supplenda: Λύπην δ' εἶναι συστολὴν ψυχῆς ἀπειθῆ λόγῳ· αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόσφατόν τι παρεῖναι ἐφ' ᾧ καθῆκει [συστέλλεσθαι. Ἡδονὴν δ' εἶναι ἔπαρσιν ψυχῆς ἀπειθῆ λόγῳ· αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόσφατόν τι παρεῖναι ἐφ' ᾧ καθήκει] ἐπαίρεσθαι. Plura collegimus ad Tuscul. IV, 6. *Davis.* Ceterum loquitur Cicero h. l. de *laetitia gestiente et nimia, qua inaniter et effuse animus exsultat.* vid. Tuscul. Disp. l. l. §. 13. *Goer.* Diog. l. c. §. 116. τὴν μὲν χαρὰν ἐναντίαν φασὶν εἶναι τῇ ἡδονῇ, οὖσαν εὔλογον ἔπαρσιν. Gell. N. A. II, 27. (laetitia) exsultatio quaedam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum.

laetitia — gaudium in corpore] Praestantissime de his verbis scripsit Doederlein latein. Synon. T. III. p. 242. qui omnino legendus est de verbis synon. *laetitia* et *gaudium*.

§. 14. *iucunditas*] Tractavit nostrum locum Doederlein. l. c. p. 258.

Tanta laetitia auctus sum ut nihil constet] Videtur hic quoque versus esse Trabeae, quum eius verba cum illis, quae in Tuscul. Dispp. IV, 15, 35. leguntur, arcte iungantur. Verba Tuscul. l. c. ita se habent, ut scripsit ea Orell.: *Quae* (appetitio nimia) *si quando adepta erit id, quod ei fuerit concupitum, tum effertur laeritate, ut nihil constet, quod agat: ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitratur.* Respexisse Ciceronem in verbis *ut nihil constet* ad nostrum versum viderunt interpretes, quod cur suspicentur, dixi supra. At priusquam de nostro versu plura dicam, intuendus est acrius Tusculan. locus, in quo Orell. iniuria codicis Regii Paris. vestigia repudiasse videtur. Legitur in cod. *ut nihil est constet*, unde Bentleius praeclare emendavit *ut nihil ei constet.* Deinde legitur *quid* pro *quod* in cod. non minus recte. *Quod* enim ex eo est ortum, quod nescirent librarii *nihil* pro *non* esse dictum, qua de significatione nubem exemplorum congessit Vir Cl. Eduard. Wunder ad

Núnc demum mihi ánimus ardet:

quorum alter laetitia gestiat, alter dolore crucietur; esse illum medium,

Quámquam haec inter nos núper notitia ádmodum est,

qui nec laetetur, nec angatur: item inter eum, qui potiatur expetitis corporis voluptatibus, et eum, qui excrucietur summis doloribus, esse eum, qui utroque careat.

V. Satisne igitur videor vim verborum tenere: an sum etiam nunc vel Graece loqui vel Latine docendus? Et tamen vide, ne, si ego non intelligam, quid Epicurus loquatur, quum Graece, ut

Cic. or. pro Sest. p. 182. seq. Praeclare etiam, ut mihi videtur, emendandum censuit Bentlei. *tum* in *tam*, quum neque opus sit, ut sibi respondeant *si quando — tum*, et hoc orationis tenore *ut* intelligendum esse pro *ita ut*, quod nonnisi in quieta fit sententiarum consecutione, vix credibile sit. Efferenda erat notatio impetus cupiditatis, quod fit, si legis *tam*. Ita igitur totum locum restituo: *quae* (appetitio nimia) *si quando adepta erit id, quod ei fuerit concupitum, tam effertur alacritate, ut nihil ei constet, quid agat: ut ille* etc. Quorum verborum sensus est hic: *nimia appetitio si quando adepta erit id, quod ei fuerit concupitum, tam effertur alacritate, ut, quid faciat, prorsus nesciat.* Haud male comparavit Goer. Terent. Heaut. II, 2, 67. *Prae gaudio, ita me dii ament, ubi sim nescio.* Iam illa verba, quae leguntur in Tusc. l. c., si comparas cum nostro versu facile intelliges, versum non esse integrum, quod vel ex metro licet videre, quod nullum est, si nihil adiicitur. Versum fuisse Tetrametrum Trochaicum videmus, cuius prima pars servata nobis est, si pro *nihil* scribitur *nil*. Sic enim saepe apud poetas comicos est emendandum (vide me ad vers. Caecil. in Cic. Cat. Mai. 8, 1.). Lege igitur:

Tánta laetitia aúctus sum, ut nil cónstet;

tali fere exitu fuisse versum puto, si coniecturari aliquid licet ex Tusc. loco: *quid faciam mihi*, ita fere:

Tánta laetitia aúctus sum, ut nil cónstet quid faciám mihi.

h. e. *ita perturbatus sum laetitia, ut nesciam prae gaudio, quid faciam.* Sed alteram partem versus omisit Cicero, quod non opus erat his adiectis. Cfr. Bothe Poet. Scen. p. 276.

Nunc demum mihi animus ardet] Ex eodem poeta puto esse depromptum versum Tetrametrum.

Quamquam — admodum est] Hic versus est Chremetis apud Terent. Heaut. I, 1, 1. ubi in quibusdam codd. est *nupera* pro *nuper*, quo non opus: adverbium enim pro adiectivo positum saepe reperitur apud comicos.

item] Sic omissa part. *que*, quae vulgo adiicitur, scripsi ex Erl. et Gud. 2.

videor, luculenter sciam; sit aliqua culpa eius, qui ita loquitur, ut non intelligatur. Quod duobus modis sine reprehensione fit: si aut de industria facias, ut Heraclitus, cognomento qui σκο-

Cap. V.

§. 15. *ut videor*] scil. *mihi*. cfr. supra I, 4. in. Cfr. Zumpt. §. 380. Beier. ad Cic. Off. I, 1, 1.

qui ita loquitur] Sic tres Goer. ipso probante. Vulg. *loquatur*, positum a librariis, qui pendere putabant hoc verbum ex formula *vide, ne — sit — culpa eius*, qui ita loquatur; sed hoc verbum auctoris sententiam significat, non aliorum. — Formula *vide, ne* proprie *cave, ne* est formula modestiae, qua quod pro certo dicere volunt, tanquam probabile et minus certum efferunt. cfr. pro Rosc. Am. §. 140. Sic etiam Graeci, ὁρᾶτε ὅπως μὴ αἴσχιον πράξομεν. Thucyd. I, 82. Similis formula est *vereor, ne*. *Matthiae* ad Cic. pro leg. Manil. §. 63. Cfr. Ramshorn. p. 606, Kuehner ad Tusc. Disp. I, 34, 83.

Heraclitus, cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur] Quattuor nóminibus hoc in loco offendimus 1. V. cognomentum, quod partim Sallustio partim Messalae tribuitur, Ciceronianum omnino non videtur; altero enim loco, ubi olim legebatur, pro Milone 17, 46. optimis cum auctoritatibus fuit delendum. [at hoc loco omnes omnino codd. et editt. tuentur, nec in ullo cod. haec verba desiderantur.' Et quod unus hic est locus, ubi haec vox legitur, non probat esse spurium, nisi forte omnia ἅπαξ εἰρημένα vis expellere, quod est insanum.] 2. In positione *cognomento qui* haesit iam Goer. [at qui Ciceronis opera legerit, non, opinor, putabit, Ciceronem pronomen non postposuisse substantivo, ad quod referatur. Exempla, nisi fallor, collegit Perizon. ad Liv. 28, 12, 13. Wopkens 107. ed. Frotscher. (p. 192. ed. Amstelod.) Haec ipsa porro verborum collocatio paullo insolentior ostendere videtur, verba esse Ciceronis, non scribae, qui non ita dicere solent. Saepissime autem tales explicationes, quae adiiciuntur ab ipso Cicerone, glossae speciem habent. Quod autem non scripsit Cic. ut voluit Goer. *Heraclitus is, cognomento qui*, eo factum esse puto, quod, quum Cicero hac forma dicendi utitur, *is qui* non solet interrumpere verbis interpositis. Vide exempla ap. Kuehner. ad Tusc. Disp. IV, 1, 2. p. 254. a.,] 3. v. *memorare* sic pro *disserere, disputare*, positum Ciceronis usui adversatur. [hoc concedo, nec dubito, quin scripserit Cicero *obscura*; saepissime autem adv. et adi. confunduntur, si terminantur adv. in *e*. Tum autem *memoravit nimis obscura* est: dixit talia, quae nemo facile posset intelligere.] 4. v. *quia* — — *memoravit* efficiunt hexametrum, ubi *quia* unam in syllabam contraxeris His, credo, permotus Muretus ad Arist. Eth. 2, 3. Opp. Ruhnk. 3. p. 257: „Apud Ciceronem leguntur hi versus, quos suspicor esse Ennii, *ut ille — — memoravit.*“ Ego puto potius esse Lucilii. Priorem sic fere constituendum monet Reiz in Add. Goer. p. 698. *Ille σκοτ. cogn. qui perh.* — Nemo vero, ubi attente locum ipsum verbaque pensitarit, de interpol. sive gloss. cogitabit. *Orell.* Qui amant versus, omnem numerum paullo altius sonantem ad

σεινός perhibetur, quia de natura nimis obscura memoravit: aut quum rerum obscuritas, non verborum, facit, ut non intelligatur oratio; qualis est in Timaeo Platonis. Epicurus autem, ut opinor, nec non vult, si possit, plane et aperte loqui: nec de re obscura, ut physici; aut artificiosa, ut mathematici; sed de illustri et facili et iam in vulgus pervagata loquitur. Quamquam non negatis nos intelligere, quid sit voluptas, sed quid ille dicat. ex quo efficitur, non ut nos non intelligamus, quae vis sit istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum negligat.

16 Si enim idem dicit, quod Hieronymus, qui censet, summum bonum esse sine ulla molestia vivere; cur mavult dicere voluptatem, quam vacuitatem doloris, ut ille facit, qui, quid dicat, intelligit? sin autem voluptatem putat adiungendam illam, quae sit in motu: (sic enim appellat hanc dulcem, in motu, illam nihil dolentis, in

versus leges revocare student et numquam fere plures Ciceronis versus exstiterunt, quam nostro tempore. Egregie hanc rem persecutus est Vir Cl. Hermann. in Dissert. de differentia prosae et poeticae orationis. P. II. p. 9. Opuscul. T. I. p. 123. seqq. Cfr Ramshorn. p. 650. qui versus hos esse falso putat, quos pro iis venditant. — Heraclitus (Ἡράκλειτος) circa Ol. 69. (504. a. Chr., Ephesius, philosophus physicus notae obscuritatis in scribendo, de qua vide III. de N. D. 14, 35. ibique Creuz. p. 540. de Divin. II, 64, 132. Krug. Gesch. der Philos. §. 46. Fragmenta eius operis περὶ φύσεως collegit Schleiermacher in Wolfs und Buttmann. Mus. der Alterthumswiss. Berlin 1807. T. I. p. 313. sqq. Cfr. Fabricii Bibl. Graec. T. II. p. 623.

nec non vult, si possit] Particulae *nec* respondet mox *nec de re obs.* etc. Prius *nec* solvendum in *et non* affirmantibus duabus negationibus, ut semper. Vertit *Goer. Epicurus möchte wohl gern.*

ex quo] Sic scripsi cum P. Cr. V. D. 2. Orell. probante Goer. Sequor in eiusmodi re Beierum, qui animadvertendam esse dicit, quae sequantur literae; *ex* scribendum censet post *p. q. r. s. t.* Vide eum ad Lael. 21, 8. p. 121. Deinde tres Goer. habent *efficiatur*, quem subiunctivum bene interpretatur Goer.: *hieraus liess sich die Folgerung ziehn* i. e. *hieraus könnte die Folgerung gezogen werden.*

§. 16. *qui quid dicat intelligit*] h. e. ut vertit Goer. der wohl weiss, was er sagt.

adiungendam illam] Sic scripsi e Gudd. 2. Bas. Vienn. duobus Ozon. — Cet. *eam.* Utrumque a scriba profectum esse censet

stabilitate:) quid tendit, quum efficere non possit, ut cuiquam, qui ipse notus sibi sit, hoc est, qui suam naturam sensumque perspexerit, vacuitas doloris et voluptas idem esse videatur? hoc est vim afferre, Torquate, sensibus; extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. Quis est enim, qui non videat, haec esse in natura rerum tria? unum, quum in voluptate sumus: alterum, quum in dolore: tertium hoc in quo nunc quidem sumus: (credo idem vos nec in dolore nec in voluptate esse:) ut in voluptate sit, qui epuletur; in dolore, qui torqueatur. Tu autem inter haec tantam multitudinem hominum interiectam non vides nec laetantium nec dolentium?

Goer. Ego *illam* in *eam* mutatum puto; *illam* demonstrandi causa adiectum esse censeo.

quid tendit?] i. e. κατὰ τί τείνει; similiter dicit auctor, *quid nititur?* ad utrumque enim *ratione*, *animo* etc. cogitandum est, cfr. II. Acad. 21, 68. illius verbi similitudine ab arcu, huius, a quavis virium contentione, petita. Frequentius quidem est, *quo tendit*, vel *quid intendit*. — Sensus totius loci hic est: *Nam si cum Hieronymo sentit, finem bonorum in ἀπονίᾳ ponens; cur potius voluptatem hanc dicit, quam, ut Hieronymus, vacuitatem doloris, qui, quid dicat, sibi plene conscius est? Contra vero si Hieronymi fini voluptatem, quam in motu dicit, addit — quid intendit? num cuiquam, qui se ipse norit, persuadebit vacuitatem doloris cum voluptate unum idemque esse, ut docere nititur?* — In proximis *appellat* decurtate, ut omnino verba dicendi, ponitur pro, *hanc, quam dulcem dicit, in motu esse appellat.* I. Legg. 8, 24. *Ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus, vel genus, vel stirps, appellari potest.* Goer.

credo idem vos] i. e. *credo ego idem* scil. *qui in hoc statu est, quo videtis eum esse, ut neque doleat, neque gaudeat.* De Pron. *idem* ita posito vide ad §. 5. — Notandum autem breve anacoluthon, quo parenthesi coniunguntur, quae enunciato primario erant adiungenda. Exspectatur enim haec oratio: *tertium, quum nec in dolore nec in voluptate sumus, ut nunc quidem ego*, (nam *sumus* ad solum Ciceronem refertur) credo idem vos esse. At, declinans orationis μονοτονίαν, consulto (ut saepius eum facere docuimus) directam structurae quasi iter reliquisse videtur. At tertium genus, sic expressum, ipsorum colloquentium exemplum proposuerat; restabant exempla ad bina reliqua genera: addit igitur in apodosi illud *epulantis* et *tormentorum cruciatus perferentis.* Goer. Pertinet hoc exemplum ad ea, quae habet Ramshorn. p. 704. c., Sillig. in censur. ed Lucil. Aetn. Jacob. in Jahn Jahrbücher für Philol. Vol. VI. fasc. 2. p. 155.

17 Non prorsus, inquit, omnesque, qui sine dolore sint, in voluptate et ea quidem summa esse dico. Ergo in eadem voluptate eum, qui alteri misceat mulsum, ipse non sitiens, et eum, qui illud sitiens bibat?

VI. Tum ille, Finem, inquit, interrogandi, si videtur: quod quidem ego a principio ita me malle dixeram, hoc ipsum providens, dialecticas captiones. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis, quam dialectice disputare? Quasi vero, inquit, perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Zenonis est, inquam, hoc, Stoici, omnem vim loquendi, (ut iam ante Aristoteles,) in
p. 68. duas tributam esse partes: rhetoricam palmae, dialecticam pugni similem esse dicebat; quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius. Obsequar igitur voluntati tuae dicamque,

§. 17. *Non prorsus, inquit: omnesque* etc.] Goer. dicit *que* ut saepe post negationem *sed* significare. Minime. Vertere nos ita possumus particulam, at connectendi vim servat, quoniam quae nos adversative dicimus, Romani copulative saepe enunciabant. Vid. Matthiae ad Cic. or. pro Rosc. Am. §. 10. Kritz. ad Sallust. Catil. 4, 2. p. 24. Multa exempla habet Wopkens Lectt. Tull. p. 75. (vid. autem Frotscher. in Indic. s. v. *Que.*)

Cap. VI.

Finem — interrogandi, si videtur] scil. *fac.* Eandem habes ellipsin, a Graecis repetendam [vide Brunck. ad Soph. Ant. 573. ed. Hermann.] III. N. D. 40, 94. *Quae cum dixisset, Cotta finem* scil. *fecit. Goer.* Vid. ad eum loc. Heindorf.

rhet. palm. — pugni sim.] Sextus Emp. adv. Math. l. II. §. 7. *Ζήνων ὁ Κιττιεὺς ἐρωτηθεὶς ὅτῳ διαφέρει Διαλεκτικὴ Ῥητορικῆς, συστρέψας τὴν χεῖρα καὶ πάλιν ἐξαπλώσας, ἔφη Τούτῳ· κατὰ μὲν τὴν συστροφὴν τὸ στρόγγυλον καὶ βραχὺ τῆς Διαλεκτικῆς τάττων ἰδίωμα· διὰ δὲ τῆς ἐξαπλώσεως καὶ ἐκτάσεως τῶν δακτύλων τὸ πλατὺ τῆς ῥητορικῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος. Dav.* Sed ex Cicerone ipso locus classicus praetereundus non erat, vide Orat. 32, 114. Eodem exemplo idem Zeno usus est ad *φαντασίας* et *καταλήψεως* diversitatem docendam, cf. II. Acadd. 47, 145. *Goer.* Cfr. Isidor. Origg. II, 23. *Dialecticam — et Rhetoricam Varro in novem disciplinarum libris tali similitudine diffinivit. Dialectica et Rhetorica est, quod in manu hominis pugnus astrictus et palma distensa: illa verba contrahens, ista distendens. Dialectica quidem ad disserendas res acutior: Rhetorica ad illa, quae nititur, docenda facundior.*

si potero, rhetorice: sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi; quam necesse est, quum populariter loquatur, esse interdum paulo hebetiorem. Sed dum dialecticam, Tor- 18
quate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam, et iudicandi, quale quidque sit, et ratione ac via disputandi: ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult, ulla arte distinguit: ut haec ipsa, quae modo loquebamur. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur, quid sit voluptas; aliter enim explicari, quod quaeritur, non potest; quam si explicavisset, non tam haesitaret. Aut enim eam voluptatem tueretur, quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac iucunde movetur: quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent voluptatem: aut, si magis placeret suo more loqui, quam ut

Omnes Danai atque Mycenenses,
Attica pubes, —

hebetiorem] i. e. *non ad vivum*, ut aiunt, *rem resecat*, vel, si malis, simili a telo desumpto, cfr. de Resp. Har. 1, 2. ubi *tela leviora et hebetiora* iunguntur: utrumque ad idem fere redit. *Goer.*

§. 18. *ratione ac via disputandi*] V. D. in Act. Erud. 1730. p. 232. vult *ac rationem et viam;* unde Brem. vult *et rationem ac viam*, quod non vidit, hunc genit. gerund. pendere ex voc. *scientiam*. II. de Or. 38, 157. dicitur dialectica *ars bene disserendi et vera et falsa diiudicandi*, id est hoc nostro, *scientia ratione et via* (methodice) *disputandi*.

ulla arte] in voce *arte* auctor per se dialecticam cogitasse putandus est, et *ulla arte*, ut saepe solet, pro *ex ulla parte ad dialectica praecepta convenienter*, accepisse. *Goer.*

quam ut] Scil. *loquuntur*, quod ex praecedente *loqui* intelligendum est, ut saepissime. cfr. VIII. Att. ep. 11. quae incipit *A. d. XV. kalend. Mart. Formiis accepi tuas literas: ex quibus ea, quae in agro Piceno gesta erant, cognovi commodiora esse multo, quam ut erat nobis nunciatum.* Ab Ern. inde *ut* delerunt intpp., quod putabant, *ut* adverb. non posse post comparativos ad *quam* iddi; quod falsum esse hoc ex epist. Cic. exemplum docet. Verus qui sequuntur, unde desumpti sint, nescitur. Bothe in Fragm. tragic. p. 286. inter incerta ponit. Sensus est: si alio modo loquitur atque omnes Graeci loquuntur. Solet autem ita ea exornare poetarum versibus Cicero.

reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur: hoc non dolere solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum contemneret: aut si utrumque probaret, ut probat, coniungeret doloris vacuitatem cum voluptate, et duobus ultimis uteretur.
19 Multi enim et magni philosophi haec ultima bonorum iuncta fecerunt; ut Aristoteles, qui virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate coniunxit. Calliphon adiunxit ad honestatem voluptatem: Diodorus ad eandem honestatem addidit vacuitatem doloris. Idem fecisset Epicurus, si sententiam hanc, quae nunc Hieronymi est, coniunxisset cum Aristippi vetere sententia. Illi enim inter se dissentiunt; propterea singulis finibus utuntur: et, quum uterque Graece egregie loquatur, nec Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere; neque Hieronymus, qui summum bonum statuit non dolere, voluptatis nomine umquam utitur pro illa indolentia: quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem.

§. 19. *haec*] notat: *haec, quae deinceps addam; ut* est *sic exempli causa.*

Calliphon] Sic scribo cum Orellio ex praecepto F. A. Wolf. ad Tuscul. V. §. 85., qui analogiam sequendam censet nominis propr. *Xenophon.* Graeca enim nomina, ut idem ad Tuscul. I. §. 57. docet, in *ων*, quorum genitivus vel in *οντος* vel in *ωντος* terminatur, apud Latinos scriptores in nominativo terminantur in *on*, ut *Ξενοφῶν, Ξενοφῶντος, Xenophon, Xenophontis, Καλλιφῶν, Καλλιφῶντος, Calliphon, Calliphontis.* Vide exempla apud Kuehner. ad Tusc. I, 47, 113. Contra, quorum genitivus terminatur in *ονος* vel *ωνος*, nominativum faciunt in *o*, ut *Μένω, Μένωνος, Meno, Menonis.* Causa facilis est ad intelligendum. Nam radix nominis quum cognoscatur ex genitivo, intelligitur quomodo nominativus terminatus fuerit, v. c. in nominibus in o, quorum genitivus habet *onis*, *n* litera euphonica est, quae hiatus vitandi causa interiicitur, ut pro *Menois* dicatur *Menonis;* contra quorum genitivus habet *ontis*, ut *Calliphontis*, radicem agnoscunt *Calliphont.* Vide Buttmann. Gr. Graec. med. §. 35. 36. 5. Cfr. Ochsner. in Cic. Ecl. p. 45. — De *Calliphonte* ipso vide Tuscul. V, 30, 85. Acad. II, 42. Fin. V, 25.

Diodorus] Coniungitur etiam infra V, 25. cum Calliphonte et in Tuscul. l. c. Erat philosophus Peripateticus.

Duae sunt enim res quoque, ne tu verba so- VII.
lum putes: unum est sine dolore esse: alterum 20
cum voluptate. Vos ex his tam dissimilibus rebus non modo nomen unum, (nam id facilius paterer,) sed etiam rem unam ex duabus facere conamini; quod fieri nullo modo potest. Hic, qui utrumque probat, ambobus debuit uti, sicut facit re; neque tamen dividit verbis. Quum enim eam ipsam voluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum seiunctum ab illo Aristippeo genere voluptatis: atque ibi hoc dicit, ubi omnis oratio eius est de summo bono. In alio vero libro, in quo, breviter comprehensis gravissimis sententiis, quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his verbis: quae nota tibi profecto, Torquate, sunt. — quis enim vestrum non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id est, quasi maxime ratas? quia gravissimae sint ad beate vi-

Cap. VII.

§. 20. *Duae — res, ne tu verba solum putes*] Verte: Zwey wirklich verschiedene Begriffe sind es, du darfst sie nicht als nur verschiedene Worte ansehn! Id est, tu forte dixeris, *indolentiam* et *voluptatem* non re differre, sed verbis: sed utique re differunt. Potius enunciatum praemissum vides: inde, hoc cum non cerneret, Rath. error, scribentis: *ne duo verba sol. p. Goer.*

nomen unum] *voluptatem* intelliges, qua, ex Epicuri mente, *indolentia* simul comprehenditur.

omnis oratio eius est] Sic Erl. Spir. — Vulgo *omnis eius oratio est.* — Goer. omisit ex uno cod. *est*, quod in eiusmodi oratione non omittitur, quum hic *est* non simplicem vim copulandi habeat, sed significet *agit, versatur in definiendo summo bono.* Ad sensum confer cap. 6. et cap. 3.

quis — maxime ratas] Cfr. I. N. D. 30, 85. Itaque in illis selectis eius (Epicuri) brevibusque sententiis, quas appellatis κυρίας δόξας haec, ut opinor, prima sententia est etc. Vix autem satis possum mirari, cur critici haeserint in part. *quasi*, quae mitigandi causa apponitur ad aliquid audacius paullo dictum. Nam verum id est κυρίας δόξας esse *ratas sententias*, non *maxime ratas*, quam gradationem ut adhibere posset, usus est auctor part. *quasi.* Vide exempla apud Beier. ad Cic. Off. II, 18, 63. p. 124. Cfr. Fin. II, 10, 30. *quasi dulces voluptates.* IV, 15, 41. *primus suos quasi conceptus.* Acad. I, 4, 17. *philosophiae quasi*

vendum breviter enuntiatae sententiae. — Animadverte igitur, rectene hanc sententiam interpreter.
21 „Si ea, quae sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos deorum et mortis et doloris metu docerentque, qui essent fines cupiditatum; nihil haberemus, quod reprehenderemus: quum undique complerentur voluptatibus nec haberent ulla ex

haeredem. 5, 20. *virtus, quasi perfectio naturae.* Denique ne vv. *quia — sententiae* glossae suspicionem moveant, sicut moverunt, dicendum est, addidisse haec scriptorem, ut explicaret, cur illae sententiae *maxime ratae* essent. Coniunctivum *sint* posuit, quia haec ex Epicuri mente profert, non de suo.

Animadverte igitur] Recte Orellius maiore distinctione usus est, quia est anacoluthon in his, significatum per particulam *igitur*. Nova incipit sententia. Vide Excurs. de Anacoluth. Dicendum erat sine parenthesi; *scribit his verbis: Si ea, quae sunt* etc.

§. 21. *Si ea — id est autem malum*] Haec versa ad verbum sunt decimae κνρ. δοξ. Laert. X, 142. *Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν ἔλυε τοὺς φόβους τῆς διανοίας, τούς τε περὶ μετεώρων καὶ θανάτου καὶ ἀλγηδόνων· ἔτι τε τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν ἐδίδασκεν ἄν, καὶ οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν ὅτι μεμψαίμεθα αὐτοῖς, πανταχόθεν εἰςπληρουμένοις τῶν ἡδονῶν, ὡς οὐδαμόθεν οὔτε τὸ ἀλγοῦν, οὔτε τὸ λυπούμενον ἔχουσιν, ὅπερ ἐστὶ τὸ κακόν.* Formula autem *quae sunt efficientia voluptatum* ad verbum de Graecis expressa est *τὰ ποιητικὰ τῶν ἡδονῶν*. Vid. Zumpt. §. 438. Beier. ad Offic. III, 3, 12. 33, 16. De Graecis vid. Matthiae Gr. Gr. §. 344. Apud Ciceronem haec reperi exempla. *Amans* Fin. II, 22, 72. Lael. 26, 98. or. pro Rabir. Post. 16, 43. pro Cluent. 17, 50. in Catil. IV, 6, 13. Epp. ad Famil. I, 5, 9. V, 10, 10. IX, 6, 3. 24, 8. X, 21, 17. XVI, 7, 2. ad Attic. IX, 19. ad Q. Fratr. 1, 1, 5. ep. 2. — *appetens* Fin. II, 14, 45. Tuscul. II, 24, 58. Lael. 14, 50. de Imper. Cn. Pomp. (or. pr. leg. Manil.) 3, 7. de leg. Agrar. II, 16, 42. — *adiuvans* Tim. 14. — *colens* pro Planc. 33, 80. — *conficiens* i. e. *efficiens* Fin. V, 27, 81. pro Flacc. 19, 44. — *conservans* Fin. III, 5, 16. — *continens* Partit. orat. 29, 103. — *contemnens* Legg. II, 17, 43. — *diligens* i. e. *amans* Fin. IV, 13, 32. pro Coel. 30, 73. Fragm. or. II. pro Cornel. ap. Fronton. [ed. Orell. Cic. Vol. IV. P. II. p. 454. nr. 15.] — *despiciens* de Orat. II, 89, 364. — *efficiens* nostro loco, unde egressi sumus. Off. III, 3, 12. 33, 116. Tim. 14. — *gerens* pro Quinct. 19, 62. in Vatin. 5, 12. pro Sest. 45, 97. — *intelligens* Fin. II, 20, 63. — *negligens* in Verr. III, 62, 143. — *observans* pro Quinct. 11, 39. pro Rabir. Posth. 16, 43. Ep. ad Famil. XIV, 4, 11. ad Q. Fratr. I, 2. — *perferens* de Orat. II, 43, 184. — *retinens* pro Planc. 23, 55. Ep. ad Q. Fr. I, 2, 3. — *sitiens* de Or. III, 20, 75. pro Planc. 5, 13. — Ex Ciceronis scriptis addubitatis haec notavi: *cognoscens* Rhet. ad Herenn. IV, 8, 25. — *metuens* post red. in senat. §. 4. pro Domo 26, 70. — *persequens* Rhet. ad Herenn. II, 19, 29.

parte aliquid aut dolens aut aegrum; id est autem malum.“

Hoc loco tenere se Triarius non potuit, ob- p. 69.
secro, inquit, Torquate, haec dicit Epicurus? quod mihi quidem visus est, quum sciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit saneque fidenter istis quidem ipsis verbis, inquit: sed quid sentiat, non videtis. Si alia sentit, inquam, alia loquitur: numquam intelligam, quid sentiat: sed plane dicit, quod intelligam: idque si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde: similiter ut si dicat, non reprehendendos parricidas, si neque cupidi sint, nec deos metuant nec mortem nec dolorem. Et tamen quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dari aut fingere aliquos, qui, quum

similiter ut si dicat] Sic scripsi cum Lambino, quod cur reiecerint Orell. et Goer. non intelligo. Nam quod exemplum laudat Goer. ex IV. Fin. 12, 31. *nec, si ille sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum et si ampullam perdidisset.*, id mihi valde est suspectum, ne scriptum fuerit *ut si*, pro quo in vulgatis est exemplaribus *ac si*. Nam ubi *et* inter duo est enunciata ita positum, ut haec copula cum alio verbo coniungatur, scribendum censeo *ut*. Nam *et*, id quod dixi ad l. I. §. 67., non pro *atque* vel *ac* vel *ut* in comparando (*als wenn*) ponitur, sed simpliciter copulat ea, quae sunt similia in uno enunciato, non novo verbo addito. Quis enim dixerit: *similiter facit et si certet: er handelt ähnlich und wenn er streitet?* Dicitur autem recte: *aeque amicos et nos ipsos amamus: wir lieben die Freunde und uns selbst gleich;* et autem et *ut* frequenter confunduntur in libris, unde etiam infra IV, 12, 31. scripserim: *similem habeat vultum ut si ampullam perdidisset.* Dissimilis est locus V, 3, 9. quem affert Goer., ubi legitur: *similem sibi videri vitam et mercatum eum*, quorum vv. sensus est: *similis est vita et magnus mercatus.* Offenderunt autem saepe critici in formula *similis ut si, similiter ut si.* Vid. Giese ad Cic. de Divin. II, 64, 131. Cfr. Cat. Mai. 6, 17. Heusing. ad Off. I, 25, 6.

neque cupidi sint, nec] Sic Spir., quem sequor in rebus dubiis, ubi nihil certi potest dici. — Vulgo — *nec — nec.*

quid attinet — dari, aut fingere] Vulgata *dare* nulla plane scriptorum niti auctoritate videtur; nam editi quoque vett. plerique *dari*; idque recte Bremi secutus est, sic passiva activis iungi docens. Laudat de Fato 20, 46. *disceptari — petere.* adde in Pison. 37, 90. *lex enim generi tui et decerni et accipere vetabat.* V. Phil. 14, 39. *exstingui potius — quam adducere.* Goer. Vide ad I, 10, 34. Cfr. Wopkens Lectt. Tull. p. 61. 307.

luxuriose viverent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine, dummodo cetera caverent?

22 Sed tamen nonne reprehenderes, Epicure, luxuriosos ob eam ipsam causam, quod ita viverent, ut persequerentur cuiusquemodi voluptates; quum esset praesertim, ut ais tu, summa voluptas nihil dolere? Atqui reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edant de patella: deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide,

Mihi sex menses sátis sunt vitae; séptimum
Orco spóndeo.

non reprehenderentur eo nomine, dummodo cetera caverent] Sic scripsi de coniectura, quum vulgo legatur *duntaxat* pro *dummodo*. Sed quum sensus aperte hic sit: *non reprehenderentur eo nomine i. e. eo, quod luxuriose viverent, dummodo cetera caverent*, scil. *ea, quae ex luxuria oriuntur mala*, *duntaxat* autem nusquam sit pro coniunctione positum, emendatio est facienda. Male autem Goer. ita distinxit: *eo nomine duntaxat cetera caverent;* nam *eo nomine* pertinet ad superiora. Peius etiam Orell., qui distinxit: *non reprehenderentur eo nomine duntaxat, cetera caverent*, ubi ante vel post *cetera si* part. excidisse putat. Scripsi autem *dummodo*, quod haec particula facillime per compendium abire potuit in *duntaxat*, quod frequens est grammaticis et interpretibus vett. Quum igitur formula iuris *duntaxat* scribatur in codd. $\overline{dtg}$ (vide Indic. siglar. in cod. Gaii Veronens. ed. Berol. 1820. p. LXXXVII. ad fin.). facile *dummodo*, quod item scribitur in codd. $\overline{dng}$, pro *duntaxat* legi potuit, quod scribis erat frequens in usu, praesertim si obscurius scriptum esset $\overline{dn}$. *Duntaxat* omnino h. l. sensu caret. Vitium antiquius, quam nostri omnes codd., quod in hoc libro frequenter factum esse videmus. Vide ad I, 20, 70. cfr. infra §. 25.

§. 22. *edant de patella*] Proverbialis locutio est ad eos pertinens, qui sacra, profana susque deque habent. Patella enim sacri usus erat, in qua cibus diis apponebatur. Varro apud Nonium in *Patella: Quocirca oportet bonum civem legibus parere et deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Inde Persius Sat. III, 26. *cultrixque foci sacra patella*, ad quae vetus scholiastes delibatas dapes in ea positas ad focum ferri solitas esse narrat.

Hymnide] Haec Caecilii fabula, quae saepius a grammaticis veteribus laudatur, ex cognomine haud dubie Menandri translata est, cuius mentio fit apud Athen. Deipn. IV. p. 342. Hunc versum imitatus est Lucilius Sat. l. XXVI. *Qui sex menses vitam ducunt Orco spondent septimum.* Exstat apud Nonium in *duci* et in *annos*. Versus noster est Tetrameter octonar.

iam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio proment: *si gravis, brevis: si longus, levis.* unum nescio, quo modo possit, si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere.

VIII. 23 Quid ergo attinet dicere, *nihil haberem, quod reprehenderem, si finitas cupiditates haberent?* hoc est dicere, *non reprehenderem asotos, si non essent asoti:* isto modo, ne improbos quidem, si essent boni viri. Hic homo severus luxuriam ipsam per se reprehendendam non putat! Et, hercule, Torquate, ut verum loquamur, si summum bonum voluptas est, rectissime non putat. Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant et qui de conviviis auferantur crudique postridie se rursus ingurgitent: qui solem, ut aiunt, nec occidentem umquam viderint nec orientem: qui, consumtis patrimoniis, egeant.

Cap. VIII.

§. 23. *Hic*] h. l. est adverbium loci. Cfr. Tursell. p. 275.

Et, hercule, etc.] Sensus explicatior hic est: *si Epicurus voluptatem simpliciter in bonis numerasset, alia res foret; sed quum eam summum bonum statuit, rectissime ipsam per se reprehendendam non putat.*

qui solem, ut aiunt, nec occidentem] Hoc de luxuriosis hominibus et abdomini vinoque natis dicitur. Athen. l. VI. p. 273. B. Σμινδυρίδης ὁ Συβαρίτης ἐνδείξασθαι βουλόμενος, ὡς εὐδαιμόνως ἔζη — οὐκ ἔφη τὸν ἥλιον ἔτων εἴκοσιν οὔτ' ἀνατέλλοντα οὔτε δυόμενον ἑωρακέναι. Atque id quidem Sybaritis fuit solenne; hinc vulgo dictum ἄτι τὸν βουλόμενον ἐν Συβάρει μὴ πρὸ μοίρας ἀποθανεῖν, οὔτε δυόμενον οὔτε ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον ὁρᾶν δεῖ. quod docet idem l. XII. p. 520. A. Iterum de Colophoniis p. 526. B. Οὕτω δ' ἐξελύθησαν διὰ τὴν ἄκαιρον μέθην, ὥστε τινὲς αὐτῶν οὔτε ἀνατέλλοντα τὸν ἥλιον οὔτε δυόμενον ἑωράκασιν. Columella lib. I. Praef. p. 7. *Nosmet ipsos ducimus fortunatos, quod nec orientem solem videmus nec occidentem* [praecedunt haec: *noctes — libidinibus et ebrietatibus, dies ludo vel somno consumimus ac nosmet* etc.] Inter Romanos id primus usurpasse videtur M. Cato. Vide Senec. Ep. CXXII. *Davis.* Verba sunt haec: *Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut M. Cato ait, nec orientem umquam solem viderunt, nec occidentem.* Loquitur autem de luxuriosis, quos antipodes vocat, quod perversae vigiliae tempus habeant. Omissum est hoc fragmentum Catonis in edit. fragm. Lion. ubi ad carmen de moribus est referendum. p. 45. Cfr. Erasmi Adag. in *Parasiti.*

Nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat vivere, mundos, elegantes, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes crudítatem;

— — — — quibu' vinum
Defusum e pleno siet, hir siphove (ut ait Lucilius,) *cui nil*
Dempsit, vis aut sacculus abstulerit....
. . . adhibentis ludos

et quae sequuntur, illa, quibus detractis, clamat

e pleno] Beiero ad Cic. or. pro Scaur. fragm. p. 205. non modo copiam, sed bonitatem etiam meri spectasse videtur Lucilius. *Plenum* autem ita intelligendum est, quod in *pleno* h. e. nondum reserato dolio vinario integrum vigorem suum conservat vinum.

siet] antiqua forma pro *sit*. Vide Ramshorn. p. 87. Struve über die latein. Deklin. und Konjug. p. 60. not. 2.

hir siphove] Sic Orell. qui haec: „*Hir* (vel potius *ir*) s. vola manus, quo modo *siphone* demere possit aliquid vino, non video [legitur enim vulgo *hir siphone*]: siquidem iunctis manibus opus est ad siphonis aliquam similitudinem efficiendam. Optime autem vel ir, vel sipho, fistula.“ Constructio haec est: *cui nil hir siphove dempserit, aut* (cui) *vires sacculus abstulerit.* Sensus totius est loci: *qui optimum bibant vinum.* Transeundum est ad singula. Verba *ut ait Lucilius* tam alte reiecta nihil habent, quo offendant; ita enim etiam I. de Divin. 14, 24. vv. *ut ait Pacuvius* eo ad finem fere reiecta sunt, ut, id quod recte dixit Goer., poetae vv. arctius cum sermonis contextis iungerentur. — Scaliger *hir* sic explicat, ut manum volam, (*die flache Hand*) qua degustentur vina, notet: commemorant hanc vocem Charis. ap. Putsch. p. 12, 23. Priscian. p. 648, 9. 698, 44. Valer. Prob. p. 1451, 2. 1477, 21. Alcuin. p. 2101, 9. Phocas p. 1690, 30. 1694, 41. omnes *ir* scribentes: nullum enim nomen in *hir* terminari ait Valer. Prob. p. 1455. 35. *Goer. Ir* tuetur etiam Beier. l. c. ex Philoxeni glossis p. 125, 31. alioque onomastico Latin. Graeco p. 75. ed. Vulcanii, ubi *ir* explicatur θέναρ. Potest etiam hoc aliquid probare, quod ap. Festum vox *Irnela* constanter in omnibus codd. sine adspiratione scribitur. Nam haud dubie vox *irnela* a voc. *ir* est ducta. *Irnela* autem erat, ut ait Festus, *vasis genus in sacris*, cuius figura fortasse similis erat manui volae, unde acceperit res nomen. *Ir* autem a Graeco duci vocabulo χείρ optime ostendit Passov. in Lex. Graec. s. h. v. — *Sipho* item venit a Graeco voc. σίφων, quod significat *vacuum, excavatum corpus, calamum, fistulam* (Röhrchen) *hauriendis aquis vel aliis liquoribus aptam.* — *Sacculus* est *parvus saccus vinarius, quo vinum percolatur* (*saccatur*), *liquatur.* Vetus Gloss. ὑλιστήρ. Vid. Columell. IX, 15. XII, 17. 19. Intpp. ad Petron. c. 73. *Vis* antiquus est accusat. plur. contractus pro *vires*, ut pluries Lucretius locutus invenitur, ut II, 586. III, 266.

illa] pro *illa dico*, quod pron. remittit nos ad 3, 7.

Epicurus se nescire, quid sit bonum: adsint etiam formosi pueri, qui ministrent: respondeat his vestis, argentum, Corinthium, locus ipse. Hos ego 24
asotos bene quidem vivere aut beate numquam dixerim. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum: nec ille, qui Diogenem Stoicum adolescens, post autem Panaetium audierat, Laelius, eo dictus est sapiens, quod non intelligeret, quid suavissimum esset: (nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus:) sed quia parvi id duceret.

O lapathe, ut iactare necesse est, cognitu' cui sis.
In quo Laeliu' clamores, σοφὸς ille, solebat
Edere compellans gumias ex ordine nostros.

vestis] intelliguntur *tapetes et stragulae.*

Corinthium] intellige *aes*, quod glossatores in nonnullis codd. adiecerunt.

locus ipse] In codd. adiicitur *aedificium*, quod om. Marsus probantibus Goer. et Orell. Refertur autem *locus ipse* ad triclinii pariter atque totius domus splendorem.

§. 24. *ille — Laelius*] Est idem, de quo saepissime Cic. in libro de Amicit. loquitur.

palatus] Sic plurimi et optimi codd. et editt. vett. — E codd. duobus Davisii Ern. et Brem. *palatum*, quod alibi hanc masculini formam non repererant. Sed recte notat Rath. verba esse proverbii atque inde ut priscam formam *palatus* defendi. Vide Struve über die latein. Deklin. p. 52. Ruddim. T. I. p. 163. Lindemann. ad Plaut. Milit. IV, 6, 41. Ramshorn. p. 59. Sic mox idem Lucil. *lapathus* dixit, quum proprie dicatur *lapathum*, quod est herba (Scheller dicit esse Sauerampfer), de qua Varro apud Nonium in v. *lapathium* ita: *Hanc eandem voluptatem tacitulus tarim consequi lapathio et ptisana possum.* Vide sis etiam Hesiod. Op. v. 41.

[*Νήπιοι, οὐδὲ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς*
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μεγ' ὄνειαρ.]

Dav. Vilissimae hae sunt herbae, quibus fruebantur pauperes. Erat autem lapathum suavi gustu.

ut iactare necesse est, cognitu' cui sis] h. e. *quantum iactare se debet is, qui praestantiam tuam agnorit!*

in quo] h. e. *in iactando, dum iactat praestantiam lapathi Laelius.*

gumias] *Gumiae* sunt gulones, lurcones (Schlemmer.). Ioseph. Scalig. Coniectan. in Varron. de L. Lat. l. VI. p. 151. ducit voc. a Graeco *γόμος, πλήρωμα τῆς νεώς, ἔρμα* (Schiffsladung). *Saburram* Latini vocant. Est apud Festum in v. *Ingluvies* ita: *Ingluvies a gula dicta, hinc et ingluviosus et gluto, gulo, gumia* etc.

Praeclare Laelius et recte σοφός; illud vero:

O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit.
Cenasti in vita numquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla, atque acipensere cum decumano.

Is haec loquitur, qui in voluptate nihil ponens, negat eum bene cenare, qui omnia ponat in voluptate: et tamen non neget, libenter umquam cenasse Gallonium; mentiretur enim: sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene cenent, omnes libenp. 70. ter cenare: qui libenter, non continuo bene. Sem25 per Laelius bene. Quid bene? Dicet Lucilius:

Cocto
Condito.

Sed cedo caput cenae:

Sermone bono.

Quid ex eo?

Si quaeri', libenter.

Lucil. ap. Nonium lib. XXX. *Quo veniunt illae gumiae, vetulae, improbae, ineptae* etc. Et Apulei. Apolog. p. 498. *Testimonium ex libello legi audisti gumiae cuiusdam et desperati turconis, Iunii Crassi, in eius domo nocturna sacra cum Appio Quinctiano factitavisse.*

illud vero] Sic Spir. et Erl. recte — vulgo *illudque vere.* Est leve anacoluthon in pron. *haec*, quod, nisi versus essent interpositi, abesse debebat.

Galloni] Gallonius erat lurco celeberrimus, de quo vide intpp. ad Horat. Satir. II, 2, 46., qui idem ad hos versus respicit, inprimis autem Duzam ad Lucil. Fragm. p. 284.

inquit] scil. *Laelius.* Versus sunt item Lucilii.

acipensere cum decumano] *Decimanus* est dictus, quia ex poetarum opinione maximus est, qui decimus venit. Vid. Ovid. Met. XI, 530. I. Trist. 2, 49. Sil. Ital. XIV, 124. Cfr. Politian. Miscell. c. 86. Goer. *quum* scripsit, ut integer sermo esset: *atque quum consumis acipensere dec.* Sed durissima haec brevitas. Acipenser autem apud antiquos Romanos non item posteriores, in lautioribus et delicatioribus epulis habebatur. Vid. Heindf. ad Horat. Sat. II, 2, 47. p. 263.

§. 25. *Dicet Lucilius*] Libro XIII. Epist. ad Attic. ep. 52. ita scriptum est: *Edit et bibit ἀδέως et iucunde: opipare sane et apparate: nec id solum, sed bene cocto, condito, sermone bono, et, si quaeris libenter.*

veniebat enim ad cenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae. Recte ergo is negat, umquam bene cenasse Gallonium; recte, miserum: quum praesertim in eo omne studium consumeret: quem libenter cenasse nemo negat. Cur igitur non bene? quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro male, prave, nequiter, turpiter cenabat. Non igitur nec lapathi suavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat, sed suavitatem ipsam negligebat. quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret.

Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini, sed etiam ut loqui deceat frugaliter. Possumusne ergo in vita summum bonum dicere, quum id ne in cena quidem posse videamur? Quo modo autem philosophus loquitur tria IX. 26

animo quieto] i. e. *libero a cupiditate.* Opponitur *studium*, σπουδή, quod Gallonius in opipari cibi apparatum conferebat.

recte, miserum] *dicit* repetendum ex *negat*, ut I, 18, 61. Respicitur autem ad superiora, *Galloni es homo miser.*

male, prave] Vide Doederlein. latein. Synon. T. I. p. 63. *nequiter* p. 55. ubi nostrum loc. citat.

Non — nec] *nec* cum anacolutho ponitur, quum ei non respondeat alterum *nec*, pro quo scripsit auctor *sed*. Si proprie dixisset, ita scripsisset: *Non igitur nec lapathi suavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat, nec suavitatem ipsam laudabat.*

Cap. IX.

ut loqui deceat frugaliter] Durius est hoc loquendi genus pro: *ut intelligatis loqui decere frugaliter* vel: *ut intelligatis, ut loqui deceat frugaliter.* Utrumque est attractionis. Primam explicationem si sequere, pertinet ad id genus, quo de diximus ad I, 5, 14. Causa haec est, quod verbum *intelligendi* facile e contextis esse intelligendum patet. Est enim enunciatum finale. Alterius generis nullum habeo aliud exemplum. Ernest., qui difficultatem vidit, coniecit: *loquamini, ut decet, frug.* Ego, si quid suspicari liceat, scriptum esse censeo: *discatis.* Facile enim *deceat* et *discatis* confundi potuit a librariis, si repererant *discat'* i. e. *discatis* quum *deceat* ita scribatur *deceat.* Esse autem in hoc libro vitia omnibus nostris codd. antiquiora vidimus ad I, 20, 70.

§. 26. *Possumusne ergo*] Sic Spir. Erl. pro vulgato *igitur*; melius est *ergo* in consecutione finali.

loquitur tria genera cupiditatum] Haec dicendi ratio nuper contra veram rationem impugnata est. Nam aliud est, si *argumenta loqui* II. Acadd. 15, 24. aut *oratio loquitur* Orat. 27,

genera cupiditatum? naturales et necessarias: naturales non necessarias: nec naturales nec necessarias! Primum divisit ineleganter; duo enim genera quae erant, fecit tria: hoc est non dividere, sed frangere. Qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes: naturalium duo, necessarias et non necessarias: confecta res esset. Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent. Vitiosum est enim in dividendo partem in genere
27 numerare. Sed hoc sane concedamus: contemnit disserendi elegantiam; confuse loquitur: gerendus est mos, modo recte sentiat. Equidem illud ipsum non nimium probo et tantum patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri? tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cu-

92. scripseris; quae sua natura vitiosa sunt: [Minime! nam *argumenta loquuntur* est: *die Beweise sprechen dies aus; oratio loquitur, die Rede gibt es zu erkennen, spricht es aus: sic oculi loquuntur* etc.] aliud, genera, rem, tempora, praecepta loqui pro *eloqui*, *proferre dicendo;* talia sane apud omnis aetatis scriptores frequenter dicuntur. *Goer.*

Primum divisit ineleganter] Vere monet Cicero, hanc divisionem, quae est κυρ. δοξ. XXXI. cfr. supra I. §. 45. esse parum elegantem: sed eodem, quo vult, modo, divisit ipse quoque Epicurus in Epistola ad Menoecum Laert. X, 127. τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν εἰσὶ φυσικαὶ, αἱ μὲν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μόνον. τῶν δὲ ἀναγκαίων αἱ μὲν πρὸς εὐδαιμονίαν εἰσὶν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἀοχλησίαν, αἱ δὲ πρὸς αὐτὸ τὸ ζῆν. *Goer.* Pro *ineleganter* teste Lamb. alii scripserunt *negligenter.* Pessime. Vid. §. 27.

naturalium duo] Sic Spir. Erl. E. ξ., quod cur improbet Goer. nescio; orationis vigor in dividendo maxime commendat omissas voces *quoque item* post *naturalium.*

§. 27. *contemnit disserendi eleg.*] Sic omisso *enim* post *contemnit* scripsi ex Erl. et Spir., quod in his brevibus enunciatis quam maxime probo.

Equidem illud] Mitius hac de re Cicero ideo iudicat, quod haec sententia Epicuro cum Academicis reliquisque philosophis communis erat, Stoicis, quos ille sequitur, solis eam oppugnantibus; quippe qui cupiditates non *finiendas*, οὐχ ὁριστέα, i. e. moderandas, sed exstirpandas iuberent. *Goer.*

Quis est enim — quin] Erl. et Spir. *qui non*, quod proprium dicit in hac forma Goer., ubi *non* vim habeat, quae pereat in *quin.* Facile vulgatam inde nasci potuisse, quod *n.* ex nota *non* scribatur. Idem tamen Goer. sibi repugnat alio loco Acad. II, 7,

pidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite: et adulter verum habebit modum: et luxuriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum? Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo: elegantiam desidero. Appellet haec desideria naturae: cupiditatis nomen servet alio, ut eam, quum de avaritia, quum de intemperantia, quum de maximis vitiis loquetur, tamquam capitis accuset.

20. ubi dicit scribas in hac structura offendisse. Legitur ibi: *quis est, quin cernat, quanta vis sit in sensibus?* cf. V. Verr. 22, 57. *quis est vestrum, quin intelligat.* Adde Ramshorn. p. 557. 558. not. 1. Res haec esse videtur: *Quin* ortum est ex *qui ne*, h. e. *quomodo non* (nam *ne* antiqua est forma ex Graecor. *μή*), quo quum utimur, modestiae causa id fit, quae si tollitur, directe loquimur. *Quis est enim, quin — cupidus dici possit* significat: *quis est talis, ut non cupidus dici possit;* vel: *quis est talis homo, in quo non dici potest, quomodo non cupidus dici possit.* Hoc si directe eloquimur, dicimus: *nemo non cupidus dici potest. Quis est qui non cupidus dici possit?* tollit istam modestiam dicendi; statim enim intelligitur sensum esse hunc: *quisque cupidus dici potest.* Ut igitur scriptor rem eloqui vult, ita vel hac vel illa formula utitur. Unde pendet iudicium locorum dubiorum, ut hic noster est, ex codd. auctoritate et ex ambiguitate vitanda, quae h. l. esset, si legeretur: *qui non*, ubi facile quis *non recte* coniungenda putet. Credibilius est etiam, scribas solvisse formulam in naturalem illam *qui non*, quoniam scilicet cum grammaticis putant *quin* esse ex *qui non* compositam. Quae seiunxit Ramshorn., coniungenda sunt. Verum vidit, sed non persecutus est rem. Idem statuendum est de discrimine, quod est inter: *non dubito quin hoc ita sit* et: *non dubito hoc ita esse.* Nam *non dubito quin hoc ita sit* significat: *non sum in dubio q u i n e* h. e. *quomodo non hoc ita scit*, quod modestius dictum est, ac si dicas *non dubito* h. e. *credo, persuasum est mihi, certus sum hoc ita esse.* Ex hoc intelligitur, vel a Cicerone utrumque dici potuisse. Is tamen, qua erat semper urbanitate et modestia, formulam dubitanter decernentis praetulit alteri affirmanti.

interitum afferat pravitatis] Sic Goer. al. — *pravitati* V. D. Discrimen hoc est: si dicimus *philosophia affert interitum pravitatis* significat: die Philosophie führt den Untergang der Schlechtigkeit herbei; *interitum affert pravitati* est: *Non alii rei, sed pravitati affert inter.* Utimur hoc dativo in oppositione, quae ubi non habet locum, genitivus ponitur. Vide quae dixi ad Caton. Mai. c. 23, 6. Dativus est dativus commodi; genitivus refertur ad substantivum regens.

Appellet — desideria naturae.] Ὀρέξεις non ἐπιθυμίας, quali verbo Epicurus constanter usus erat. Id vero ipsum Stoicorum est, qui illas probabant, has condemnabant. — Ex his quae

28 Sed haec quidem liberius ab eo dicuntur, et saepius. Quod equidem non reprehendo: est enim tanti philosophi tamque nobilis audacter sua decreta defendere: sed tamen ex eo, quod eam voluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, videtur amplexari saepe vehementius, in magnis interdum versatur angustiis, ut, hominum conscientia remota, nihil tam turpe sit, quod voluptatis causa non videatur esse facturus; deinde, ubi erubuit, (vis enim est permagna naturae,) confugit illuc, ut neget accedere quidquam posse ad voluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de nomine. Quid, quod res alia tota est? — Reperiam multos, vel innumerabiles potius non tam curiosos nec tam molestos, quam vos estis: quibus quidquid velim facile persuadeam. — Quid ergo dubitamus, quin, si non dolere voluptas sit summa, non esse in voluptate, dolor sit maximus? cur id non ita fit? — Quia dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio. —

deinde subiiciuntur levis quaedam ironia suapte sponte patet. *Goer.*

§. 28. *quam omnes gentes — appellant*] Pertinent haec ad 3, 6. *aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt.* Nam huc usque auctor id fere egerat, ut doceret, Epicuri *voluptatem* nullam aliam esse, quam quae vulgo ubique appelletur. Iam verbis illis, tamquam ex tractati argumenti repetitione, ad indolentiae Epicureae refutationem pergit, quam ipsam ab illo, tamquam deum ex machina, adhiberi dicit, ad difficultates scil. rumpendas, in quas se, ista voluptate, ut summum bonum posita, induerit. *Goer.*

Quid, quod res alia tota est?] Id est, Laborandum sane de nomine est, cum, quam vim huic tribuis, ea toto coelo a nominis vera notione diversa sit. *Goer.*

quibus quidquid velim — persuadeam] refertur ad illos *multos.*

cur id non ita fit] scil. *a te:* hoc est, *cur non tibi constat, et eum dolorem summum dicis, sine voluptate esse, cum hanc voluptatem summam statuas, esse sine dolore.* Addidimus his et seqq. diverbiorum signa, quae abesse non debebant. *Goer.*

doloris privatio] i. e. *liberatio a dolore, die Befreiung vom Schmerze.* Refertur hoc ad c. 7, 20. *unum est sine dolore esse: alterum cum voluptate.*

Hoc vero non videre maximo argumento esse, X.
voluptatem illam, qua sublata, neget se intelli- 29
gere omnino, quid si bonum, (eam autem ita p. 71.
persequitur, quae palato percipiatur, quae auribus: cetera addit, quae si appelles, honos praefandus sit:) hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non videt ne expetendum quidem esse, quod eam voluptatem hoc eodem auctore non desideremus, quum dolore careamus, quam haec sunt contraria!

Cap. X.

§. 29. *Hoc vero non videre — quam haec sunt contraria!*] Esse in his duplex anacoluthon apparet. Desideratur enim verbum, quod regat illum infinitivum *videre*, quem Goerenzius absolute positum censet, ut saepe fiat, si cum indignatione aliquid miremur, veluti infra IV, 27, 76. *Haec non videre, cuius generis onus navis vehat, ad gubernatoris artem nihil pertinere.* (Verte: *Dass er das nicht sieht, der Kunst des Steuermannes gehe es nichts an, was für Schiffsladung das Schiff habe!* Cfr. Zumpt. §. 613.) Sed adversativa particula *vero* docet, hoc loco integrum postulari enunciatum, quod non quadrat ad rem illa translatio: *Dass er aber auch nicht sieht!* et verba in clausula posita: *quam haec sunt contraria* cohaerere ita cum praecedentibus, ut apodosin efficiant, quasi dixisset; *Hoc vero non videre eum, maxime mirum est;* sed praetulit hanc clausulam, ut ineptas illas et sibi repugnantes sententias magis efferret, quod etiam §. 30. ostendere studet Cicero. Alterum anacoluthon est in verbis *voluptatem illam*, quae verbo suo carent. Goer., quem secutus est Ramshorn. p. 704., apodosin ἀναχολούθως positam hanc esse dicit: *hoc eodem auctore non esse desiderandam.* Male, profecto! Tum enim verba *hoc igitur — expetendum esse* non habent, quo referantur. Constat autem satis, *igitur* continuandae orationi interruptae inservire, ut hoc loco factum esse videmus, quod si meminisset Goerenzius, intellexisset apodosin esse in verbis: *hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non vidit, ne expetendum quidem esse, quod eam volupt.* etc. Quod si non esset verum, quomodo explicares vocalem *quod*, quae est coniunctio causalis *weil*, pendens ab enunciato proxime antecedente. Causa autem, cur eam voluptatem hoc eodem auctore non desideremus, est in verbis scripta: *quum dolore careamus*, ubi *quum* est *wenn*, coniunctivus pendet ab oratione obliqua, ut part. *quod.* Pro eo autem, quod dicendum erat: *voluptatem illam ne expetendam, quidem esse*, mutata oratione usus est et vocabulum *boni* substituit, quia *voluptatem bonum* antea dixerat. Consuluit itaque orationis suavitati evitata illa scholastica regula, ut ne quid turbetur orationis cursus. — Verba *eam ita persequitur — praefandus sit*, referuntur ad §. 7. Repugnavit sibi autem Epicurus, quod duas res posuit, quae summum bonum sint, *indolentiam* et *voluptatem*, *quae sensibus percipiatur.* Primum

30 Hic si definire, si dividere didicisset; si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret: numquam in tantas salebras incidisset. Nunc vides, quid faciat. Quam nemo umquam voluptatem appellavit, appellat, atque quae duo sunt, unum facit. Hanc in motu voluptatem (sic enim has suaves, et quasi dulces voluptates ap-

enim duo summa bona, ut ita dicam, ne cogitari quidem possint, si rationem sequere; deinde, id quod est gravissimum, repugnat sibi vel maxime. Quum sensisset Epicurus nimis rude esse, *illam voluptatem, quae sensibus tantum percipiatur*, summum bonum dicere, mitigare hanc rusticitatem eo studebat, quod *nihil dolere* summum bonum diceret. At *indolentiam* et *voluptatem* non posse coniungi, sed res esse longe diversas ostendit Cicero c. 7, 20. Hinc nihil mitigatur illa dura Epicuri sententia, et, si summum bonum est *indolentia*, sequitur, hanc esse expetendam, non voluptatem sensibus titillantem. Hoc idem autem inde sequi non vidit Epicurus, unde sibi repugnavit, quod alias corporis voluptatem expetendam dicit, alias indolentiam. Non autem desideratur (es wird vermisst) illa voluptas, quod refertur ad corpus, quum dolore caremus. Haec omnia vitasset Epicurus, si definire, si dividere recte didicisset. — Vide Excurs. de Anacol.

§. 30. *si definire, si dividere didicisset*] Spectat *definire* ad notionem voluptatis; *dividere* ad illam *cupiditatum* descriptionem: reliqua denique partim ad illam Epicureorum querelam, Epicuri sententiam a secus sentientibus non recte intelligi, cfr. 4, 12. seqq. partim ad haec, quae a §. 27. inde monentur. *Goer.*

salebras] respondet hoc voc. voci *angustiis* §. 28.

Quam nemo umquam voluptatem appellavit, appellat] i. e. *eum animi statum (indolentiam) voluptatis nomine appellat, quo nemo umquam appellavit. Goer.*

quae duo sunt] nempe, quam nemo voluptatem appellavit, et voluptatem ipsam, *unum facit*, communi voluptatis nomine complectitur. *Goer.* Vide c. 7, 20.

Hanc in motu voluptatem] Sic ponuntur, ut in praegressis, *quam nemo umq. vol. ἡ ἐν στάσει ἡδονή* cogitanda, huic *ἐν κινήσει οὖσα* recte opposita sit. Ad haec autem unice recte et prorsus ex auctoris more, verba *sic — appellant*, in parenthesi adduntur. *Goer.*

quasi dulces] Quod *quasi dulcis voluptas* dicitur, inde est, quia *voluptas* non ipsa per se dulcis est, sed *qua sensus dulciter et iucunde movetur*, vide supra §. 18.; adhibuit auctor igitur *quasi* illud suum, quo insolentius dicta emollit. *Suavis* contra de sensu interno et de animo saepe dicitur, ut *suavis cogitatio* etc. Unum restat, ut sententiae tenorem indicemus. *Eam (ἐν στάσει) voluptatem, quam nemo umquam sic appellavit, appellat, atque ita, quae re diversa sunt, una notione comprehendit. In hac autem voluptate, quam in motu dicit, suaves illas et dulces sensationes continente, tam male sibi constat, ut interdum eam ita extenuet, ut etc.*

pellat,) interdum ita extenuat, ut M' Curium putes loqui: interdum ita laudat, ut, quid praeterea sit bonum, neget se posse ne suspicari quidem. Quae iam oratio non a philosopho aliquo, sed a censore opprimenda est. Non est enim vitium in oratione solum, sed etiam in moribus. Luxuriam non reprehendit, modo sit vacua infinita cupiditate et timore.

Hoc loco discipulos quaerere videtur, ut, qui asoti esse velint, philosophi ante fiant. A primo, 31
ut opinor, animantium ortu petitur origo summi boni. Simul atque natum animal est, gaudet voluptate et eam appetit ut bonum: aspernatur dolorem ut malum; de malis autem et bonis ab iis animalibus, quae nondum depravata sint, ait optime iudicari. Haec et tu ita posuisti et verba vestra sunt. Quam multa vitiosa! Summum enim bonum et malum vagiens puer utra voluptate diiudicabit? stante, an movente? — quoniam, si diis placet, ab Epicuro loqui discimus. — Si stante, hoc natura videlicet vult, salvam esse se;

M' Curium] Intelligitur M' Curius Dentatus, qui consul fuit cum P. Cornelio Rufino a. U. 463. qui fuit continentissimus. Vide Cic. Caton. Mai. 16, 2. Haec si intelligis, sensus est: ita interdum extenuat voluptatem, ut putes hominem abstinentissimum omnium voluptatum, qualis fuit Curius, loqui de voluptate, non Epicurum, qui alias omnia referat ad voluptatem. — Curii nomen simpliciter apud seriores poetas, inprimis Martialem ipsius frugalitatis loco frequenter ponitur. Pertinet huc maxime versus ille, etiam Rosae laudatus, *Qui Curios simulant, asoti cetera vivunt. Goer.*

a censore opprimenda est] nempe ut civitatis moribus formidolosa. Similis locus est III. Orat. 24, 94. *Goer.*

Hoc loco] Id est, quod ad hanc rem attinet. Graeci τούτῳ τῷ τρόπῳ. Eodem modo Muren. 7, 15. *quo loco* ponitur.

ut] i. e. *hac intentione, ut.*

§. 31. *A primo*] pertinent ad I, 9, 30.

verba vestra sunt] h. e. *verba ista quae posuisti ex scholae vestrae usu sunt.*

stante, an movente?] Epicuro voluptas est ἡ καταστηματικὴ vel ἡ ἐν κινήσει. Vide Laert. X, 136. ἡ μὲν ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν· ἡδοναὶ· ἡ δὲ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέπονται.

Si stante, hoc — concedimus] Dicuntur haec per aliquam le-

quod concedimus: si movente, quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit, quae praetermittenda sit: et simul non proficiscitur animal illud modo natum a summa voluptate, quae est a te posita in non dolendo.

32 Nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit, aut etiam a bestiis; quae putat esse specula naturae: ut diceret, ab his, duce natura, hanc voluptatem expeti nihil dolendi. Neque enim haec movere potest appetitum animi, nec ullum habet ictum, quo pellat animum status hic non dolendi: itaque in hoc eodem peccat Hieronymus. At ille pellit, qui permulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus semper hoc nititur, ut probet, voluptatem natura expeti; quod ea voluptas, quae in motu sit et parvos ad se alliciat et bestias, non illa stabilis, in qua tantum inest nihil dolere. Qui igitur convenit, ab alia voluptate dicere naturam proficisci, in alia summum bonum ponere?

τόνητα. Cogitatione addes, *quamquam vagiens puer in statu esse nequit*, vel aliud eiusmodi; quo omisso, ironia, cuius indicium videlicet praebet, acrior redditur. [Vid. Zumpt. §. 345. *Goer.*

et simul non proficiscitur animal illud modo nat. a summa volupt.] *Proficisci* est h. l. *egredi a voluptate* h. e. *summum finem sibi constituere voluptatem.* Respondent sibi haec, nisi interruptam putas orationem: animal recens natum neque diiudicare potest summum bonum et malum, nec statim sibi voluptatem summum bonum constituit. „Sensus est: Praeterea eo quoque nomine vitiosa est Epicuri ista ratio, quod, quum ipse summam voluptatem ponit in non dolendo, eam ipsam nondum nec habet, nec novit *illud*, quod tam saepe ille appellat, animal modo natum non sine doloris sensu ideoque de ea iudicare nequit.“ *Orell.* Sic non opus est, ut cum Goer. legatur *aliud*, ut sensus sit: *si non puer modo natus, simul etiam non aliud animal modo natum a summa voluptate ἀναλγησίᾳ proficiscitur.*

§. 32. *quae putat esse specula naturae*] cfr. V, 22, 61.

ictum,] ὁρμὴν Graecis; de eo, quod sensus acriter movens in animo impressionem facit. Qua voce utitur frequenter Seneca, cfr. hunc v. c. II. de Ira 2. 3. 4 etc.

peccat Hieron.] quod summum bonum in sola *indolentia* positum putabat, cfr. §. 8.

semper hoc nititur] Sic Pal. 1. et 2. quod nos quidem (ipse enim Goer. vulgatam retinuit *utitur*) multo melius iudicamus. Etsi etiam vulgata ex Platonis usu defendi potest, qui saepe τοῦ-

Bestiarum vero nullum iudicium puto: quam- XI.
vis enim depravatae non sint, pravae tamen esse 33
possunt. Vt bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum: sic ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua; nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem: sed tantum ut se ipse diligat, ut integrum se salvumque velit. Omne enim animal simul ut ortum est, et seipsum et omnes partes suas diligit: duasque, quae maximae sunt, in primis amplectitur; animum et corpus: deinde utriusque partes; nam sunt et in animo praecipua quaedam et in corpore: quae quum leviter agnovit, tum discernere incipit, ut ea, quae prima data sunt naturâ, appetat asperneturque contraria. In his primis naturalibus voluptas in- 34
sit necne, magna quaestio est. Nihil vero putare p. 72.
esse praeter voluptatem, non membra, non sensus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valitudinem, summae mihi videtur inscitiae.

τῳ χρῆται (scil. λόγῳ) εἰς τὸ, vel ἵνα: tamen *nititur* et auctoris usui accommodatius et a scribarum captu remotius est, quam ut id incuria fudisse videatur. Saepius enim auctor *niti* pro *disputando contendere*, cum absolute, cfr. II. Acad. 21, 68. *Nitamur igitur, nihil posse percipi;* tum pronomine addito, II. N. D. 40, 106. *hoc nitamur ut doceamus* etc. Permutari autem saepe haec verba solere, videbis infra IV, 24, 67. *Goer.*

Cap. XI.

§. 33. *Bestiarum vero nullum iudicium puto*] I. e. a bestiarum natura iudicium peti posse non puto. Eodem modo eademque in re, sed invidiosius V. Tusc. 26, 73. *non multum differenti a iudicio ferarum. Goer.*

bacillum inflexum et incurvatum] cfr. I. de Divin. 17, 30. *incurvum et leviter a summo inflexum bacillum.*

quae prima data sunt naturâ] Inclusit Goer. *data*, quum ita desideretur praepos. *a* ante *natura* et *data* absolute dicatur, cuius rei exemplum ignoret. Defendit autem *data* Beier. ad Offic. I, 4, 11. (qui locus omnino cum nostro est comparandus) ex Fin. III, 20, 66. *ut tauris natura datum est, ut pro vitulis contra leones — contendant.* et III, 5, 17. *quae prima sunt ascita natura.*

§. 34. *putare esse*] *quod in primis naturalibus insit.*

integritatem corporis — valitudinem] Excludit *integritas corp.* mutilationem et debilitatem. Cfr. cum h. l. V, 7, 18.

Atque ab isto capite fluere necesse est om rationem bonorum et malorum. Polemoni et ante Aristoteli, ea prima visa sunt, quae pa ante dixi. Ergo nata est sententia veterum A demicorum et Peripateticorum, ut finem bono dicerent secundum naturam vivere, id est, vir adhibita frui primis a natura datis. Callip ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem: I dorus vacuitatem doloris. His omnibus, quos xi, consequentes sunt fines bonorum. Aristi simplex voluptas: Stoicis, consentire naturae; q esse volunt e virtute, id est, honeste vivere: q

inscitiae] i. q. *inscite iudicantis.*

Polemo] Philosophus Atheniensis. Qui quum in iuventute tulans esset, et aliquando ebrius et coronatus scholam Xenoc ingressus fuisset, eius oratione, quae tunc de amicitia erat, tus, adeo mores immutavit, tantumque in philosophia profeci Xenocrati in schola succederet. Vid. Val. Max. VI, 9. Menag. ad. Diog. Laert. IV, 16.

Ergo] Est: inde factum est, ut. Sic Tusc. I, 2, 4.

Academicorum] Academici veteres sunt philosophi eius sch cuius auctor erat Plato; dicti sunt ab academia, quod erat nasium in Athenarum suburbio. Hic Plato scholam instituit, ex eo loco academia dicta est, eiusque asseclae Academici. stinguendi sunt ab his Academici recentiores, quorum auctor Arcesilas, qui de omnibus rebus dubitabant.

Peripateticorum] Peripatetici dicti sunt discipuli Aristo qui ambulando (*περιπατοῦντες*) in Lyceo disputarent, qui locus Athenis.

secundum naturam vivere] Extulit Cic. hunc bonorum fines ut ad Polemonis maxime verborum rationem haec accommod vid. II. Acadd. 42, 131. Honeste autem vivere fruentem r his, quas primas homini natura conciliet, et vetus academia suit, (ut indicant scripta Polemonis, quem Antiochus probat a me) et Aristoteles, eiusque amici nunc maxime videntur acc re. cll. infra IV, 6, 14. — Id quidem eo accuratius tenen est, quo frequentius haec Academicorum Peripateticorumque munis summi boni descriptio apud auctorem legitur.

e virtute, id est, honeste vivere:] Hanc in rem insignis Stobaei locus Eclog. Eth. p. 171. (s. II. p. 132. seq.) *Τὸ τ ὁ μὲν Ζήνων οὕτως ἀπέδωκε, τὸ ὁμολογουμένως ζῆν· τ δ' ἐστὶ καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν, ὡς τῶν μαχομ ζώων* (l. *τῶν μαχομένως ζώντων*) *κακοδαιμονούντων — Κ θης προσέθηκε τῇ φύσει — ὅπερ ὁ Χρυσίππος σαφέστερον λόμενος ποιῆσαι, ἐξήνεγκε τὸν τρόπον τοῦτον, ζῆν κατ' ἐ ρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων. Διογένης δὲ εὐλογιστίαν εὐλογιστεῖν*) *ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ καὶ ἀπεκλογῇ.*

ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, reiicientemque contraria. Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi 35
vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius: tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphontis, Diodori; una simplex, cuius Zeno auctor, posita in decore tota, id est, honestate; nam Pyrrho, Aristo, Herillus iam diu abiecti; re-

τέθημος δὲ, πάντα καθήκοντα ἐπιτηλοῦντα ζῆν, ἐκλεγόμενον (non *ἀπεκλεγόμενος*) *δὲ παρὰ φύσιν διηνεκῶς*. Clemens Alex. Strom. II. p. 496. *Ζήνων μὲν ὁ Στωϊκὸς τέλος ἡγεῖται τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν. Κλεάνθης δὲ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. ἐν τῷ εὐλογιστεῖν* (leg. *ζῆν. Διογένης τὸ εὐλογιστεῖν*, haec enim Diogenis Babylonii fuit sententia, quod praeter Stob. docet Laert. VII, 88. et Antipater huius, non Cleanthis fuit discipulus) *ὁ ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ κεῖσθαι διελάμβανεν. ὅ τε* [l. *ὁ δὲ*] *Ἀντίπατρος, ὁ τούτου γνώριμος, τὸ τέλος κεῖσθαι ἐν τῷ διηνεκῶς καὶ ἀπαραβάτως ἐκλέγεσθαι μὲν τὰ κατὰ φύσιν ὑπολαμβάνει* etc. Haec olim laudarunt Iust. Lipsius Manuduct. ad Philos. Stoic. II, 14. et Aeg. Menag. in Laert. VII, 87. *Dav.* Adde Stob. ibid. p. 138. *τέλος δὲ φασὶν Στωϊκοὶ εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν, — τοῦτο δ' ὑπάρχειν ἐν τῷ κατ' ἀρετὴν ζῆν, ἐν τῷ ὁμολογουμένως ζῆν — δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ἰσοδυναμεῖ τὸ κατὰ φύσιν ζῆν καὶ τὸ καλῶς ζῆν.* His si denique infra III, 6, 21. adiunxeris, praeter reliqua, voce *intelligentia* illam Stoicorum *ἔννοιαν* expressam esse videbis. *Goer.*

§. 35. *Carneadis*] Carneades Cyrenaeus, novae Academiae auctor. Acerrime contra Zenonis philosophiam disputabat eamque confutare studebat. Eius vitam scripsit Diogen. Laert. IV, 62.

posita in decore tota] h. l. et alias saepe *decus* Ciceroni pro *virtute* dicitur. Clarius eius rei rationem vides ex I. Legg. 21, 55. *quod decus antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat.* Antiqui autem sunt veteris Academiae philosophi; et ista ipsa curtate dicuntur, pro *virtutem, quam decus* etc. Expressit auctor Graecum *τὸ καλόν*, quod centies vel Plato pro virtute ponit: qui idem frequenter *ἀρετὴν ψυχῆς κάλλος* vocat, de Rep. p. 387. Bip. etc. Eadem denique ratione infra §. 56. *decoris honestatisque causa* iunguntur, i. e. *τοῦ καλοῦ χάριν* Quod reliquum est, recte vidit Bremi in verbis *qua — posita* synesin inesse, cum proprie ad *finem* referantur. Sed vere cum Lamb. *sententia*, scil. *de fine bonorum*, quae in ipsa voce *finis* latet, intelligenda est. *Goer.* Pertinet haec synesis ad id genus dicendi, quod in dividendo est frequens, ut prima recte ad grammaticam rationem dicantur, reliqua ad sensum. Vide Beier. ad Cic. Offic. I, 5, 18. T. I. p. 37.

nam Pyrrho, etc.] Similiter Cic. de Off. I, 2, 6. *Propria est praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum: quo-*

liqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas, Hieronymo doloris vacuitas, Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum.

XII. Epicurus autem quum in prima commendatione voluptatem dixisset: si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille: sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam, non Aristippi, in prima commendatione poneret.

niam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli iampridem explosa sententia est. Vid. ad eum locum Beier. copiose disputantem. Aristo Chius Zenonis discipulus cum Pyrrhone, Elea oriundo, Anaxarchi Democritii discipulo omnia bona exaequebat i. e. omne cunctarum rerum discrimen tollebat, solo virtutis et vitii discrimine excepto. — Herillus fuit Carthaginiensis, Zenonis auditor, ad scientiam, h. e. vitam sapientiae consentaneam, omnia revocabat.

ut extrema] i. e. *ita ut*, *ὥστε ἐσχάτοις πρῶτα συνάπτεσθαι.* — Ceterum ille Carnéadis bonorum finis non tam serio, quam disputandi contra Stoicos causa, constitutus est, vide II. Acad. 43, 131. cll. V. Tusc. 30, 84. quo ipso loco paullo aliter hi diversi diversorum fines comparantur. *Goer.*

Cap. XII.

in prima commend.] Sensus est: cum Epicurus voluptatem summum bonum, hac vi, qua Aristippus (*τὴν ἐν κινήσει,*) dixisset, eandem etiam ultimum bonorum, non in illa, quae *ἐν στάσει* sit, dicere deberet. Si contra Hieronymum sequi voluisset, illa quoque *ἐν στάσει*, ut summum bonum a natura commendatum, ponenda esset. *Goer. In prima commendatione* est *primo loco commendandam.* Ad *voluptatem* cogitabis *esse*, quod solus Lamb. in contextis scripsit. Recurrit auctor ad haec, quae §. 28. disputare coeperat.

ut voluptatem illam, non Aristippi, in pr. c. pon.] Vulgata om. *non*, quod inde factum est, quia genitivum librarii non capiebant. Orell. coniecit: *fecisset idem, ut vacuitatem illam, non voluptatem Aristippi in pr.* Similia voc. *vacuitatem — voluptatem* sibi infesta fuisse. Beier. ad Offic. I, 1, 1. p. 3. explicat: sin eam, quam Hieronymus; fecisset idem (scil. quod Hieronymus), ut voluptatem illam, non Aristippi, (i. e. *non Aristippi, sed* illam) in pr. c. pon. Sed non recte videtur Beier. attendisse ad vv. *volupt. illam, non Aristippi.* Hieronymus enim non alius philosophi voluptatem summum bonum posuit, sed suam i. e. indolentiam; unde non potest dici, Epicurus idem facere debuit, quod Hieronymus, ut voluptatem Hieronymi, non voluptatem Aristippi in pr. comm. pon. Nam Hieronymus, ut dixi, non alium secutus est philosophum. *Idem* est *Epicurus* et *fecit ut — poneret* explicatius dictum est pro vulgari dicendi ratione: *posuisset.* Vid. Zumpt. §. 615. *Voluptatem illam* est *Hieronymi voluptatem, quae*

Nam, quod ait, sensibus ipsis iudicari, volu- 36
ptatem bonum esse, dolorem malum, plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt, privatarum litium quum iudices sumus. Nihil enim possumus iudicare, nisi quod est nostri iudicii: in quo frustra iudices solent, quum sententiam pronuntiant, addere, si quid mei iudicii est. Si enim non fuit eorum iudicii, nihilo magis, hoc addito, illud est iudicatum. Quid iudicant sensus? dulce, amarum; lene, asperum; prope, longe; stare, movere; quadratum, rotundum.

Quam igitur pronuntiabit sententiam ratio? 37
Adhibita primum divinarum humanarumque rerum

erat indolentia, non Aristippi intellige *voluptatem*. vid. Zumpt. §. 767. et Ochsner. Cic. Ecl. p. 179. Ex huius genitivi usus ignoratione orta est omissio voc. *non*.

§. 36. *privatarum litium quum iudices sumus.*] Sic dedit Or. e codd. duobus, ut volebat I. — Vulgo *quum* omittitur. At facile *quum* a praecedente syllaba *um* in *litium* absorberi potuit, quum scriptum est *litium cū*. Melius autem oratio coit, si *quum* interponatur. Est enim forma loquendi e iure petita. Sensus est: In eiusmodi rebus nullum nobis iudicium permissum est, nisi quale est privatarum litium iudicibus, quorum quisque pro suo captu iudicat, non sic, ut pro communi norma valeat: ita quod nos ex sensibus iudicamus, non pro veri norma omnibus, sensuum vi praeditis, valere potest.

nihilo magis, hoc addito] Sic Br. I. et Orell. qui haec habet: Recte viderunt Br. et I. istud *non* [ante *addito* vulgo positum] deberi interpolatori, parum perspicienti loci sensum, qui hic est: „Ubi rem accuratius spectes, invenies antiquam illam iudicum formulam *si quid mei iudicii est* prorsus esse supervacaneam et inanem. Nam si est eorum iudicii, etiam hoc non addito, iudicium ratum erit; sin eorum iudicii non est (h. e. si rei iudicandae rationem non perspexerunt), nihilo magis hoc addito vere erit iudicatum, sed iudicii falsa species duntaxat.

Quid iudicant sensus?] Goer. particulam desiderat, quae orationem ad superiora redeuntem notet, velut *autem*. Sed non opus est; multo est enim vividior oratio, si sine copula continuatur oratio, cuius sensus est: *plus sensibus tribuit, quam nobis leges permittunt, quum privatarum litium iudices sumus, quasi sensus aliud iudicent, nisi quod sensus moveat; a sensibus nullum potest iudicium sumi, quia hi nihil, nisi quod eos afficiat aliquo modo, iudicant.*

§. 37. *Quam igitur — ratio?*] Ratio quasi iudicii praeses, in quo sapientia virtutesque, sententiam laturae sedent, eleganter fingitur. Ei autem, qui iudicio praesidebat, iudicum sententiae pronuntiatio conveniebat. *Goer.*

scientia, quae potest appellari rite sapientia: deinde adiunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti: quarum adeo omnium sententiâ pronuntiabit primum de voluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quaerimus, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur: de vacuitate doloris eadem
38 sententia est. Reiicietur etiam Carneades: nec ulla de summo bono ratio aut voluptatis non dolendive particeps aut honestatis expers probabitur; ita relinquet duas, de quibus etiam atque etiam consideret. Aut enim statuet, nihil esse bonum, nisi honestum; nihil malum, nisi turpe: cetera aut omnino nihil habere momenti, aut tantum, ut nec expetenda nec fugienda, sed eligenda modo aut reiicienda sint: aut anteponet eam,

quarum adeo omnium sententiâ pronuntiabit primum de voluptate, nihil etc.] Est in his leve anacoluthon; posuit relativum *quarum*, ut arctius haec cum praegressis coniungerentur et ad orationis conformationem et ad orationis vim augendam omnia in unum nunc colligentis. Nos scriberemus: *Adhibita primum — sapientia, deinde adiunctis virtutibus — pronuntiabit, primum de voluptate, nihil* etc. Hoc quum non videret Lambin. coniecit *harum*, probb. Davis. Ern. Brem. Orell. Sed ne ita quidem vitatur anacoluthon, quod depravarunt artificiose compositum, non emendarunt. Attendendum praeterea voc. *primum* non respondere *deinde*, sed aliter conformari sententias. vid. ad I, 6, 17.

ut ad honestatem applicetur] Erat haec Dinomachi et Calliphontis sententia. Vid. Tusc. V, 30, 85. et supra 11, 35. V, 8, 21. Lactant. III, 7, 7.

de vacuitate dol. ead. sent. est.] Haec est sententia Hieronymi. Vid. locos modo citatos.

§. 38. *Reiicietur etiam Carneades*] Carneadem ea modo de causa nominatum puta, quod ipse auctor in reliquis huius sententiam [frui principiis naturae. Vid. §. 35.] sequebatur: nam hic finem illum, quo prima naturalia amplectitur, disputationis modo causa posuit. vid. infra §. 42. *Goer.*

aut tantum] h. e. *non plus*, nur soviel. Vide Zumpt. §. 281. Matthiae ad orat. pro leg. Manil. §. 14. et supra I, 9, 33.

expetenda etc.] *expetenda*, *fugienda* sunt Academicorum, qui etiam externa bona numerabant; *eligenda* autem et *reiicienda* Stoicorum, qui haec in ἀδιαφόροις relinquebant, προηγμένα atque ἀποπροηγμένα Zenoni appellata. Vid. Excurs. I. ad Acad. I, 10, 36.

quam quum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis initiis naturae et totius perfectione vitae locupletatam videbit; quod eo liquidius faciet, si perspexerit, rerum inter eas, verborumne sit controversia.

Huius ego nunc auctoritatem sequens idem fa- XIII.
ciam. Quantum enim potero, minuam contentio- 39
nes; omnesque simplices sententias eorum, in qui-
bus nulla inest virtutis adiunctio, omnino a phi- p. 78.
losophia semovendas putabo: primum Aristippi
Cyrenaicorumque omnium: quos non est veritum,
in ea voluptate, quae maxima dulcedine sensum
moveret, summum bonum ponere, contemnentes
istam vacuitatem doloris. Hi non viderunt, ut
ad cursum equum, ad arandum bovem, ad inda-
gandum canem; sic hominem ad duas res, ut ait 40
Aristoteles, ad intelligendum et agendum esse na-

eam, quam quum honest.] Est de Academicorum sententia sermo.

quod eo liquidius faciet] Sensus est: de quo eo certius iudicabit, si intellexerit, eas non tam rebus, quam verbis differre. Expressit autem haec modestiae causa sic, tanquam incerta adhuc essent, quae ipse apud sese in exploratis ponebat; quippe qui Stoicorum disciplinam ab ea Academicorum verborum modo diversitate dignosci, multis locis statuat. cf. infra III, 2, IV, 2—10. cll. II. Acadd. 6, 16. etc. *Goer.*

Cap. XIII.

§. 39. *semovendas putabo:*] Nihil aliud h. l. notant, quam *semovebo.* — Sed est haec dictio a modestia commendata, quippe qua non quod facturus sis, sed quid faciendum iudices, indicetur. *Goer.* Est huius dicendi formae eadem ratio, quae est in v. *videri*, de quo vid. Zumpt. §. 751. et Ochsner. p. 50.

primum Aristippi] Vid. supra I, 7, 23.

quos non est veritum] Paullo obsoletior est haec structura, iam a Gellio XV, 13. enotata, qui eius causa hunc locum quadrat. Proprie dicere debebat auctor: *qui non sunt veriti.* Cfr. Ramshorn. p. 192. not. 1. et p. 237. Struve über die latein. Deklin. und Konj. p. 124. seq. Videtur compositio haec ad sensum impersonalis verbi *pudet* facta. Vide Struve p. 131. seq. Vide tamen etiam Sanct. Min. I. p. 378. ed. Bauer. Sic reperitur etiam *placitum est* pro *placuit* apud Coelium in Cic. Ep. ad Fam. VIII, 4, 10. ap. Brut. XI, 1, 3. Pompei. ad Lentul. ap. Cic. ep. ad Att. VII, 12. Rhetor. ad Herenn. II, 1, 1. 3, 19. Cicero ipse I. de Rep. 12, 18. *Placitae sunt fabulae* Terent. Hec. prol. II, 13.

§. 40. *ut ait Aristoteles*] Vide Plutarch. de placit. philos. l. I. p.

tum, quasi mortalem deum: contraque ut tardum aliquam et languidam pecudem ad pastum et ad procreandi voluptatem hoc divinum animal ortum esse voluerunt: quo nihil mihi videtur absurdius.

41 Atque haec contra Aristippum, qui eam voluptatem non modo summam, sed solam etiam ducit, quam omnes unam appellamus voluptatem. Aliter autem vobis placet. Sed ille, ut dixi, vitiose. Nec enim figura corporis nec ratio excellens ingenii humani significat, ad unam hanc rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus.

Nec vero audiendus Hieronymus: cui summum bonum est idem, quod vos interdum vel potius nimium saepe dicitis, nihil dolere. Non enim, si malum dolor est, carere eo malo satis est ad bene vivendum. Hoc dixerit potius Ennius,

Nimium boni est, cui nihil est mali.

874. E. In Aristotelis autem scriptis, quae nos habemus, haec non reperiuntur.

ad intelligendum et agendum] Sic scripsi ex codd. nam *ad* ante *agendum* positum primus Ernest. ex vett. impress. addidit. In plurimis codd. omittitur etiam prius *ad*, sed hic error videtur scribae, quum *ait* et *ad* simili fere sono iuxta collocentur. De altera autem omissione dicam in Excursu de omissa praepositione apud Cicer. Interim legas, quae docet Beier. ad Offic. I, 38, 136. Ramshorn. p. 376. seq.

mortalem deum] Hierocles in Aur. Carm. I. p. 16. *Εἰκότως θεοὶ θνητοὶ ἐγοιντο ἂν αἱ ἀνθρωπίναι ψυχαί.* Et homines quidem *θεοὺς θνητούς* vocabat Heraclitus. Vide Maxim. Tyr. Diss. XXIX. et Lucian. Vit. auct. T. I. p. 379. Clemens Paedag. l. III. c. 1. p. 251. *Ὀρθῶς ἄρα εἶπεν Ἡράκλειτος, Ἄνθρωποι, θεοί· Θεοί, ἄνθρωποι.* Effatum Heracliti de diis et hominibus hoc fuit *ἄνθρωποι ἀθάνατοι, θεοὶ θνητοί·* quod causae suae serviens ita mutavit Alexandrinus Catechistes, ut Heraclitum ipso Heraclito *σκοτεινότερον* fecerit. *Dav.*

contraque] Respondet vv. *hi non viderunt*, unde post negationem potest verti *sed*. vide ad §. 17.

divinum animal] Sic homo appellatur *providum animal* ap. Cic. de Legg. I, 7.

§. 41. *quam omnes unam app. vol.*] I. e. *quam nemo non* (*ἅπαντες*) *unice voluptatis voce comprehendi putat.* Tacite denuo *ἀναλγησία* Epicuri carpitur. *Goer.*

ad unam hanc rem] Sic Erl. Spir. — Vulg. *ad hanc unam rem.* Melior ordo est horum codd., quum vis sit in v. *unam*, respondet enim supra *ad duas res.*

Nimium boni — mali] Vix dubium est, quin haec ex Ennii

Nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus: nec eam cessando sive gaudentem, ut Aristippus; sive non dolentem, ut hic: sed agendo aliquid considerandove quaeramus.

Quae possunt eadem contra Carneadeum illud 42
summum bonum dici: quod is non tam, ut probaret, protulit, quam ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeret. Id autem eiusmodi est, ut additam ad virtutem auctoritatem videatur habiturum et expleturum cumulate vitam beatam: de quo omnis haec quaestio est. Nam qui ad virtutem adiungunt vel voluptatem, quam unam virtus minimi facit, vel vacuitatem doloris, quae etiam si malo caret, tamen non est summum bonum, accessione utuntur non ita probabili, nec tamen, cur id tam parce tamque restricte faciant, intelligo; quasi enim emendum eis sit, quod addant ad virtutem, primum vilissimas res addunt: deinde singulas potius, quam omnia, quae prima natura approbavisset. Quae quoniam Aristoni et Pyrr- 43
honi omnino visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte iam pridem contra eos desitum est disputari. Dum enim in una virtute sic omnia esse voluerunt, ut eam rerum selectione

Hecuba sint, imitata ex fabula cognomine Euripidis, cuius haec dudum comparavere intpp. Hecub. v. 627. κεῖνος ὀλβιώτατος Ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν. Cfr. quos laudat Dav. Muret. Varr. Lectt. V, 13. et Columnam ad Ennii Fragm. p. 248. Ceterum nexum contextorum sic capies: *Hoc dicere Ennio liceat, poetae — nos philosophi vitam beatam non in absentia mali, sed in praesentia boni statuamus. Goer.*

§. 42. *quod is non tam* etc.] Simillimus locus est II. Acadd. 42, 131. *Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse, frui his rebus, quas primas natura dedisset.*

§. 43. *quoniam — visa sunt*] Sic scripsi ex coniectura pro vulgato *quum*. Miror criticos praeter Ernest. nihil vitii vidisse in indicativo modo cum particula causali *quum* posita. Is autem primus *sint* coniecit, qui si, id quod alias fecit, *quum* in *quo-*

exspoliarent, nec ei quidquam aut unde oriretur darent, aut ubi niteretur: virtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt.

Herillus autem ad scientiam omnia revocans unum quoddam bonum vidit: sed nec optimum nec quo vita gubernari possit. Itaque hic ipse iam pridem est reiectus; post enim Chrysippum non sane est disputatum.

XIV. Restatis igitur vos: nam cum Academicis incerta luctatio est, qui nihil affirmant, et, quasi desperata cognitione certi, id sequi volunt, quod-
44 cumque verisimile videatur. Cum Epicuro autem hoc est plus negotii, quod e duplici genere voluptatis coniunctus est: quodque et ipse et amici eius et multi postea defensores eius sententiae fuerunt: et nescio quomodo is, qui auctoritatem minimam habet, maximam vim, populus cum illis facit. Quos nisi redarguimus, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deserenda est. Ita

niam mutasset, nihil opus esse vidisset, ut *sunt* in *sint* mutaretur. Vide ad I, 4, 10.

unum quoddam bonum vidit] Vide Zumpt. §. 707.

non sane] *Sane* si post *non* ponitur, levius affirmat et nostro eben nicht sonderlich respondet: secus est, si negationem antecedit. Cfr. II. Divin. 31, 67. *non sane mirabile hoc quidem.* Ita quoque *nihil sane* III. Orat. 55, 212. *nusquam sane* II. Div. ep. 17. etc. *Goer.* Sic ex optt. codd. est in Parad. Prooem §. 2. *ea sentit, quae non sane probantur in vulgus.*

Cap. XIV.

§. 44. *e duplici genere voluptatis coniunctus*] Structura *coniunctus e* nescio an unquam legatur, apud Ciceronem certe nusquam recurrit. Quod vix viderunt intt., alias intentatam non dimisissent. Sed sollicitatam noli: est enim e materiae. Simili ratione constructio *contineri ex* ad I. Acadd. 2, 6. defendenda fuit: quam ut ibi Graeca ratione niti vidimus (*συνέχεσθαι ἐκ*), ita h. l. quoque *συνημμένον* et *συμπεπλεγμένον ἐκ* plus semel, v. c. apud Sext. Empir. legitur. Sed quam mire *Epicurus coniunctus* dicitur! Cogitabis tibi nempe signum vel e duobus metallis conflatum, vel si malis, Phidiae Minervam, ex auro et ebore *coniunctam. Goer.*

populus] Est substantivum appositum ad vv. *is qui*, nempe *populus.* Vide Ramshorn. p. 292. 2. Haec appositio rarior est apud Cicer.

ceterorum sententiis semotis, relinquitur, non mihi p. 74.
cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. Quam quidem certationem homo et acutus et diligens Chrysippus non contemnit totumque discrimen summi boni in eadem comparatione positum putat. Ego autem existimo, si honestum aliquid esse ostendero, quod sit ipsum vi sua propter seque expetendum, iacere vestra omnia. Itaque eo, quale sit, breviter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia viâ, Torquate; nisi memoria forte defecerit.

Honestum igitur id intelligimus, quod tale est, 45
ut, detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum possit iure laudari; quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intelligi potest, (quamquam aliquantum potest,) quam communi omnium iudicio et optimi cuiusque

in eadem comparatione] *Comparatio* proprie de componendis ad pugnam gladiatorum paribus, ut recte cum Ern. vidit Brem. et aliis verbis idem exprimitur II. Acad. 46, 140. *Unum par, quod depugnet, reliquum est, voluptas cum honestate.* Goer. Sic Offic. I, 17, 58. *si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii: principes sint patria et parentes.* Comp. I. de Inv. c. 12. *comparatio, in qua per contentionem, utrum potius aut quid potissimum sit, quaeritur.* Adde Off. I, 43, 152.

Chrysippus] Vide II. Acadd. 45, 138.

accedam ad omnia viâ] i. e. ratione et ordine rei accommodato singula quaeque rimari. Ita auctor *via progredi* saepius, cf. II. N. D. 22, 57. quod Stoici ὁδῷ πορεύεσθαι, βαδίζειν i. e. certa ratione versari. Terent. *reputare via* etc. Frequentius noster voce addita *ratione et via* [Fin. II, 1, 3. III, 5, 18. II. Tusc. 2, 6. I. Orat. 25, 113. I, 50, 215.] *via et arte, artificio et via* [Fin. IV, 4, 10.]. Goer.

§. 45. *sine ullis praemiis fructibusve*] Sic tres Goer. et alii codd. Vulgo *fructibusque.* Sed *ve* defenditur ab optimis libris, et dicitur *ve* ubi similia componuntur disiunctive v. c. Orat. 40, 138. *ut saepe in hilaritatem risumve convertat.* II. Orat. 18, 74. *quibusnam rationibus quibusve praeceptis.* Orat. 63, 212. *quo autem pacto deceat incise membratimve dicere.* (*Incisa* Graecis sunt κόμματα, membra κῶλα.) *Praemia* autem sunt *honoris, fructus* contra *lucri* sunt et *mercedis.* Res ipsa ab auctore saepe tractatur; sed ob verborum quoque similitudinem conferes ad haec et seqq. I. Legg. 18, 48. seqq. ubi est *iustitia nihil expetit praemii, nihil pretii.* Haec fere Goer. Similiter in Cat. Mai. 16, 10.

studiis atque factis, qui permulta ob eam causam unam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est; etsi nullum consecuturum emolumentum vident. Homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habent a natura datam mentemque et acrem et vigentem celerrimeque multa simul agitantem et, ut ita dicam, sagacem, quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et disiuncta coniungat et cum praesentibus futura copulet omnemque complectatur vitae consequentis statum: eademque ratio fecit hominem hominum appetentem cumque his natura et sermone et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius et se implicet primum civium, deinde mortalium omnium societate: atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis; ut perexigua pars ipsi relinquatur.

46 Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi, quod facillime apparet, quum

Quid de — vinearum olivetorumve specie dicam legendum est, ubi in mea edit. errore typothetae excidit copulativa p. ve. Gernhard. ad ill. loc. comp. Offic. I, 9, 28. *studiis — occupationibusve. Que* coniungit paria.

ut ita dicam, sagacem] Utitur mitigandae metaphorae causa formula *ut ita dicam*, ut I, 11, 39. Sagax autem proprie dicitur de canibus, qui odorantur aliquid. Cic. de N. D. I, 31, 65. *Sagire — sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa sire volunt: et sagaces dicti canes.* H. l. *ut ita dicam* monet lectores etiam propriae notionis in v. sagax. De re comp. simillimum locum Off. I, 4, 11. ibique Beier.

implicet — societate] L. *societati*, quod cur probare velle videatur Orell. nescio. Nam ita *implicare* c. *ablat.* est ap. Cic. Off. I, 32, 117. *implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi.* pro Ligar. 1, 3. *nullo se implicari negotio passus est.*

ut ad Archytam scripsit Plato] Archytas erat philosophus Pythagoricus, Tarentinus, qui vixit tempore Platonis. Locus Platonis, cuius sententia magis, quam verba his expressa est, in ep. 9. p. 726. A. *Ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ λοιπὸν φίλοι.* Vid. praeterea Beier. ad Offic. I, 7, 22.

§. 46. *Et quoniam* etc.] Cfr. Tuscul. Disp. I, 19, 44.

vacui curis etiam quid in caelo fiat, scire avemus: his initiis inducti omnia vera diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam: eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis, quam ad parendum accommodatum: omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens: altum quiddam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum.

Atque his tribus generibus honestorum notatis, 47
quartum sequitur et in eadem pulchritudine et aptum ex illis tribus, in quo inest ordo et moderatio; cuius similitudine perspecta in formarum specie ac dignitate transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his tribus laudibus, quas ante dixi, et temeritatem reformidat et non audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere: vereturque quidquam aut facere aut loqui, quod parum virile videatur.

initiis] *Initia* pertinent ad rationem et veri videndi cupiditatem, quarum ductu profecti ad virtutis honestique cognitionem pervenimus.

§. 47. *et in eadem pulchritudine*] Praepositio *in* servanda erit, ut ex Graecismo, auctori admodum frequente posita. Nam Graeci verbis, τοῦτο τὸ γένος ἐν ταὐτῷ τῷ κάλλει ἐστί notant, *hoc genus ad eandem pulchritudinem referendum esse*. vid. ad Acad. II, 26, 83. *Pulchritudinem* autem de interno animi decore, ad Graecorum philosophorum, maxime Platonis exemplum, dictum putabis. Καλλος enim de *honestate* saepissime dicitur. *Goer.*

aptum ex illis tribus] *Aptum* participium est, cfr. II. Acadd. 10, 31. ubi Goer. citat Tuscul. V, 12, 36. *cui ex se ipso apta sunt omnia*, i. e. *pendent*. Fato 15, 34. *causa ex aeternis causis apta*. Alibi etiam nudus ablat. additur I. Legg. 21, 56. *vita modica et apta virtute perfrui* i. e. *apta ex v.* Ducitur hoc partic. ab antiquo verbo *Apere*, cuius radix est Graecum verb. Ἅπτω. Vide Passov. in Lexic. Graec. s. v. Ἅπτω et Doederlein latein. Synon. T. II. p. 113. qui nescio cur *apex* non ab eadem derivet stirpe. Vide me ad Caton. Mai. c. 17, 9. Doctissime hac de re disputavit auctor addendor. in Forcellini Thes. Ling. Lat. s. v. *Aptus*.

cuius] i. e. ordinis et moderationis: nam haec duo unam notionem complectuntur. Ne autem a loci sententia abeamus, haec

XV. Habes undique expletam et perfectam, Tor-
48 quate, formam honestatis, quae tota his quattuor virtutibus, quae a te quoque commemoratae sunt, continetur. Hanc se tuus Epicurus omnino ignorare dicit, quam aut qualem esse velint hi, qui honestate summum bonum metiantur. Si enim ad honestatem omnia referantur, neque in ea voluptatem dicant inesse; ait, eos voce inani sonare (his enim ipsis verbis utitur) neque intelligere neque videre, sub hac voce honestatis quae sit subiicienda sententia. Ut enim consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum: quod, inquit, quamquam voluptatibus quibusdam est saepe iucundius, tamen expetitur propter voluptatem.

49 Videsne quam sit magna dissensio? Philoso-
p. 75. phus nobilis, a quo non solum Graecia et Italia, sed etiam omnis barbaria commota est, honestum quid sit, si id non est in voluptate, negat se intelligere: nisi forte illud, quod multitudinis rumore laudatur. Ego autem hoc etiam turpe esse

est: *Cui ordini et moderationi cum ratio simile quid in rerum externarum decora specie* (scil. partium convenientiam considerando) *perspexisset, transtulit iudicium ad convenientiam dictorum factorumque, eorum honestatem aestimando.* Goer.

Cap. XV.

§. 48. *Habes undique* etc.] Cfr. I. Offic. 5, 1. *Formam quidem ipsam — et tamquam faciem honesti vides.* Alluditur utroque loco ad illum Platonis locum, quem infra 16, 52. vide. Goer.

hi qui] Sic Erl. Spir. Recte. Vide I. de Divin. 3, 5. *Zeno et hi, qui ab eo profecti sunt.* Vulgo om. *hi.*

voce inani sonare] Sic Spir. Erl. Mars. *Inanis vox* est verbum, cui notio certa aptari nequit. Eodem prorsus modo V. Tusc. 26, 73. *inanes sonos fundere.* Acad. II, 23, 73. *at mihi* (videtur Empedocles) *dignissimum rebus his, de quibus loquitur, sonum fundere.* Plato φοφεῖν μάτην: alii κενὰ φθέγγεσθαι, quod ipsum verbum expressum Latino videtur.

neque intelligere neque videre] Goerenzio suspecta sunt verba *neque intelligere* nihil prorsus diversis a *videre*, nisi forte sit *videre* clare perspicere. Recte id quidem, quod ultimo loco posuit. Melius tamen fortasse ita sentias: *intelligere* opponi v. *ignorare*; *videre* v. *attendere*, curam habere, considerare, animo perpendere.

saepe, iudico: et, si quando turpe non sit, tamen non esse non turpe, quum id a multitudine laudetur: quod si sit ipsum per se rectum atque laudabile, non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile. Itaque idem natura victus, (cui obsisti non potest,) dicit alio loco id, quod a te etiam paullo ante dictum est, non posse iucunde vivi, nisi honeste.

Quid nunc, *honeste*, dicit? idemne, quod 50
iucunde? Ergo ita, non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur. an, nisi populari fama? sine ea igitur iucunde negat posse vivi? Quid turpius,

tamen non esse non turpe] Sic coniecit Brem. probante Beiero ad Cic. or. pro Scaur. fragm. §. 41. p. 204., quo in loco est: *Quae si erunt: tamen sibi credi gaudeant et mirentur.* Nostro loco vulgata lect. est *tum*, quod facile in MSS. permutatur cum *tamen* hoc modo *tn̄* (*tamen*) *tn̄9* (*tum*). Quum enunciatio sit concessiva et *si* idem fere valeat quod *etsi*, praefero *tamen*. Sensus est: honestum illud multitudinis, etiamsi per se turpe aliquando non sit, tamen ob eam ipsam causam, quod a multitudine laudatur (semper autem vulgi opinionem in errore versari inprimis Stoici docebant), turpe est.

per se rectum atque laudabile] Ita saepissime *per se rectum et laudabile* ex ea Stoicorum ratione iungitur, qua hi, *omne bonum laudabile esse*, probant; vide nos ad I. Legg. 17, 46. coll. ibid. II, 5, 11. *Goer.*

§. 50. *honeste, dicit*] Sic Orell. post Cr. V. M. L. D. Br. cui respondet mox *intelligit*, et *dicit* rectum esse intelliges, si reputas *idemne quod iucunde* h. e. idemne dicit Epicurus *honeste* quod *iucunde?*

non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur.] Sensus est: *Si Epicurus dicit non posse iucunde vivi, nisi honeste, sique iucunde eodem plane sensu accipi vult, quo honeste, tum idem per idem dicit. Goer.*

an, nisi populari fama?] *an dicit, non posse vivi, nisi pop. fama? si igitur non honeste; negat etiam iucunde sine pop. fama vivi posse, quum haec duo prorsus idem esse velit. — Populari fama vivere* eadem structura dicitur, qua *virtute vivere*, praep. *cum* non addita, sed intelligenda. *Goer.*

iucunde negat posse vivi?] Sic L. Rursus de Bentl. et Dav. coniectura Ern. Sch. — *vivere* ceteri. Idem error, notante Dav. in pluribus codd. est Tusc. III, 20. neque commode h. l. cogitatione suppleas vel *se*, vel *quemquam*. *Orell.* Recte. Non enim de Epicuri iucunda vita sermo est, sed de sententia Epi-

quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere? Quid ergo hoc loco intelligit honestum? certe nihil, nisi quod possit ipsum propter se iure laudari. Nam si propter voluptatem: quae est ista laus, quae possit e macello peti? Non is vir est, ut, quum honestatem eo loco habeat, ut sine ea iucunde neget posse vivi, illud honestum, quod populare sit, sentiat et sine eo iucunde neget vivi posse aut quidquam aliud honestum intelligat, nisi quod sit rectum ipsumque per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile.

XVI. Itaque, Torquate, quum diceres, clamare Epi-
51 curum, non posse iucunde vivi, nisi honeste et sapienter et iuste viveretur, tu ipse mihi gloriari videbare; tanta vis inerat in verbis propter earum rerum, quae significabantur his verbis, dignitatem, ut altior fieres, ut interdum insisteres, ut nos intuens quasi testificarere, laudari honestatem et iustitiam aliquando ab Epicuro. Quam te decebat his verbis uti, quibus si philosophi non uterentur, philosophia omnino non egeremus! Istorum enim verborum amore, quae perraro appellantur ab Epicuro, sapientiae, fortitudinis, iustitiae, temperantiae, praestantissimis ingeniis homines se ad philosophiae studium contulerunt.

52 *Oculorum*, inquit Plato, *est in nobis sensus*

curi de universa vita iucunda. Universalis est sententia, non specialis.

nisi quod sit rectum etc.] Cumulavit auctor idem notantia, ut eo gravius firmaret rectum ex sese modo laudabile esse, non per accidens. Ἀγαθὸν μοναχῶς ἐπαίνου ἄξιον. Diog. Laert. VII, 100. seq. Dixit autem *rectum*, ut alibi, ne *bonum* vertens ambiguus esset.

Cap. XVI.

§. 51. *ut altior fieres*] Similis locus est II. Acad. 41, 127. *erigimur; elatiores fieri videmur; humana despicimus.*

insisteres] Recte Ern. de intervallis in dicendo factis explicat. cfr. infra V, 25, 75.

§. 52. *inquit Plato*] Cfr. Phaedr. c. 65. Heindf. Ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρό-

acerrimus: quibus sapientiam non cernimus: quam illa ardentes amores excitaret sui, si videretur. Cur tandem? an quod ita callida est, ut optime possit architectari voluptates? cur iustitia laudatur? aut unde est hoc contritum vetustate proverbium, *quicum in tenebris?* Hoc di-

νησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Hunc ipsum locum Cic. I. Off. 5, 1. sic affert: *Formam quidem ipsam — et tamquam faciem honesti vides; quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae.* Cfr. Fin. V, 24.

si videretur.] Videatur plures VV. DD. putare verbi *videre* passivam formam *videri* apud Ciceronem certe nusquam passiva significatione, qua idem sit quod *cerni, gesehen werden*, reperiri, qui errant. Erratum autem eo errore videtur in Tuscul. I. I, 22, 50., ubi anacoluthon statuit esse Orell. Sed mihi ita construendus videtur locus: *Quasi vero intelligant, qualis sit in ipso corpore* (animus), *quae magnitudo, qui locus: ut* (i. e. *ita ut*), *si iam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt, videatur*, (gesehen werde), *casurusne in conspectum* (*sit*, quod facile omitti potest) *animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem.* Vid. Offic. III, 9, 38. (Gyges) *quum palam eius anuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, quum in locum anulum inverterat.* de Orat. II, 40, 170. *nemo praeter te ibi visus est.* pro Cluent. 9, 27. *quum hora undecima in publico valens visus esset, ante noctem mortuus.* 13, 38. *eo die, quo postremum Asinius visus erat, Avilium cum eo fuisse et a multis visum esse constabat.* de Rep. I, 13, 19. *Quaesierat ex me Scipio, quidnam sentirem de hoc, quod duo soles visos esse constaret.* 14, 21. *quum idem hoc visum diceretur.* 19, 31. *haec, quae videntur ante oculos, esse magis putem quaerenda.* ibid. *quaerit, quomodo duo soles visi sint. — sit sane, ut visus est* (*sol alter*). de Invent. I, 47, 87. *Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses: non es autem ab his visus.* II, 53, 160. *Providentia est, per quam futurum aliquid videtur.* ubi Orell. *videt* (scil. *animus*) Schuetz. coniect. sed non obliterandus est usus hic pass. v. *videre.* Acad. I, 11, 41. *quae haberent declarationem earum rerum, quae viderentur: id autem visum, quum ipsum per se cerneretur, comprehensibile.* II, 39, 122 *medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut viderentur.* 14, 47. *ea, quae in somnis videantur.* Sic etiam translate pro *considerari animo* 27, 87. *denique videantur sane, ne affirmentur modo.* Alios aliorum scriptorum locos vide hos: Liv. VII, 34, 7. Senec. Q. Nat. I, 4. 5. bis. 15. 26. Epist. 93. de Tranqu. 2. Thyest. 671. Sil. Ital. VII, 471. VIII, 165. IX, 325.

architectari voluptates?] Cfr. supra I, 10, 32. ubi Epicurus *architectus beatae vitae* dicitur.

contritum vetustate proverbium, quicum in tenebris?] Vide eadem verba ap. Cic. Off. III, 19, 77. *Quum — fidem alicuius bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tene-*

ctum in una re, latissime patet: ut in omnibus factis re, non teste moveamur.

53 Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te, animi conscientia improbos excruciari, tum etiam poenae timore; qua aut afficiantur aut semper sint in metu, ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum aut imbecillo animo fingi; non bonum illum virum, qui, quidquid fecerit, ipse se cruciet omniaque formidet: sed omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, versutum, veteratorem, facile ut excogitet, quo occulte, sine
54 ullo conscio, fallat. An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui quum praetor quaestionem inter

bris mices. Hoc quam habet vim, nisi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiamsi id possis, nullo refellente, obtinere? ad quem locum Beierus haec notavit: „*in tenebris micanti* liberum est fallere, si velit. Itaque *dignus, quicum in tenebris* dicitur is, qui sit usque adeo certa fide, ut, ne si tuto quidem possit, velit quemquam mendacio fallere. Vid. Erasmi Adag. 723. p. 269. Froben. et intt. ad Petron. 44, 7. *certus, amicus amico, cum quo audacter posses in tenebris micare.* Nostrum h. l. citat Nonius IV. n. 303. in v. *Micare*, quod explicat *sortiri digitis.* Cfr. h. l. 90. [Dicitur autem *micare* elliptice scil. *digitis.*] Italis dicitur *fare alla mora*, Gallis jouer à la mourre. Belgis quoque cognitus est hic ludus, qui celeri digitorum motu ita fiebat, ut bini, clausa manu, simul et digitos quosdam extenderent atque una numerum quendam ederent, ita, ut vinceret is, cuius coniectura parem digitis ab utroque simul exsertis et subito apparentibus numerum assecuta esset. V. Nonnus Dionys. XXXIII, 77. ss. Indice Nemesiano in Buc. Ecl. II, 27. solebant micantes *ter decernere digitis.* A Gernh. laudatur huius sortitionis modum explicuisse I. F. Gronov. Obss. III, 13. p. 416. Adde Senftleb. de alea vett. c. 18. §. 1. s. et Scheller in Lex. s. v. n. 1. d, p. 6276. ubi citatur N. D. II, 41. qui locus reperitur potius Divin. II, 41, 85. pr.“ In tribus Goer. codd. *mices* est additum, quod quamquam addi potest, ut factum esse videmus in Off. l. c., tamen, ubi plures codd. omittunt, quam addunt, omittendum est. Solent enim verba in his proverbiis omitti, ut infra c. 26, 85. *At quicum ioca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia* scil. *communicare potes.* Vid. not.

§. 53. *Sunt enim* etc.] Vide I, 16, 50. seq.

§. 54. *L. Tubulo*] Commemoratur hic L. Tubulus saepe propter scelera. e. c. infra IV, 28, 77. V, 22, 62. de N. D. I, 23, 63. III, 30, 74. in fragm. or. pro Scaur. Vide Beier. ad fragm. huius orat. p. 138. qui citat Gell. II, 7. Crimitum l. XVIII. *de honesta disciplina* cap. 10. et Gifan. ad Muret. T. I. p. 506. ed. Ruhnk. Praetor fuisse L. Metello, Q. Maximo Css. a. U. 611.

carios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob
em iudicandam, ut anno proximo P. Scaevola,
ibunus plebis, ferret ad plebem, vellentne de
a re quaeri. Quo plebiscito decreta a senatu est p. 76.
onsuli quaestio Cn. Caepioni. Profectus in exsi-
ium Tubulus statim nec respondere ausus: erat enim
es aperta.

Non igitur de improbo, sed de callide im- XVII.
robo quaerimus, (qualis Q. Pompeius in foedere
Numantino infitiando fuit,) nec vero omnia timente:
ed primum qui animi conscientiam non curet;
uam scilicet comprimere nihil est negotii. Is
nim qui occultus et tectus dicitur, tantum abest,
t se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius
mprobe facto videatur: quid est enim aliud esse
ersutum? Memini me adesse P. Sextilio Rufo, 55

cribitur ad Attic. XII. ep. 5. §. 4. Res ipsa acta est a. 612. ci
fr. Pigh. Annales ad h. ann. p. 480. Ascon. ad fragm. or. pro
Scaur. habet haec: *L. hic Tubulus praetorius fuit aetate patrum Ciceronis. Is propter multa flagitia quom de exsilio arcessitus esset, ut in carcere necaretur, venenum bibit.*

cepit pecunias ob rem iudicandam] Criminosum id erat. Nam ege Cincia, quam tulit M. Cincius Alimentus trib. pleb. a. U. 49. Cornelio et Sempronio Css. suasam a Q. Maximo, Cic. de enect. 4., quod patricii mores paulatim obsolevissent irrupissent- ue mercedum pactiones in patrociniis [Parad. VI, 2, 1.] (erat enim fame, mercedem quaerere operis liberalibus), cautum est ne quis causam orandam pecuniam donumve acciperet. Vide Tacit. nnal. XI, 5. XIII, 42. Cfr. Bach. Hist. Iur. II. c. 2. sect. 2. 34. Ill. Haubold Instt. Iur. Rom. Lineam. §. 740. 1. p. 317. §. 861. p. 365. Heinrich. Stoeckhardt. Tafeln der Geschichte s röm. Rechts p. 13. col. 2. vers. 49. 33, 2, 53. 34, 2, 42. 1, 2, z. Beier. ad Cic. Off. II, 19, 66. T. II. p. 130. Festus m legem vocari dicit *muneralem s. v. Muneralis lex.*

Cap. XVII.

qualis Q. Pompeius in foedere Numantino infitiando fuit] De edere isto vid. intt. ad Cic. de Off. II, 30, 109. et ad Vellei. at. II, 1, 4.

sed primum] Non respondet *deinde*, neque alia sententia, quae uic voci ad sensum respondeat. Est igitur verum anacoluthon.

tantum abest, ut — perficiet etiam] Legitima est structura *tan- um abest, ut — ut perficiat.* Vide Zumpt. §. 779. Pertinet haec atio dicendi ad anacolutha. Similem locum attulit Davis. ex Fin. , 20. *Qua in vita tantum abest, ut voluptas consectentur, iam curas — perferunt.*

quum is ad amicos ita rem deferret, se esse heredem Q. Fadio Gallo: cuius in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat:

§. 55. *quum is ad amicos ita rem deferret*] Sic scripsi e tribus Goer. codd., qui ipse v. *rem* omisit. Recte retinuit Orell., qui eam ex edd. vett. ita collocavit. Est illa formula legitima, obliterata a scribis ideo, quia credebant superfluam vocem, quum statim expositio criminis sequatur. Cfr. Verr. I, 25, 64. *Is ad eum rem istam defert: Philodamum esse quendam* etc. Vid. Ernest. Clav. Cic.

se esse heredem — negabat] Haec inprimis Perizonius in dissertationibus de lege Voconia feminarumque apud Veteres hereditatibus diss. III. p. 114. seqq. accurate exposuit; ut h. l. id monere sufficiat. Ex lege ista cum prohibitum esset, ne (quis) heredem virginem mulieremve faceret: neu mulieri ultra centum millia H. S. legaret: Fadius Sextilium ea conditione heredem scripserat, ut hic, illo mortuo, illius filiae hereditatem plenam traderet. Adiecerat Fadius testamenti verbis, id ipsum se a Sextilio rogasse. At hic negabat, se quidquam a Fadio eius rei causa rogatum esse. Qua re Sextilius reliquam hereditatem suam fecit, sicut Fadia modo 100000 H. S. ex legato acciperet. Ita quidem iste homo, heres modo fiduciarius cum esset, heredem verum negando se fecit. *Goer.* Legem Voconiam tulit Q. Voconius Saxa a. U. 581. Vetabatur hac lege, suasa a M. Catone, *ne qui post A. Posthumium et Q. Fulvium Censores census esset, heredem virginem, neve mulierem faceret.* Cic. in Verr. I, 42. *Mulier, quae ab eo, qui centum milia aeris census est* (*Censi* e Voconii mente sine dubio erant *cives*, quod nemini licebat deferre ad censorem rem suam, nisi qui civis Rom. esset. Vid. Ern. Clav. s. v. *lex Voconia*), *per legem Voconiam heres institui non potest, tamen fideicommisso relictam sibi hereditatem capere potest.* Vide Gaium Inst. II. §. 274. ed. Berolin. ibique intt. Eadem lege cautum est, ne cui plus legatorum nomine mortisve causa capere liceret (mulieri), quam heredes caperent. Gaius l. c. §. 226. ad quae Gaius addit: *ex qua lege plane quidem aliquid utique heredes habere videbantur; sed tamen fere vitium simile nascebatur: nam in multas legatariorum personas distributo patrimonio, poterat adeo heredi minimum relinquere (testator), ut non expediret heredi, huius lucri gratia totius hereditatis onera sustinere. Lata est itaque lex Falcidia, qua cautum est, ne plus legare liceat, quam dodrantem; itaque necesse est, ut heres quartam partem hereditatis habeat.* Graviter de hac lege Voconia queritur Cic. de Rep. III, 10, 17. *quae (Voconia) — lex utilitatis virorum gratia rogata in mulieres plena est iniuriae. Cur enim pecuniam non habeat mulier? cur virgini Vestali sit heres, non sit matri suae? Cur autem, si pecuniae modus statuendus fuit feminis, P. Crassi filia posset habere, si unica patri esset, aeris millies, salva lege; mea tricies non posset.* Cetera desunt in cod. Orationem, qua suasit Cato legem, commemorat Epitom. Liv. XLI. Gell. VII, 13. Adde Stoeckhardt Tabellen der röm. Rechtsgesch. 15, 2, 35.

poterat autem impune. Quis enim redargueret? Nemo nostrum credebat; eratque verisimilius, hunc mentiri, cuius interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare. Addebat etiam, se in legem Voconiam iuratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adolescentes, sed etiam multi amplissimi viri: quorum nemo censuit plus Fadiae dandum, quam posset ad eam lege Voconia pervenire. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam, qui honesta et recta emolumentis omnibus et commodis anteponerent, ne numum quidem unum attigisset. Num igitur eum postea censes anxio animo aut sollicito fuisse? Nihil minus, contraque illa hereditate dives ob eamque rem laetus. Magni enim aestimabat pecuniam non modo non contra leges, sed etiam legibus partam: quae quidem vel cum periculo est quaerenda vobis. Est enim effectrix multarum et magnarum voluptatum.

Vt igitur illis, qui, recta et honesta quae 56
sunt, ea statuunt per se expetenda, adeunda sunt quaevis pericula, decoris honestatisque causa: sic vestris, qui omnia voluptate metiuntur, pericula adeunda sunt, ut adipiscantur magnas voluptates; si magna res, magna hereditas agetur, quum pecunia voluptates pariantur plurimae: idemque erit Epicuro vestro faciendum, si suum finem bonorum sequi volet, quod Scipioni, magna gloria proposita, si Annibalem in Africam retraxisset. Itaque quantum adiit periculum. Ad honestatem enim illum omnem conatum suum referebat, non ad voluptatem: sic vester sapiens magno aliquo

§. 56. *sic vester sapiens*] Hoc anacoluthon est. Ad quid enim *sic* comparativam part. referas? Ad tectam nimirum comparationem, quae est in vv. *quod Scip.* etc. quam si solvis, integram habes comparationem hanc: *ut Scipio maximum periculum adiit* (spectat auctor totam illam Scipionis Africanam expeditionem) *propter ho-*

emolumento commotus, cum causa, si opus fue-
57 rit, dimicabit. Occultum facinus esse potuerit:

nestatem, *sic* etc. quae nunc videamus. Non autem orationem ita conformavit, ne praecedentem comparationem *idem erit fac — quod Scip.* relinquere cogeretur. Hanc comparationem si recte persequeris, videbis respondere debere tale membrum, quod item *dimicationis periculosae ad adipiscendam voluptatem* contineat notionem. At quod nunc legitur in editionibus, nihil tale continet. Scribitur enim *animi causa* ex cod. Gud. 1. et Bas., qui sunt peioris notae. Meliores omnes habent *cum causa*. Gud. 2. *cum tam*, quod ortum est hoc compendio *cum cā*, quod legerunt scribae *cum cam*, alii *tam*, litera c male scripta l. Omnes autem critici *cum causa* damnant ut corruptum, quod vide ne ipsi corruptis oculis considerarint. *Cum causa* est *cum iudicio*, quod quam bene quadret et ad sequentia et ad comparationem institutam, is facile videbit, qui sedulo animo rem perpendit. Maximum enim periculum intelligendum esse docent verba *si opus fuerit*. Integra igitur comparatio est haec: *ut Scipio maximum adiit periculum honestatis causa, sic vester sapiens propter emolumentum magnum, (quo voluptates possunt parari) vel cum causa,* (h. e. *in iudicio*) *si opus fuerit, dimicabit.* Ita recte annectuntur sequentia: *occultum facinus esse potuerit, gaudebit, deprehensus* (a iudicibus) *omnem poenam contemnet.* Causa autem, cur nemini placeret *cum causa*, haec est, quod non intelligebant formulam *cum causa dimicare*, (non enim scilicet sexcenties apud Ciceronem legitur) quae nihil peregrini habet. Ut enim dicitur *cum hoste dimicare*, sic etiam dici potest *cum causa dimicare, mit einem gerichtlichen Verfahren hadern;* nam etiam si aliter legas, *dimicare* translate dicitur, quod frequenter fieri nemo negabit qui Ciceronis scripta legerit. Omnia bene haberent, si scripsisset auctor: *sic vester sapiens magno aliquo emolumento commotus vel in iudicium ibit, si opus fuerit, vel iudicii periculum obibit, ut, si fieri possit, quod fecerit facinus defendat, quod si occultum esse poterit, gaudebit, si convictus in causa fuerit facinoris, omnem poenam contemnet.* Quod cur fiat, mox explicat auctor. Critici, ut aliquid verisimile haberent, quum vulgatam explicare non possent, scripserunt e codd. Gud. 1. et Bas. peioribus *animi causa*, quoniam *animi* et *cum* saepe in MSS. confundantur hoc compendio *āmi*. Verum id quidem. Quid quod interdum plane *cum* pro *animi* in codd. reperitur? ut in quodam cod. *cum* in textu esse vidi, supra linea scripto *a*$\bar{n}$*i* i. e. *animi*. Primus autem recte hoc explicuisse visus est Goerenzio Matthiae, qui *animi causa* dicit positum esse pro *voluptatis causa*. At iam dudum ante Matth. ita intellexit formulam Davis., qui recte dicit, repugnare, ut aliquis *emolumento magno commotus* et *animi causa* dimicet, eum enim animi causa rem quampiam facere, qui solius eam delectationis temporisve ferendi gratia suscipiat. (Vid. Matthiae ad Cic. or. pro Rosc. Amer. 46, 136.) Assentitur Orell., qui, etiamsi legatur *animi causa*, tamen locum corruptum videri dicit.

§. 57. *Occultum facinus esse potuerit*] Dictum est pro: *si occultum fac. esse pot.* Vide Zumpt. §. 780. Ochsner. p. 19. Matthiae ad orat. pro Rosc. Amer. §. 55. Kuehner ad Tusc. Disp. II, 12, 28. Manut. ad XI. Philipp. 8, 19. Beier. ad Offic. III, 19, 75. ad

gaudebit: deprehensus omnem poenam contemnet. Erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad exsilium, ad ipsum etiam dolorem: quem quidem vos, quum improbis poenam proponitis, impatibilem facitis: quum sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem.

Sed finge non solum callidum eum, qui ali- XVIII.
quid improbe faciat, verum etiam praepotentem: ut M. Crassus fuit, qui tam solebat uti suo bono:

fragm. orat. pro Tull. §. 34. p. 46. Gernhard. Commentatt. grammat. III. p. 7. not. 8. Drakenb. ad Liv. XXI, 10. Corte ad Sallust. Iug. 64, 5. ad Plin. Epist. I, 12, 8. Bentlei. ad Horat. Sat. II, 6, 48. Oudendorp. ad Lucan. IX, 288. Sillig. ad Catull. 10, 32.

impatibilem facitis] Amat auctor verbalia in *bilis*, quorum plura apud ipsum semel tantum reperiuntur. Vid. Bremi ad Cic. de Fat. p. 4. et Oehsner. p. 22. Quadripartita est horum adiectivorum ratio; aut enim communi usu recepta sunt (*der Schriftsprache allgemein angehörig*) e. c. detestabilis, plausibilis, formidabilis, congregabilis, vituperabilis, praestabilis; aut ex philosophorum scholis sunt profecta, ut incomparabilis, persuasibilis, quo Graecorum πιθανός verteretur, comprehensibilis, incomprehensibilis, (καταληπτός, ἀκατάληπτος) adspectabile, visibile; deinde quaedam sunt a poetis brevitatis causa efficta, ut indelebile, aeternabile exitiabile, quorum quidam casus non reperiuntur; denique multa verba de communi lingua sunt petita, (von der Volkssprache, v. c. utibilis, conducibilis, voluptabilis, alibilis. Deducuntur autem partim a praesenti verbi tempore, veluti *conducibilis* a *conduco*, partim a supino, ut *volubilis* a *volutum*. Significant facultatem aliquid vel agendi vel patiendi, unde et activam et passivam possunt habere notionem.

Cap. XVIII.

qui tam] Sic scripsi e cod. Guelferbytano, quì postea om. est post *hodie*, quum vulgo legatur *tamen*, quo primus offendit R. Bentlei., qui *tamen* non apte dictum esse intelligens, coniecit: *qui tamen solebat bene uti bono suo*, quod contra historiam facere vidit recte Bremi, qui ita Crassum suo bono i. e. potentia sua usum dicit, ut eâ male facta sua obtinuerit et poenae se subtraxerit; idque particula *tamen* declarari. Probat hoc Goer. dicens *tamen* h. l. significare *quidem*, ut alias, quod numquam possum addùci, ut verum existimem. Nam *tamen* semper suam vim retinet, etiamsi id tecte persaepe fiat; aliis locis *tamen* est mutandum, ut nostro loco et iis, quos citat Goer. *Tamen* autem nostro loco mutandum esse apparet. Vide enim qualis sit sensus, si locum ita veteris: *Denke dir nun aber den, der etwas schändlich thut, nicht blos als einen schlauen, sondern auch durch Macht überwiegenden Menschen, wie M. Crassus war, der sich jedoch seines*

ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda: esse enim quam vellet iniquus poterat impune. Quam multa vero iniuste fieri pos-

Gutes zu bedienen pflegte. Haec si ita sunt, repugnat sibi auctor. Sic enim vis sententiae restrictiva aperta est: se non satis recte laudasse exemplum M. Crassi, quod is potentia sua tantum usus sit, nihil ultra fecerit, ideoque non improbari potuerint eius facta. Hoc autem non velle dicere scriptorem, patet ex sequenti exemplo et ex iis, quae praecedunt. Vult enim dicere, eum, qui cum calliditate coniungat praepotentiam (liceat brevitatis causa hoc verbo uti, a Tertulliano invento ex adi. *praepotens*,) flagitiosissime facere posse impune, quia omnia potentia sua deprimat. Legendum est *tam* pro *tamen;* quam saepe autem *tamen* et *tam* confundantur in codd. non opus est exemplis probare, quum scribantur *tm̃*. Sic respondet haec adiectio illi, quae sequitur de Pompeio, cui, si recte faciat, gratia sit habenda, quum pessime facere possit per potentiam suam. Quod de Pompeio dicit, consulte dixit ambigue, ita ut locus etiam ita possit intelligi: cui, quia recte facit, gratia habenda est; ambiguitas est in participio, quod multis modis potest solvi in interpretando. Erat autem eo ipso tempore auctor in Pompeium ob hanc eius praepotentiam, quam ipse senserat, exacerbatus. Cfr. Dio Cassius XL, 54. Intelligendum est tempus, quod bellum civile antecedebat, Caesare adhuc in Gallia subigenda occupato. Perierat autem Crassus anno 700. Cogitasse autem iam anno 701. de libris his de Finibus scribendis, patet ex I. Legg. 20, 52. Sed redeundum est nobis ad explicanda illa, quae de part. *tamen* notione laudavit exempla. Goer. Sunt autem haec: Orat. 52, 176. *Gorgias avidior est generis eius et his festivitatibus — insolentius abutitur: quas Isocrates, quum tamen audivisset in Thessalia adolescens senem iam Gorgiam, moderatius temperavit.* Sensus est: *Mirum est Isocratem dissentire a Gorgia, quum tamen eius discipulus fuerit.* Verte: *da er doch.* Or. pro Cluent. 7, 22. *sibi restituerent eum filium, quem tamen unum ex multis fortuna reliquum esse voluisset. Tamen* sensum non praebet. Scribendum cum editt. vett. *tantum*, quod saepe a scribis in *tamen* mutatur hoc compendio *tm̃*. Sic optime *multis* opponitur *unus tantum* s. *tantum unus.* Verte: *den ihr als den einzigen von so vielen das Schicksal gelassen habe.* III. de Or. 18, 66. *ac tamen* prorsus sine sensu dictum est. Scribe cum Lambin. *et tandem.* Codd. *attamen.* Citat praeterea Ruhnk. ad Rutil. Lup. I, 14. p. 50., qui non ad manus est. Sed sine dubio haec etiam exempla aut emendanda sunt aut rectius interpretanda.

esse enim quam vellet iniquus poterat impune.] Sic codd. Erl. et Spir. al. — Goer. *esse enim quamvis vellet iniquus poterat impune.* Vulgatur *esse enim quamvis vellet iustus, iniquus poterat impune.* Pal. 1. *esse enim quam vellet iniquus, iustus poterat imp.*, qua in lectione glossema esse *iustus*, quod esse debebat *iniustus*, apparet; appositum est autem ad *iniquus* explicationis causa. Reliqua turba variar. lectt. inde orta est, quod ignorabant scribae vim formulae *quam volo*, de qua rectissime egit Ramshorn. p. 672. seq. Significat autem: sowie man nur immer will. Verte locum

sunt, quae nemo possit reprehendere? Si te ami- 58
cus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suae filiae nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius, nec cuiquam dixerit: quid facies? Tu quidem reddes: ipse Epicurus fortasse redderet: ut Sex. Peducaeus, Sex. F., is qui hunc nostrum reliquit effigiem et humanitatis et probitatis suae filium, tum doctus, tum omnium vir optimus et iustissimus, quum sciret nemo, eum rogatum a C. Plotio, equite Ro- p. 77.
mano splendido, Nursino, ultro ad mulierem venit: eique nihil opinanti viri mandatum exposuit hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quaero, (quoniam idem tu certe fecisses,) nonne intelligas, eo maiorem vim esse naturae, quod ipsi vos, qui omnia ad ve-

ita: *denn er konnte ungestraft so ungerecht sein, wie er nur immer wollte.*

quae nemo possit reprehendere?] Davisius, commodius legatur, inquit, *deprehendere*. Rectius intellexit locum, quam Goer., qui *reprehendere* explicat *in rectius vertere*. De *emendando vitio* h. l. non disputari, sed de eo, quod multa improbe facta sint, quae nemo possit *coarguere* ut improbe facta, quia nesciantur quomodo comissa sint, docet Ocus, qui huic respondet §. 69. ubi est: *improbe feceris, — sed impunite tamen; scisse enim te quis coarguere possit? Reprehendere* autem est etiam *ita accusare, ut reus damnetur*, h. e. *damnari possit; coarguere aliquem facti*, ut recte explicat Ernest. in Clav. Cic., ubi citat Cic. in Verr. III, 96. *Ergo id volumus populum Rom. existimare, si senatores iudicent, hoc certe unum genus infinitae pecuniae per summam iniuriam cogendae nullo modo posse reprehendi?* Quibus respondent haec ibid. §. 224. *Quod si illi hoc unum agitare coeperit, esse aliquod genus cogendae pecuniae, senatorum commune et iam prope concessum ordini, quo genere ab sociis maxima pecunia per summam iniuriam auferatur: neque ullo modo senatoriis iudiciis reprehendi posse* etc.

§. 58. *Sex. Peducaeus*] Obtinuit hic praetor pro consule eodem biennio Siciliam, quo Cicero ibidem quaesturam gessit: eiusque innocentia ac diligentia in provinciae gubernatione exhibita ab hoc identidem in Verrinis laudatur. Filius huius, communis Cic. et Torquati familiaris, saepe simpliciter *Sextus* appellatur. cfr. X. Att. ep. 1., qui locus simul documento est, quantum Cicero et patri et filio tribuerit. *Goer.*

ex te quaero, — nonne intelligas] Sic Erl. Spir. Bas. — Davis. ex tribus suis *intelligis*. Nihil mutandum esse docet Goer. his exemplis: Orat. 63, 214. *Quaero, nonne id numerus effecerit?* II. Acad. 24, 76. *ex me quaesieras, nonne putarem.* Tusc. V, 12, 34. *quum esset ex eo quaesitum, Archelaum — nonne beatum putaret.* Cfr. Fin. III, 4. *sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit.*

strum commodum et, ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appareat, non voluptatem vos, sed officium sequi? plusque rectam naturam, quam rationem pravam valere?

59 Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum factura sit: improbe feceris, nisi monueris, ne assideat: sed impunite tamen; scisse enim te quis coarguere possit? Sed nimis multa: perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri: deque his rebus satis multa in nostris de Republica libris sunt dicta a Laelio.

XIX. Transfer idem ad modestiam vel temperantiam,
60 quae est moderatio cupiditatum, rationi obediens. satisne ergo pudori consulat, si quis sine teste libidini pareat? an est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiam si nulla comitetur infamia? Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis proelium ineunt, sanguinem pro patria profundunt: an quodam animi ardore atque impetu concitati? Utrum tandem censes, Torquate, imperiosum illum,

§. 59. *imprudentem*] h. e. *ita ut nesciat aspidem illic esse.*

in nostris de Rep. libris] Disputata haec latius erant in III. libro de Rep. ubi auctor Laelio iustitiae partes defendendas dederat, (vid. nunc Cic. de Rep. III, 5, 8.) [L.] Furio Philoni illis Carneadis traditis, quibus iustitia impugnatur. *Goer.* Quae de hac disputatione supersunt collegit diligentissime Orell. in Opp. Cic. V. IV. P. I. p. 465. seqq.

Cap. XIX.

§. 60. *vel temperantiam*] Modestiam i. e. *σωφροσύνην* ideo auctorem definivisse putabis, ne cum *σύνταξία* commisceretur, quam eadem voce, sed cum excusatione effert Offic. I, 40, 142. — Cfr. Tusc. III, 18, 16. *σωφροσύνην, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam. Goer.*

imperiosum illum] T. Manlium, quippe qui severum imperium suum vel in filium exercuerit. cfr. supra I, 7, 24. et 10, 35.

si nostra verba audiret, tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse: an meam; quum ego dicerem, nihil eum fecisse sua causa omniaque reipublicae, tu contra nihil, nisi sua? Si vero id etiam explanare velles apertiusque diceres, nihil eum fecisse, nisi voluptatis causa, quo modo eum tandem laturum fuisse existimas?

Esto: fecerit, si ita vis, Torquatus propter 61
suas utilitates; (malo enim dicere, quam voluptates, in tanto praesertim viro:) num etiam collega P. Decius, princeps in ea familia consulatus, quum se devoveret et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis

Hinc idem Senecae III. Benef. 37, 3. *pater imperiosus dicitur. Goer.*

§. 61. *malo enim dicere, quam voluptates*] Goer. *sic* excidisse putat cum Davis., vel *ita*, ut Brem. voluit, vel, quod rectius, *id* ante *dicere*. Quod si non factum sit, repetendam fuisse voc. *utilitates* ante *dicere*. Ex hoc autem apparet, locum non recte intellexisse Goer. Constructio haec est: *fecerit — Torquatus propter suas utilitates (malo enim dicere quam propter voluptates.)* Omisit praepositionem secundo loco. Vide Excurs. *de praepos. secundo membro omissa ap. Cic.* Integra enunciatio est: *malo enim dicere, eum propter utilitates, quam propter voluptates fecisse.*

collega P. Decius] Vulgo *eius collega*. Erl. Spir. *collega eius*. Gud. 2. et Bas. ignorant, quod probo cum Goer. Potest enim salvo sensu omitti. Est autem a scribis additum, quod varia eius part. sedes ostendit. Vix autem scriba omiserit, qui addere etiam talia solent perlubenter.

quum se devoveret et — irruebat] Recte retinet Bremi *devoveret*, quum Davis. suspicatus esset *devoverat*, lectionem tum scriptorum, tum vett. excusorum communem. Pendet haec res a vera interpretatione loci, quod recte vidit Stallbaum. ad Ruddimann. Instt. L. Lat. T. II. p. 345. not. 7. Coniunctivum posuit, quia causalis est enunciatio, non temporalis. Nam hoc vult docere, causam Decii devotionis fuisse honestatem, non utilitatem vel voluptatem, quam sibi propositam videret. Est idem ac si dixisset: *num eo, quod se devovebat, aliquid voluptatis sibi eventurum putavit?* Alterum autem enunciatum *et — irruebat* modum tantum narrat, quomodo se devoverit Decius, unde recte Indicativus ponitur. Vide de regimine part. *quum* optime disputantem Zumpt. §. 578. Posse autem diversos modos per copulativas particulas coniungi, et coniungendos esse, si utriusque enunciati sensus est diversus, exemplis multis docuit Ramshorn. p. 694., qui adumbratam tantum huius orationis conformationis imaginem dedit, quae quam late pateat, alio loco docebo exemplis ab ipso nostro Cice-

cogitabat? Nam ubi eam caperet aut quando, quum sciret confestim esse moriendum eamque mortem ardentiore studio peteret, quam Epicurus voluptatem petendam putat? Quod quidem eius factum nisi esset iure laudatum, non esset imitatus quarto consulatu suo filius: neque porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens consul cecidisset in proelio seque e continenti genere tertiam victimam reipublicae praebuisset.

62 Contineo me ab exemplis. Graecis hoc modicum est: Leonidas, Epaminondas, tres aliqui aut quattuor. Ego, si nostros colligere coepero, perficiam illud quidem, ut se virtuti tradat constringendam voluptas. Sed dies me deficiet: et, ut A. Varius, qui est habitus iudex durior, dicere

rone largiter positis. Recte hanc conformationem dixeris *orationem variatam*, quod novum caput rerum grammaticarum addendum erit in posterum a grammaticis nostris syntaxi, non tamen ornatae illi, sed communi, quia haec oratio est naturalis, qua si non utimur, ubi adest usus, male Latine scribimus.

e continenti genere] i. e. continua generatione propagatum, nos: in ununterbrochener Geschlechtsfolge; intellige patrem, filium, nepotem.

tertiam victimam] *Pater* consul a. U. 413. in bello Latino. Vid. Liv. VIII, 6. 9. s. IX, 10, 3. *Filius* quarto consulatu a. U. 458. in bello Samnitico. Liv. X, 28. „De tertio Decio, qui se devoverit, reliqui auctores tacent: sed idem noster repetit I. Tusc. 37, 89. non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent. Solus Zonaras Annal. II. narrat, P. Decium consulem ad devovendum se paratum fuisse, eamque famam non parum terroris incussisse hostium exercitui. Conciliari igitur recte sic posse Ciceronem cum Zonara putabis, si consilium Decio se devovendi fuisse statuas, sed, pugna in felicius versa, id esse intermissum: tam cupide tamen hunc pugnasse, ut in proelio caderet. Idque sane eo probabilius videri debet, quum Cicero alibi binos modo Decios commemoret. cfr. Parad. I, 2. *quae* (vis) *patrem Decium, quae filium devotavit?* cll. III. Off. 4, 16. [ubi vide Beier.] Cato Mai. 20, 75. [vid. meam not.]. Scilicet nepos non se devotarat, sed modo cupide pugnans ceciderat. Quod quam bene cum verbis loci nostri conveniat, docere opus non est. Ceterum de pugna ad Ascalum sermonem esse Zonaras ipse l. l. testatur.“ *Gocr.* vide Pigh. ad ann. 474. p. 434.

§. 62. *Epaminondas*] Vid. Cornel. Nepot. in vit. cap. 9. De Leonida satis res constat.

consessori solebat, quum, datis testibus, alii tamen citarentur: Aut hoc testium satis est, aut nescio, quid satis sit: sic a me satis datum est testium. Quid enim? te ipsum dignissimum maioribus tuis voluptasne induxit, ut adolescentulus eriperes P. Sullae consulatum? quem quum ad patrem tuum retulisses, fortissimum virum, qualis ille vel consul vel civis quum semper, tum post consulatum fuit? quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius, quam ipsis nobis consuluerimus.

At quam pulchre dicere videbare, quum ex 63
altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis
et maximis voluptatibus, nullo nec praesenti nec p. 78.
futuro dolore: ex altera autem cruciatibus maxi-

datis testibus] scil. *quantum satis esset.*

ut adolesc. eriperes P. Sullae consulatum?] De consulatu a Torquato P. Sullae per ambitus accusationem erepto, conferas pro Sull. 2. et 3. *Goer.*

gessimus, ut — consuluerimus.] Gud. 1. et Oxon. ξ. *consuleremus*: sed cave, ne hoc praeferas. Apud omnes enim Latinos haec constructio valet, ut praeterito indicativi idem coniunctivi addatur: atque sane ista consecutio certo in contextu haud minus ex regula est, quam illa, qua praeterito imperfectum addi iubetur. Exempla nuper congessit Matthiae Programm. ad I. libr. de Oratore p. 8. quibus sic praeterita per *quin* et *qui non* iunguntur: addamus pauca, ubi idem per *ut* efficitur. XI. Philipp. 3, 8. *ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, (quamquam eius nunquam particeps fuit) ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in vivo, sed etiam in mortuo.* Parenth. vulgo abest. Arch. Poet. 5, 9. *Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tantu diligentia fuit, ut ad L. Lucullum, praetorem, et ad iudices venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit.* II. Att. ep. 16. *Quid quaeris? primum ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit.* ibid. IV. ep. 1. ned. *ita iter feci, ut undique ad me cum gratulatione legati convenerint.* Ex hoc loco corrigas pro Milone 31, 86. *nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae Deae — primum illud vulnus acciperet, quod deterrimam mortem obiret.* Plures ibi scripti *acceperit*, quod est reponendum: nam constructio eadem est, ac si scriptum esset *factum est, dicemus* omisso. Haec ipsa perfectorum, per *ut* iunctorum, ratio Cornelio Nep. tam frequens est, ut apud hunc vel 50. loca numeres: perperam apud eum in universum vituperata, recte in vitarum scriptore. Hoc loco monuisse satis est, imperfectum *consuleremus* non sine ambiguitate positum fore. *Goer.* Vide Excursum de Consecutione Tempor. *Perf.* et *Imperf.*

§. 63. *At quam pulchre*] Cfr. I, 12, 40. 41.

mis toto corpore, nulla nec adiuncta nec sperata voluptate: et quaerebas, quis aut hoc miserior aut superiore illo beatior foret? deinde concludebas, summum malum esse dolorem, summum bonum voluptatem?

XX. L. Thorius Balbus fuit, Lanuvinus; quem meminisse tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat et cupidus voluptatum et cuiusvis generis eius intelligens et copiosus: ita non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria et sacrificia et fana contemneret: ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rempublicam interfe-
64 ctus. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate; habebat tamen rationem valitudinis: utebatur his exercitationibus, ut ad cenam et esuriens et sitiens veniret: eo cibo, qui et suavissimus esset et idem facillimus ad concoquendum: vino et ad voluptatem et ne noceret: cetera illa adhibebat, quibus demtis negat se Epicurus intelligere, quid sit bonum. Aberat omnis dolor: qui

Cap. XX.

L. Thorius Balbus] Miscent hunc Pighius Annal. ad a. 673. Itemque Valens de familia Thoria II. p. 471. cum *L. Turio*, qui Brut. 67. memoratur: quod vel inde fieri non debebat, cum ita non dispareat, cur hunc Torquatus *meminisse non possit*, qui 688. P. Sullam accusarat, cum *Turius* 678. tribunus pl. fuisset. *Goer.*

copiosus] h. e. *dives voluptatum*, ita ut inter eas posset eligere, quae sibi optima videretur.

ita non superstit.] It auctor per opposita; sensus igitur: in patria superstitiosa ipse minime superstitiosus. Ad hanc autem patriae superstitionem referenda sunt verba *illa plurima*.

timidus ad mortem] dicitur ut *ad pericula fortis, ad consilia prudens*. Est idem quod: *si mors obeunda erit, non timidus*. Significat autem praepos. *ad* id, quod rem continet (worauf es ankommt.). Sic Cic. pro Fontei. 15. *Vir ad usum ac disciplinam peritus, ad casum fortunamque felix*. N. D. II, 62. *Ad rationem sollertiamque praestantior*. Fam. III, 11. *Viri insignes ad laudem*. Id. Catil. I, 5. *quod est lenius ad severitatem*. Cfr. Ruddim. Instt. II. p. 95. seqq. Zumpt. §. 296.

si adesset, nec molliter ferret, et tamen medicis plus, quam philosophis uteretur. Color egregius, integra valitudo, summa gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate.

Hunc vos beatum: — ratio quidem vestra sic co- 65
git — at ego quem huic anteponam, non audeo dicere: dicet pro me ipsa virtus; nec dubitabit isti vestro beato M. Regulum anteponere. Quem quidem, quum sua voluntate, nulla vi coactus praeter fidem, quam dederat hosti, ex patria Karthaginem revertisset, eum ipsum, quum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium. Bella magna gesserat; bis consul fuerat; triumpharat: nec tamen illa sua superiora tam magna neque tam praeclara

§. 64. *qui si adesset — ferret*] pro: *quem, si is adesset, nec molliter ferret.* Vide Krueger. Ueber die Attraktion. §. 96.

§. 65. *Hunc vos beatum: — ratio quidem vestra sic cogit — at ego quem huic anteponam, non audeo dicere*] Sic scripsi, secutus vestigia Spir. Erl. Pal. 1. marg. Crat. Vulgo *Hunc vero beatum ratio quidem vestra sic cogitat. Ego quem* etc. Ut ego dedi, voluit scribere Goer. Scripsit Orell. Omittunt illi tamen adversat. part. *at*, quae coniuncta est a scribis in v. *cogitat*, pro quo scribendum divisim *cogit, at*. Hoc vitium saepe est emendandum. *Oratio* scripsit is, qui *rationis* significationem non intellexit. Vid. III, 13, 42. *eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, ut* etc. *Ratio* est συσπήματος ratio et consequentia, simili dicendi forma, χοίνιξ λόγος αἰρεῖ. *Vos* vero et *vero* facile permutantur hoc compendio v̄o. Ad *beatum dicitis* cogitandum, ut saepe fit in concisa forma dicendi. Totus autem locus continet levem ironiam.

M. Regulum] Is enim pariter ut Decii aliique viri fortes mortem honestatis causa contemnebat. Vide de M. Attilio Regulo Beier. ad Offic. III, 26, 99. seqq.

eum ipsum] Reduxi scripturam a Davis. ex Pal. 1. commendatam, confirmatam postea a Spir. et Erl. pro qua vulgo *tum* ponitur. Sed ignorarunt critici *eum* post parenthesin nomine ipso praegresso poni, ad orationis iustae filum repetendum. Vide exempla ap. Matthiaeum ad or. pro leg. Manil. §. 33. ad or. II. in Catil. §. 27. Beier. ad Off. I, 10, 32. 38, 137. Kritz. ad Sall. Catil. 37, 4. Obbar. in Seebode krit. Bibl. 1828. nr. 14. p. 116. Si scripsisset auctor *tum* (sive quod rectius est *tunc*), scripsisset, opinor, *ipsum tunc, quum.*

in rosa] h. e. roseis coronis ornatum. Vide Gronov. ad Senec. Vit. beat. c. 11.

illa sua superiora] Sic Erl. Spir. — *sua sup. illa* Orell. —

ducebat, quam illum ultimum casum, quem propter fidem constantiamque susceperat: qui nobis miserabilis videtur audientibus, illi perpetienti erat voluptarius. Non enim hilaritate et lascivia, nec risu aut ioco comite levitatis, sed saepe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati.

66 Stuprata per vim Lucretia a regis filio testata cives se ipsa interemit. Hic dolor, populi Romani duce et auctore Bruto, causa civitati libertatis fuit: ob eiusque mulieris memoriam primo anno et vir et pater eius consul est factus. Tenuis L. Virginius unusque de multis sexagesimo anno post libertatem receptam virginem filiam sua manu occidit potius, quam ea App. Claudii libidini, qui tum erat summo imperio, dederetur.

XXI. Aut haec tibi, Torquate, sunt vituperanda,
67 aut patrocinium voluptatis repudiandum. Quod autem patrocinium aut quae ista causa est voluptatis, quae nec testes ullos e claris viris nec laudatores poterit adhibere? Ut enim nos ex annalium monumentis testes excitamus eos, quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis, qui voluptatis nomen audire non possent: sic in vestris disputationibus historia muta est: numquam audivi in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari; qui in ore sunt ceterorum omnium philosophorum. Nunc vero, quoniam haec nos etiam

om. prorsus *sua* Goer. nescio cur. Sunt autem illa, quae ante ultimum casum gesserat.

§. 66. *et vir et pater eius consul est factus.*] Exspectatur *consules sunt facti.* Vide autem exempla apud Matth. ad. or. pro Muren. §. 15. Zumpt. §. 373. Singularis significat coniunctos eos consulatum esse adeptos, quasi dixisset *vir Lucretiae cum patre eius consul factus est.*

potius, quam — dederetur.] Dictum est pro *potius, quam — ut dederetur.* Vide ad IV, 14, 39.

Cap. XXI.

§. 67. *haec nos etiam*] Sic Orell., quum Goer. e codd. Gu. 1. et Bas. peioribus, quibus accedit meus cod. Guelf. *etiam* dele-

tractare coepimus, suppeditabit nobis Atticus noster de thesauris suis quos et quantos viros! Nonne 68
melius est de his aliquid, quam tantis voluminibus de Themista loqui? Sint ista Graecorum: quamquam ab his philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus: sed tamen est aliquid, p. 79.
quod nobis non liceat, liceat illis.

Pugnant Stoici cum Peripateticis. Alteri negant quidquam esse bonum nisi quod honestum sit: alteri, plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati, sed tamen et in corpore et extra esse quaedam bona. Et certamen honestum et disputatio splendida! Omnis est enim de virtutis dignitate contentio. At cum tuis quum disseras, multa sunt audienda etiam de obscoenis voluptatibus, de quibus ab Epicuro saepissime dicitur. Non potes ergo ista tueri, Torquate, 69
mihi crede, si te ipse et tuas cogitationes et studia perspexeris. Pudebit te, inquam, illius tabulae, quam Cleanthes sane commode, verbis depingere solebat. Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula voluptatem; pul-

verit, quod omni sensu careat. Male. Construe enim *nos haec etiam*; refertur particula ad id, quod de voluptate et honestate dixerint, et quum res venerit ad testimonia, se haec etiam persecuturum esse dicit. Interiectum pronomen neminem offendit; praeponit, quia fortior ita fit oratio.

Atticus] Appellat Atticum eo, quod hic versatissimus erat in historia Romana. Vid. Cornel. Nep. Att. 18.

quos et quantos viros!] Sic I. de Divin. 25, 52. *Xenophon Socraticus, qui vir et quantus!* ad quem locum Giese videri iubet Herzog. ad Caes. B. G. VII, 54. et Schwarz. ad Plin. Paneg. c. 22. et p. 521. *Qui vir* significat *qualis vir* h. e. *quam excellens* et *quantus* est *quam magnus.*

§. 68. *Themista*] Composuisse videtur Epicureus aliquis plures libros de hac muliere, ipsa Epicurea, ad quam duas ab Epicuro scriptas epistolas Diog. Laert. X, 3 et 14. memorat. Eadem Pison. 26, 63. ut *sapiens* dicitur. Cfr. de eadem Menag. Histor. mulierum philosopharum. p. 498. *Goer.* ubi inter alia laudatur Lactant. Instt. Divin. III, 25.

§. 69. *cogitare pictam in tabula voluptatem*] Augustin. de Civ. D. l. V. c. 20. *Solent philosophi, qui finem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam philosophis,*

cherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedentem: praesto esse virtutes ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut voluptati ministrarent et eam tantum ad aurem admonerent, (si modo id pictura intelligi posset,) ut caveret, ne quid faceret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, è quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem virtutes sic natae sumus, ut tibi serviremus; aliud negotium nihil habemus.

XXII. At negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen
70 est,) quemquam, qui honeste non vivat, iucunde posse vivere. Quasi ego id curem, quid ille aiat, aut neget. Illud quaero, quid ei, qui in voluptate summum bonum putat, consentaneum sit di-

qui virtutes quidem probant, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur et illam per se ipsam putant appetendam, istas propter ipsam, tabulam quandam verbis pingere, ubi voluptas in sella regali quasi delicata quaedam regina considat, eique virtutes famulae subiiciantur, observantes eius nutum, ut faciant, quod illa imperaverit etc. Ad hanc tabulam tectius alludit Seneca de vit. beat. c. 11. et 14. *Dav.* Ceterum patet, Cleanthem, Stoicum, hac re nihil aliud petisse, quam ut inconvenientia illa quasi ante oculos poneretur, qua Epicurus ipsam virtutem ad voluptatem relatam vellet; non hanc illius imperio parentem. *Goer.* Ad eandem tabulam respexit Cic. Off. III, 33. ut recte docet Beier. ibid.

si modo id pict. int. posset] Sensus est: siquidem hoc pictura ita exprimi posset, ut quisque statim intelligeret, quid virtutes voluptati insusurrarent. Vituperat nempe auctor Cleanthem, cum pingi id voluerit, quod pictura praesentari distincte nequeat. — *ad aurem* est *clam*, *non palam*; quippe quod ancillulas male deceret. *Goer.*

aliud negotium nihil habemus.] Sic Pal. 1. et 4. unde in Spir. et Erl. *aliud negotium non habemus.* Hi quidem codd. ostendunt clare, *nihil* a librariis esse mutatum in *non*, quod male fecerunt. Nam *nihil* est adverbialiter positum pro *omnino non.* Vide Zumpt. §. 677. Plurima exempla collegit Eduard. Wunder. ad or. pro Planc. 29, 71. p. 182. seq., ubi inter alia hoc exemplum laudatur, quod sane paullo est durius, or. in Rull. II, 14, 37. *nisi forte nihil est aequum, vos de eorum audacia suspicari.* Verte igitur: *Wir Tugenden sind so geboren, dass wir dir dienen sollen; ein anderes Geschäft haben wir durchaus nicht.*

Cap. XXII.

§. 70. *putat*] Sic codd. tres Goer. — Orell. recepit *ponat* ex aliis codd. Sed quum optimi *putat* teneant, dixerim illam lectio-

cere. Quid affers, cur Thorius, cur C. Hirrius, Postumius, cur omnium horum magister Orata non iucundissime vixerit? Ipse negat, ut ante dixi, luxuriosorum vitam reprehendendam, nisi plane fatui sint, id est, nisi aut cupiant, aut metuant. Quarum ambarum rerum quum medicinam pollicetur, luxuriae licentiam pollicetur. his enim rebus detractis, negat se reperire in asotorum vita quod reprehendat. Non igitur potestis voluptate omnia 71
dirigentes, aut tueri, aut retinere virtutem. Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria. nosti credo illud:

Nemo pius est, qui pietatem — — —

Cave quidquam putes esse verius. nec enim, dum metuit, iustus est: et certe, si metuere destiterit, non erit. non metuet autem, sive celare potuerit, sive opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere; certeque malet existimari vir bonus, ut non sit, quam esse, ut non putetur. Ita, (quod certissi-

nem cum Goer. glossam, modo ne cum eodem conferas hoc exemplum *aliquem in numero putare*. Intelligendum est potius ante *putat esse*. Indicativus, in quo offendit Beier. ad Offic. III, 33. p. 409. non est sollicitandus. Continent enim vv. *qui — putat* sententiam Ciceronis.

C. Hirrius Postumius] Sic scripserunt VV. DD. ex corrupta codd. lectione *cur Chius Postumius*. Suspecta est vox *Postumius*, quod C. Hirrio nusquam tribuitur. Scaligerus putat intelligendum h. l. esse C. Hirrium, qui *primus muraenarum vivarium excogitasse dicitur*. Vid. Varro R. R. III, 17. Plin. H. N. IX, 55.

Orata] De L. Sergio Orata cfr. Fragm. ex Cic. Hortens. apud Augustin. de Vit. Beat. p. 1096. Ern. coll. Macrob. Sat. II, 11. Plin. H. N. IX, 54. et Valer. Max. IX, 1. *Goer.*

§. 71. *Nam nec vir bon.*] Goer. dicit *nec* h. l. esse *ne — quidem*. Minime! Oratio est ἀνακολούθως posita. Exempla vult auctor proponere, quibus appareat, voluptatem cum virtute non posse coniungi. Primo loquitur de iustitia, de qua quum nimis multa se dixisse sentit, praecidit sermonem §. 72. quae part. *nec* respondet.

pietatem] Versus, ut ita dicam, proverbialis, cuius sensus integer, ut ex contextis patet, hic est: *qui pietatem metu colit*.

obtinere] vid. ad I, 16, 52., ad quem locum nunc respicit auctor.

vir bonus] Sic Erl. Spir. Vulgo *bonus vir*.

ut — ut] utrumque significat *licet, gesetzt, dass*.

mum est,) pro vera certaque iustitia, simulatio nem nobis iustitiae traditis; praecipitisque quodan modo, ut nostram stabilem conscientiam contem namus, aliorum errantem opinionem aucupemur
72 Quae dici eadem de ceteris virtutibus possunt: quarum omnium fundamenta vos in voluptate, tamquam in aqua, ponitis.

Quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum? delector enim, (quamquam te non possum, ut ais, corrumpere:) delector, inquam, et familia vestra et nomine; et hercule mihi vir optimus nostrique amantissimus A. Torquatus versatur ante oculos: cuius quantum studium fuerit et quam insigne erga me temporibus illis, quae nota sunt omnibus, scire necesse est utrumque vestrum. Quae mihi ipsi, qui volo et esse et haberi gratus, grata non essent, nisi eum perspicerem mea causa mihi amicum fuisse, non sua: nisi hoc dicis, sua, quod interest omnium recte facere. si id dicis, vicimus. id enim volu-
p. 80. mus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum
73 officium. Haec ille tuus non vult omnibusque ex

§. 72. *tamquam in aqua*] Proverbialis locutio, quae significat aliquid in loco lubrico ponere et infirmo. Miror nihil de hoc proverbio monuisse lexicographos. Desumptum proverbium ab eo, quod aqua numquam consistit, sed semper fluit, unde certo pede in ea stari non potest.

quamquam — corrumpere] Est levis ironia, quae refertur ad vv. I, 10, 34.

A. Torquatus] A. Torquati filius, idem qui a. U. 701. praetor fuit et ad quem exsulem literae Ciceronis exstant VI. ep. 1. et 4. Pater ex praetura a. U. 676. Africam provinciam obtinuit.

temporibus illis] Haec verba significant Ciceronis exsilium, ut saepissime apud Ciceronem.

gratus — grata] Ludit Cicero in varia vocis vi, quae primum significat *dankbar*, altero loco *angenehm*. Vide de hac voce Doederlein. latein. Synon. T. III. p. 254.

ut officii fructus sit ipsum officium.] Haec verba nihil aliud volunt, quam quod toties alibi dicitur, *virtutem per se ipsam esse expetendam*. Tractantur haec et sequentia latius, ut saepius, in maxime I. Legg. 18, 48. seqq. *Goer.*

§. 73. *Haec ille tuus non vult*] Sic tres Goer. quod ipse improbat. Sed idem ad II, 3, 9. docuit pluralem num. poni posse

rebus voluptatem quasi mercedem exigit. Sed ad illum redeo. Si voluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus et ex eius spoliis sibi et torquem et cognomen induit ullam aliam ob causam, nisi quod ei talia facta digna viro videbantur, fortem non puto. Iam si pudor, si modestia, si pudicitia, si, uno verbo, temperantia poenae aut infamiae metu coercebuntur, non sanctitate sua se tuebuntur: quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet ac proiiciet, aut, occultatione proposita aut impunitate aut licentia?

Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur 74
te isto nomine, ingenio, gloria, quae facis, quae cogitas, quae contendis, quo referas, cuius rei causa perficere, quae conaris, velis, quod optimum denique in vita iudices, non audere in conventu dicere? Quid enim mereri velis iam, quum magistratum inieris et in concionem adscenderis, (est enim tibi edicendum, quae sis observaturus in iure dicendo: et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de maioribus tuis et de te ipso dices more maiorum) quid merearis igitur, ut dicas, te in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse teque nihil fecisse in vita nisi voluptatis causa? — An me, inquis, tam amentem

ubi multa comprehendantur uno nomine, ut significet *haec et talia;* refertur enim plur. ad omnia haec, quae dixerat Cicero antea. Vide not. ad loc. cit.

et torquem et cognomen induit] *Induere* per zeugma applicuit ad *cognomen*, quum ad *torquem* tantum proprie possit referri.

§. 74. *Quid mereri velis*] h. e. *qua mercede induci velis, ut* etc. Vide exempla in Ern. Clav. Cicer. s. v. *Merere.* De orationis autem conformatione hoc in loco vid. Ramshorn. p. 702. 6.

est enim tibi edicendum] Ad edictum respicitur, quo praetor quivis normam, quam in *dando, dicendo, addicendo* secuturus esset i. e. iurisdictionis suae rationem proponebat. Praetor autem urbanus fuit Torquatus hic anno 704. *Goer.*

ut dicas, te in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse teque nihil fecisse etc.] Sic scripsi e codd. Goerenzii. Vid. Excurs. de positu pron. person. in constructione Acc. c. Infin.

putas, ut apud imperitos isto modo loquar? — At tu eadem ista dic in iudicio, aut, si coronam times, dic in senatu. Numquam facies. Cur, nisi quod turpis oratio est? Mene ergo et Triarium dignos existimas, apud quos turpiter loquare?

XXIII. Verum, esto. Verbum ipsum voluptatis non
75 habet dignitatem nec nos fortasse intelligimus: hoc enim identidem dicitis, non intelligere nos, quam dicatis voluptatem. Rem videlicet difficilem et obscuram. Individua quum dicitis et intermundia, quae nec sunt ulla nec possunt esse, intelligimus: voluptas, quae passeribus omnibus nota est, a no-

coronam] Dicitur corona circulus hominum, qui aliquid, tamquam urbem in obsidione, aut iudicium in foro audiendi causa ab omnibus partibus cingunt. Vide Tusc. I, 5. pro Milon. 1. pro Flacc. 28. etc. *Ern.* Clav. Cic. Cfr. Davis. ad N. D. II, 1.

cur, nisi quod turpis oratio est?] Sic scripsit recte Orell. ex codd., quibus accedit Guelf., quum in optt. Spir. et Erl. et Palatt. 3. *quod* omissum sit, ex compendio scilicet, *qd.* vel q, quod facile obliterari potuit. Sensus est: *quae alia causa est, nisi turpis oratio?* Potest etiam scriptum esse *nisi turpis oratio esset*, quum *esset* scribatur per compend. *ēet. Nisi — est* prorsus non potest dici; postulatur enim a syntaxi: *si oratio non turpis est*, nullo modo *nisi*, quod est *wenn nicht, si — non wenn — nicht*, ubi in adiectivo, quod sequitur, est vis, non in negativa, aut in conditionali particula. Deinde dicendum esset *cur non?* sed repetendum est ex *numquam* negatio. Si dicitur *cur, nisi oratio turpis est*, sensus est: *faceres, nisi oratio turpis esset.* Ex hoc vides, etiam *est* falsum esse in hac oratione. Nemo enim utitur tum indicativo modo, sed coniunctivo. Verteres: warum? *wenn die Rede nicht schändlich wäre.* Cfr. Zumpt. §. 343. Simillimus locus est §. 79. *Cur ista res odio digna est, nisi quod est turpis.*

Cap. XXIII.

§. 75. *Rem videlicet difficilem et obscuram.*] Sic scripsi cum M. L. Lall. Schol. „in Mss. compendiose scribitur *rem vid. diff.*“ Lall. Probat Orell. et sic praeclare locus restituitur. Vulgo *vides.* Difficile sic est intellectu, num ironice haec dicta sint, quod sane est. Non intellexerunt librarii syntaxin, qua hi accusativi appositionem efficiunt, quae ad totum enunciatum praecedens pertinet et ab hoc pendet. Dictum est enim pro: *quae res videlicet difficilis et obscura est.* Cfr. Cic. de Or. II, 19, 79. *quinque faciunt quasi membra eloquentiae — rem sane non reconditam.* Orat. 16, 52. *quaerere videbare, quod genus ipsius orationis optimum iudicarem. Rem difficilem, dii immortales, atque omnium difficillimam.* Respicit auctor ad ea, quae cap. 4. dixerat.

passeribus omnibus nota est] Sic omnes codd. Primus Gruter.

bis intelligi non potest? Quid? si efficio, ut fateare, me non modo, quid sit voluptas, scire, (est enim iucundus motus in sensu,) sed etiam, quid eam tu velis esse? tum enim eam ipsam vis, quam modo dixi; et nomen imponis, in motu ut sit et faciat aliquam varietatem: tum aliam quandam summam voluptatem, cui addi nihil possit: eam tum adesse, quum dolor omnis absit, eamque stabilem appellas.

Sit sane ista voluptas. Dic in quovis conventu 76
te omnia facere, ne doleas: si ne hoc quidem sa-

edidit *pass. not. est omnibus*, quod recepit Goer., qui sic collectiva in clausula poni solere a Cicerone notat, quod tamen magis de clausula sententiae simplicis enunciati valeat. Esse tamen loca, quae hunc positum vel sic defendant, ut III. Verr. 58, 134. *nisi rem tam notam esse omnibus et tam manifestam videres.* At hae regulae refutantur ratione ipsa. Nam ratio verborum collocationis non pendet ex sono, quo certae formulae semper eundem locum teneant, sed partim ex cogitandi legibus, partim ex *ἐυφωνίᾳ*, quae non a nostrarum aurium iudicio pendet, sed a praestantia codicum, qui semper fere meliorem ordinem suppeditant, quod nusquam crebrius animadvertisse videor, quam in Catone Maiore, ubi codd. Reg. Trev. Erfurt. Basil. Dresd. 1. et 4. ubique fere in meliore ordine, quae et a ratione et ab *ἐυφωνίᾳ* commendatur, conspirant. Nihil est autem naturalius, quam ut saepe hic ordo redeat: *quae nota sunt omnibus*, quia ea verba, in quibus vis est et pondus orationis, ad clausulam solent reiici, ut fortius claudatur periodus. Saepe enim in persona aut re, cui aliquid notum esse dicitur, omnis vis sita est, ut in illo Cic. loco ex Verr. orat. laudato, quocum confer Cat. Mai. 8, 5. *ut ea ipsa nota essent mihi, quibus videtis me nunc uti exemplis.* Sic scripsi ibi e Trev. et Lips. cod. quia *mihi* significat *in meum commodum*, quippe quibus nunc *uti* possim. pro Milon. 28, 76. *Fingi haec putatis, quae patent? quae nota sunt omnibus?* Sed ne propter aurem respuas illam verborum collocationem *passeribus omnibus*, pari casuum exitu, unum tantum ex multis laudabo locum Tuscul. III, 2, 3. *poetae — inhaerescunt penitus in mentibus.*

quam modo dixi] Sic scripsi omisso *ego*, quod post *dixi* habent Erl. Spir., qui quum sint optimi et sit in clausulam reiectum, esse ab aliquo, qui cod. habuerit, assutum iudico, suspectum maxime eo, quod aliter in aliis codd. est collocatum. Orell. scripsit *quam modo ego dixi.* Goer. om. *modo ego.* Scribae opponi volebant pron. *ego* pronomini *tu*, quod antecedenti *me* opponitur, non verbo *dixi.*

cui addi nihil possit] Erat hoc Epicuri praeceptum, *Οὐκ ἐπαύξεται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκὶ, ἐπειδὰν ἅπαξ τὸ κατ' ἔνδειαν ἀλγοῦν ἐξαιρεθῇ, ἀλλὰ ποικίλλεται.* Vide *Κυρ. δοξ.* XVIII. Respicit ad I, 11, 38.

tis ample, satis honeste dici putas; dic te omnia et in isto magistratu et in omni vita utilitatis tuae causa facturum, nihil nisi quod expediat, nihil denique nisi tua causa: quem clamorem concionis aut quam spem consulatus eius, qui tibi paratissimus est, futuram putes? Eamne rationem igitur sequare, qua tecum ipse et cum tuis utare, profiteri autem et in medium proferre non audeas? At vero illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt. In iudiciis, in senatu, *officium*, *aequitatem*, *dignitatem*, *fidem*, *recta*, *honesta*, *digna imperio*, *digna populo Romano*, *omnia pericula pro republica*, *mori pro patria*.

77 Haec quum loqueris, nos barones stupemus: tu videlicet tecum ipse rides. Nam inter ista tam magnifica verba tamque praeclara non habet ullum voluptas locum, non modo illa, quam in motu esse dicitis, quam omnes urbani, rustici, omnes, inquam, qui Latine loquuntur, voluptatem vocant: sed ne haec quidem stabilis, quam, praeter vos, nemo appellat voluptatem.

XXIV. Vide igitur, ne non debeas verbis nostris uti, sententiis tuis. Quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quo gravior viderere, non esses tui simi-
p. 81. lis: verba tu fingas et ea dicas, quae non sentias, aut etiam, ut vestitum, sic sententiam habeas, aliam domesticam, aliam forensem, ut in fronte osten-

§. 76. *officium* etc.] Plene haec ita expresseris: *et in iudiciis et in senatu nihil loqueris nisi officium.*

§. 77. *barones*] Baronis vocab. deductum videtur a *varone*. *Varo* enim vel *varro* significat stipitem non dolatum, praedurum atque enodem. Recte itaque *varo* seu *baro* (frequenter enim *l* et *v* commutantur) pro hebeti ac stolido usurpatur, quum etiam *stipes* eum sensum habeat. Plausibilis videtur etiam ea sententia, qua haec significatio ducitur a *baronibus* seu *varonibus*, quos vetus Schol. Pers. V, 138. Gallorum lingua servos fuisse dicit militum, qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum. Quater haec vox reperitur apud Cic., nostro loco, de Divin. II, 70, 144. Ep. ad Fam. IX, 26, 3. ad Att. V, 11. Cfr. Reiz. de Ambiguit. serm. p. 76. et in Addend. p. 653.

tatio sit, intus veritas occultetur? Vide, quaeso, rectumne sit. Mihi quidem hae verae videntur opiniones, quae honestae, quae laudabiles, quae gloriosae, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu concilioque proferendae sunt: ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere.

Amicitiae vero locus ubi esse potest aut quis 78
amicus cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, e quo nomen ductum est amicitiae, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se nihil ex his redeat? Et quidem prodest, inquit, mihi eo esse animo. Immo videri fortasse. Esse enim, nisi eris, non potes. Qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non subducta utilitatis ratione effici solet, sed ipsum a se oritur et sua sponte nascitur. At enim sequor utilitatem. Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur utilitas: et, si utilitas amicitiam constituet, tollet eadem. Sed 79
quid ages tandem, si utilitas ab amicitia (ut fit saepe) defecerit? relinquesne? quae ista amicitia est? retinebis? qui convenit? quid enim de amicitia statueris utilitatis causa expetenda, vides. Ne in odium veniam, si amicum destitero tueri. Primum cur ista res digna odio est, nisi quod est turpis? Quod si, ne quo incommodo afficiare, non relinques amicum: tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur, optabis. Quid? si non

Cap. XXIV.

§. 78. *subducta utilitatis ratione*] cfr. §. 60.

At enim] Graece ἀλλὰ γάρ. His particulis utuntur, qui aliorum orationem occupant, eique occurrunt. Notandum autem, elliptice has particulas poni; nam *enim* particula spectat ad omissam sententiam. Vide Beier. ad Offic. III, 20, 79. coll. ad I, 40, 144. H. l. ita supple orationem: *at non quaero amicitiam propter se — sequor enim utilitatem.* De Graeco ἀλλὰ γάρ vid. Hermann. ad Vig. p. 811. §. 275.

§. 79. *Ne in odium veniam*] Haec in diverbiis dicta ita cohaerent cum praegressis: *Num forte ideo eam retinebis, ne destituto amico in odium incurras.*

modo utilitatem tibi nullam afferet, sed iacturae rei familiaris erunt faciundae, labores suscipiendi, adeundum vitae periculum: ne tum quidem te respicies et cogitabis sibi quemque natum esse et suis voluptatibus? Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno, aut Pylades quum sis, dices te esse Orestem, ut moriare pro amico? aut, si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares? et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere?

ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno] Vide Tuscul. V, 22, 63. et Off. III, 10, 45. ibique Beier. Cfr. Lactant. V, 17, 22. Respicit auctor Orestem Pacuvii, cfr. Lael. 7, 24. ex quo infra V, 22, 63. ipsa verba laudantur.

si id non probares] h. e. *si id probabile facere non posses regi* (ad id regem consentientem non haberes). Cum his autem coniungenda censeo verba *quo minus — necaremini*, quae maxime torserunt interpretes, nec sunt sane facilia ad intelligendum propter syntaxin. Putarunt nimirum intpp., constructionem esse *precarere, quominus*, quod sane insolenter dictum esset pro *precarere, ut*. Cuius constructionis nullum novi exemplum. Sed non melius rem gesserunt, qui delerunt part. *minus*. Nam ne ita quidem loquitur Cicero. Semel tantum ita Trebon. in Epist. ad Fam. XII, 16. *Illum cohortari non intermittemus, quo indies longius discendo exercendoque se procedat*. Nam ubi apud Cicer. *quo* legitur, semper verti potest *damit dadurch*, et res, qua quid efficiendum est, ante commemorata est. Orell. posuit *deprecarere* cum P. M. L. Sed ne hoc quidem intelligo. Facillima certe ea ratio videtur, qua haec cum praecedentibus ita coniungantur: *et si id non probares, quo minus ambo una necaremini*, hoc sensu: et, si id efficere nequires, ut ambo una necaremini, h. e. si impediremini, quominus ambo una necaremini, non precarere, h. e. nonne precarere, ut una necaremini; quae ita vertas: und, wenn du es nicht durch Beweise dahin bringen könntest, dass ihr *beide zugleich* getödtet würdet, würdest du da nicht (darum) bitten? s. würdest du nicht bitten? scil. ut ambo una necaremini. Constructio ad sensum est facta. *Quo minus* scripsit Cic., quia in oratione negativa *si non probares* sensus inest: *si prohiberemini*. *Probares* autem refertur ad *regem*, ut patet ex loco inferiore V, 22, 63. Probare alicui aliquid est: probabile alicui aliquid facere s. acceptabile: *mihi non probatur, hoc verum esse* significat, *mihi res ita persuaderi non potest, ut credam, verum esse hoc*. Quod si igitur dicitur: *si regi non probare posses, ut ambo una necaret* erit: *si regi non persuadere posses, ut ambo necaret*. Quod ubi non fit, intermittitur id, quod persuadere volumus, unde latet in sententia prohibitio: *si impediremini a rege, quominus* etc. *Non precarere* est *nonne precarere*. Omittitur autem id, quod precandum

Faceres tu quidem, Torquate, haec omnia. XXV.
Nihil enim arbitror magna laude dignum, quod te 80
praetermissurum credam aut mortis aut doloris
metu. Non quaeritur autem, quid naturae tuae
consentaneum sit, sed quid disciplinae. Ratio
ista, quam defendis; praecepta, quae didicisti, quae
probas, funditus evertunt amicitiam: quamvis eam
Epicurus, ut facit, in caelum efferat laudibus.
At coluit ipse amicitias. Quis quaeso illum negat
et bonum virum et comem et humanum fuisse.
De ingenio eius in his disputationibus, non de
moribus quaeritur. Sit ista in Graecorum levitate
perversitas, qui maledictis insectantur eos, a qui-
bus de veritate dissentiunt. Sed quamvis comis
fuerit in amicitiis tuendis, tamen, si haec vera
sunt, (nihil enim affirmo,) non satis acutus fuit.
— At multis se probavit. — Et quidem iure for- 81
tasse: sed tamen non gravissimum est testimonium
multitudinis. In omni enim arte vel studio vel
quavis scientia, ut in ipsa virtute, optimum quid-
que rarissimum. Ac mihi quidem, quod et ipse
bonus vir fuit et multi Epicurei fuerunt et hodie
sunt et in amicitiis fideles et in omni vita con-
stantes et graves, nec voluptate, sed officio con-
silia moderantes, hoc videtur maior vis honestatis,
et minor voluptatis; ita enim vivunt quidam, ut
eorum vita refellatur oratio: atque ut ceteri dicere
existimantur melius, quam facere: sic hi mihi vi- p. 82.
dentur facere melius, quam dicere.

erat, ideo, quia ex praegressis satis apparet. Plane ut Cicero, nos loquimur. Vide interpretationem loci. Sic Cic. ad Fam. I, 4, 2. *Nemo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret per adversarios tuos esse factum* (h. e. *impeditum*). Aliam enodandae difficultatis viam non video.

Cap. XXV.

§. 80. *quamvis comis fuerit in amic. tuend.*] Sic Erl. Spir. Vulgo *quamv. com. in am. tuend. f.*

§. 81. *scientia*] Pertinet haec ad virtutem. Cic. Partitt. Orat. 22, 76. *Virtutis est vis duplex, aut enim scientia cernitur, aut actione.*

XXVI. Sed haec nihil sane ad rem. Illa videamus,
82 quae a te de amicitia dicta sunt. E quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere: amicitiam a voluptate non posse divelli ob eamque rem colendam esse, quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset. Satis est ad hoc responsum. Attulisti aliud humanius horum recentiorum, numquam dictum ab illo ipso, quod sciam: primo utilitatis causa amicum expeti: quum autem usus accessisset, tum ipsum amari per se, etiam omissa spe voluptatis. Hoc etiamsi multis modis reprehendi potest, tamen accipio quod dant. Mihi enim satis est, ipsis non satis. Nam aliquando posse recte fieri dicunt, nulla exspectata nec exquisita voluptate.

83 Posuisti etiam dicere alios, foedus quoddam inter se facere sapientes, ut, quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos: id et fieri posse et saepe esse factum et ad voluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc foedus facere si potuerunt, faciant etiam illud, ut aequitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant. At vero si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus; si nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte,

Cap. XXVI.

§. 82. *ab illo ipso*] Erl. Spir. Vulgo *ab ipso illo.*

etiamsi multis modis] Sic Erl. Spir. Gud. 2. Vulgo *etsi.* Offenderunt librarii in repetito *etiam*, sed saepe ita auctor. II. Acad. 19, 62. III. Legg. 2, 4. II. Acad. 4, 10. quos locos citat Goer. Cfr. Ochsner. p. 58. 60. De aliis partt. repetitionibus idem p. 4. 113.

Mihi — satis est, ipsis non satis.] Cfr. Orat. 64, 215. *Animo istud satis est, auribus non satis.*

exquisita voluptate.] Sic Spir. Erl. Vulgo *quaesita. Exquisita voluptas* est *singularis voluptas, ausgesuchtes, mit allem Fleiss aus vielen herausgesuchtes Vergnügen.*

§. 83. *fructibus et emol. et util.*] *Fructus* sunt redituum; *emolumenta*, quae studio et labore nobis paramus; *utilitates* denique commoda quaevis notione generali ex proprio auctoris more quasi collective addita. *Goer.*

vi sua, ex se et propter se expetendam: dubium est, quin fundos et insulas amicis anteponamus? licet hic rursus ea commemores, quae optimis 84
verbis ab Epicuro de laude amicitiae dicta sunt. Non quaero, quid dicat, sed quid convenienter possit rationi et sententiae suae dicere. — Vtilitatis causa amicitia quaesita est. — Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam si tua sint Puteolis granaria? Collige omnia, quae soletis: Praesidium amicorum —. satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitiis praesidium: iam contemni non poteris: odium autem et invidiam facile vitabis; ad eas enim res

insulas] De *insulis* satis constat; sed notandum est, eas h. l. ob mercedem conducticiam nominari, quae ex his larga possessoribus redibat; multos enim saepe conductores unam habitasse certum est; atque inde ipsas Philox. gloss. συνοικίας vertit, et XV. Att. ep. 17. *mercedes insularum* expresse dicitur. *Goer.*

§. 84. *de laude amicitiae*] Sic tres Goer. cum Marso. Vulg. *laudibus*. Utrumque bonum et praeferendum id, quod ab optimis libris commendatur.

quam si tua sint Puteolis granaria?] Granaria intelligenda sunt cum Gronovio sive publica sive negotiatorum, qui Puteolis mercaturam faciebant, sive aratorum ex provinciis, Africa maxime. (vocatur autem hoc oppidum Straboni p. 169. μέγιστον ἐμπορεῖον, cll. Cic. ad Att. V. ep. 11.) Sic de frumentorum maxima vi, qualis non in unius privati hominis facultates cadit, locus capiendus est, quam Torquatus aeque possidere fingitur, ut ille parva sorte contentus apud Horat. I. Od. 1, 12. *Quidquid de Lybicis verritur areis.* Sed intelligi tamen maxime frumenta publica, quae ex decumis in hoc oppidum congesta, deinde ad varios usus diversis temporibus Romam subvecta sint, ex *tantis vectigalibus*, quae sequuntur, quaeque huc referenda sunt, vix dubitare licet. Vide paucis post. *Goer.*

Praesidium amicorum] Respondet huic *odium et invidiam — quicum ioca* etc.

satis — praesidium] Sic omnes codd. Orell. ex vett. editt. *praesidii*, quod *praesidium* ex sequenti lectione falsa *contemnere* ortum putat. Imo est correctio *praesidii* ab iis profecta, quibus non placuit partic. partitiva *satis* cum *accus.* pro *genit.* posita. Defendit autem recte Goer. codd. scripturam his exemplis: XII. Att. ep. 50. *si satis consilium quadam de re haberem.* Legg. I, 10. ubi codd. quidam *argumentum satis est* habent, probante Orell. Goer. conferri iubet Ernest. Clav. Cic. s. v. *Satis* et intt. id Cornel. Nep. Epam. 4, 6. *Abstinentiae hoc satis erit testimonium.* Vide Ramshorn. p. 196. not. 1.

odium etc.] vide I, 20, 67.

ab Epicuro praecepta dantur. Et tamen tantis vectigalibus ad liberalitatem utens eis sine hac Pyladea amicitia multorum te benevolentiâ praeclare et tuebere et munies. At *quicum ioca, seria*, ut dicitur, *quicum arcana, quicum occulta omnia?* Tecum optime: deinde etiam cum mediocri amico. Sed fac ista esse non importuna: quid ad utilitatem tantae pecuniae? Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse praestantius: sin emolumento, summas familiaritates praediorum fructuosorum mercede superari. Me ipsum igitur ames oportet, non mea, si veri amici futuri sumus.

XXVII. Sed in rebus apertissimis nimium longi fuimus. Perfecto enim et concluso, neque virtutibus neque amicitiis usquam locum esse, si ad voluptatem omnia referantur: nihil praeterea est magnopere

Et tamen] h. e. *et, etiamsi vel illa tibi non essent, tamen, si tantis illis, quae dixi, vectigalibus liberaliter utaris, vel sine ista Pyladea amicitia — tectus tutusque eris.* — Vectigalia de frumenti decumis dici abunde ex tertia Cic. Verrina intellexeris. Respici igitur ad illa *Puteolis granaria* vix dubitari posse videtur. Cumque illa vox de privatorum reditibus non dicatur, granaria publica cogitanda esse, pari consequentia colligitur. *Goer.*

§. 85. *quicum ioca*, etc.] Senarium ex his efficere vult Beier. ad Cic. Oratt. p. 195. et ad Lael. p. 35. *quicum ioca, séria, ut dicitur, árcana occulta ómnia?* Versus recte se habet, sed quum *quicum* repetitum in omnibus sit codd. et proverbialis sit oratio, nolim quidquam mutare. Ad *occulta* intellige *communicare audeas.* Cfr. cum his Cic. Lael. 6, 16. quae me verba propemodum movent, ut ex Ennio haec expressa esse credam.

importuna] Sic Sp. Erl., quod probat recte Orell., quamquam ipse retinet vulgatam lect. *inopportuna*, quae videtur esse interpretatio. Sic dicitur ap. Cicer. *importunum tempus* de Orat. II, 5. Off. I, 40.

quid — pecuniae?] Horum verborum elliptica forma a Graeco τί πρός — repetita, frequens auctori est, demptaque rogatione *nihil ad* sonat, cfr. I. Legg. 2, 6. *Tantae* autem *pecuniae* i. e. granariorum Puteolis: *nam pecuniae nomine, non solum numerata pecunia, sed omnes res, tam soli, quam mobiles, et tam corpora, quam iura, continentur.* Verba haec sunt Hermogeniani. L. 222. D. de verbb. et rerr. significatione. *Goer.*

mercede] quae ex *fructibus* praediorum redit.

Cap. XXVII.

longi fuimus.] Sic Erl. Spir. Vulgo *sumus.*

dicendum. Ac tamen, ne cui loco non videatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam.

Quoniam igitur summa omnis philosophiae ad 86
beate vivendum refertur, idque unum expetentes homines se ad hoc studium contulerunt: beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis; item contra miseriam omnem in dolore: id primum videamus, beate vivere vestrum quale sit. Atque hoc dabitis, ut opinor, si modo sit aliquid, esse beatum, id oportere totum poni in potestate sapientis. Nam, si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit sibi semper id stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest.

Nemo igitur beatus esse potest. Neque enim 87
in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dici solet: neque appellatur omnino vita beata, nisi confecta atque absoluta; nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser: qui enim existimabit, posse se miserum esse, beatus non erit. Nam quum suscepta semel est beata vita, tam permanet, quam ipsa illa effectrix beatae vitae

§, 86. *summa omnis*] Sic Spir. Erl. Vulgo *omnis summa*. Vide simillimum locum Fin. V, 14, 38. *in homine autem summa omnis animi est, et in animo, rationis. Summa* in his aliisque locis id dicitur, *quo summa res redit, quodque quaque in re primum praecipuumque est.*

si modo sit aliquid, esse beatum] i. e. *siquidem beatitas vere in rebus expetendis sit ponenda. Aliquid* est *aliquid magnum*, ut Graeci dicunt εἶναί τι. Vid. Kuehner. ad Cic. Tuscul. I, 20. init. Cfr. Hermann. ad Vig. p. 731.

sibi semper id stabile] Sic Spir. Erl. Orell. — Goer. omisit *id.*

§. 87. *beatus esse potest*] Sic omnes Goerenz. codd. — Vulg. *esse beat. pot.*

suscepta semel] Sic codd. Goer. praeter Gud. 2., in quo *semel suscepta*, ut vulgata refert. Sed recte *susc. semel* receperunt Goer. et Orell. Cfr. X. ad Att. ep. 4. *res si coepta semel fuerit.*

sapientia: neque exspectat ultimum tempus aetatis; quod Croeso scribit Herodotus praeceptum a Solone. At enim, quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus nec diuturnitatem quidem temporis ad beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam si illa sit sempiterna.

88 Haec dicuntur inconstantissime. Quum enim summum bonum in voluptate ponat, negat infinito tempore aetatis voluptatem fieri maiorem, quam finito ac modico. Qui bonum omne in virtute ponit, is potest dicere, perfici beatam vitam perfectione virtutis. Negat enim summo bono afferre incrementum diem. Qui autem voluptate vitam effici beatam putabit, quî sibi conveniet, si negabit voluptatem crescere longinquitate? igitur ne dolorem quidem. An dolor longissimus quis-

Croeso scribit Herodotus] Lib. I. cap. 32. et ex eo Tzetzes Chil. I, 43. Adde Plutarch. in Solon. p. 94. (cap. 27.) [ᾧ - εἰς τέλος ὁ δαίμων ἔθετο τὴν εὐπραξίαν, τοῦτον ἡμεῖς εὐδαίμονα νομίζομεν.] Valer. Max. VII, 2, 2. ext. Iuvenal. X, 274. atque ibi Schol., ut etiam ad XIV, 328. Eurip. Androm. 120.

Χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν ὄλβιον οὐδενὰ βροτῶν
Πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς
Ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω.

Legitur et apud Stob. Serm. CIII. p. 561. Auson. in Lud. septem sap. 114.

Spectandum dico terminum vitae prius
Tum iudicandum, si manet felicitas.

Sophocles Trach. v. 1.

Λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς,
Ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοι βροτῶν, πρὶν ἂν
Θάνοι τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς, οὔτ' εἰ τῷ κακός.

Ibi vide Schol. atque ad eiusd. Oed. Tyr. v. 1550. insuper Ovid. Met. III, 135. *Davis.*

At enim] Solve particulas ita: *at hoc vos non tangit: negat enim Epicurus.*

§. 88. *ac modico*] Sic Spir. Erl. Vulg. *atque.*

qui sibi conv.] Sic Spir. Erl. Vulgo *is conveniet.*

igitur ne dolorem quidem] *crescere longinquitate dicet*, quod verb. ex *negare* est repetendum.

An dolor etc.] Sine causa haeret in his Goerenzius, qui ut rem illustret, difficillimam et falsam interpretandi viam ingreditur. Putat nimirum Ciceronem sic scribere debuisse: *an, si dolor longissimus quisque miserrimus est, voluptatem non optabiliorem*

que miserrimus, voluptatem non optabiliorem diu-

diuturnitas facit? Sed autem saepe subaudiri; *est* in eiusmodi epiphonemate omitti. Recte se habet, quod ultimo loco de verbo subst. *est* dixit, non item reliqua. Res ut intelligatur a tironibus, sententiarum nexus enodandus est. Negat Epicurus nec diuturnitatem quidem temporis ad beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam si illa sit sempiterna. Negabant igitur Epicurei voluptatem crescere longinquitate. Huic sententiae consentaneum esse dicit Cicero, eosdem negare dolorem crescere posse. Haec ultima non proprie ad disputationem pertinent, quum nunc de voluptatis accessione, non de dolore loquatur. Annectit autem haec, quae de dolore dicit, quia prioris sententiae sunt consequentia et optime ita sibi transitum potest parare ad conclusionem efficiendam, qua probat, ineptire Epicureos, si negent voluptatem diuturnitate crescere. Quod ut efficiat, utitur exemplo a dolore petito, qui quo longinquior sit, eo sit peior. Quod si dolor, quo longior sit, eo sit vehementior s. eo maiorem miseriam afferat, longe naturalius esse, voluptatem quo diuturnior sit, eo esse maiorem ideoque eo optabiliorem, vel potius maxime optabilem. Concludit ergo a maiori ad minus, ut dicunt logici, qua in conclusione oppositionis particulam omittit, ut saepe. [Vide infra.] Nimirum ita nos scriberemus: *an dolor longissimus quisque miserrimus est; voluptatem vero non optabiliorem facit diuturnitas?* Verte totum locum a vv. *Qui autem — facit* ita: *Wer aber glaubt, dass durch das Vergnügen das glückliche Leben bewirkt wird, wie kann der sich gleich bleiben, wenn er läugnet, dass das Vergnügen durch die lange Dauer wachse, folglich auch nicht einmal der Schmerz? Oder ist etwa der längste Schmerz der schlechteste, das Vergnügen aber macht die lange Dauer nicht wünschenswerther?* Haec hanc sententiam continent: *Haud dubie, (an* ironice est positum. Vide ad I, 2.) *quum dolor longissimus sit miserrimus, voluptas, quo diuturnior est, eo magis est optabilior:* voluptas enim superat dolorem. Ita non opus est, ut ad ellipsin confugiamus tali in connexu inauditam. Compara haec: Cic. in Catil. I, 1, 3. *An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae privatus interfecit: Catilinam* [inserunt codd. quidam *vero*, quod om. Quinctil. VIII, 4, 14. et meliores editt. Nauger. Camer. L. Schuetz. M. Codex Lipsiens. quem ego contuli) *orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?* Dictum est pro: *Quum P. Scipio Tib. Gracchum privatus interfecerit, multo magis Catilinam consules interficere oportebat.* pro Sull. 11, 32. *An vero clarissimum virum generis vestri ac nominis nemo reprehendit, qui filium suum vita privavit, ut in ceteros firmaret imperium: tu rempublicam reprehendis, quae domesticos hostes, ne ab iis ipsa necaretur, necavit?* cfr. Ovid. Heroid. XVII, 247. Ita etiam cum part. *ergo*; vid. Beier. ad Cic. Off. I, 31, 114. T. I. p. 245. cum *scilicet* Virg. Aen. II, 577. cll. v. 580. 583., quem locum corrupit Heynius. Cfr. Cic. Acad. II, 42. in. ubi cum *quid* idem fit. Sic *nisi forte*, quae particulae exceptivae idem sunt atque si interrogationem facias. Quinctil. X, 5. Haec si vidisset Goerenz. non tantos edidisset clamores, quibus perturbantur tirones. Et, si ex-

turnitas facit? Quid est igitur, cur ita semper deum beatum Epicurus appellet, et aeternum? demta enim aeternitate nihilo beatior Iupiter, quam Epicurus: uterque enim summo bono fruitur, id est, voluptate. — At enim hic etiam dolore. — At eum nihili facit. Ait enim si uratur, quam
89 hoc suave! dicturum. Qua igitur re a deo vincitur, si aeternitate non vincitur? In quo quid est boni praeter summam voluptatem et eam sempiternam? Quid ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquare? In voluptate corporis (addam, si vis, animi, dum ea ipsa, ut vultis, sit e corpore;) situm est vivere beate. Quid? istam voluptatem perpetuam quis potest praestare sapienti? Nam quibus rebus efficiuntur voluptates, hae non in potestate sunt sapientis. Non enim in

plicatius, quam par erat, a me haec sunt exposita, causa fuit, ne quis ab errore Goerenzii, cuius magna est apud VV. DD. auctoritas, deduceretur.

ita semper] ut *οὕτως ἀεί*, nostro *so unaufhörlich*, aequat.

beatum — et aeternum?] *Μακάριον καὶ ἄφθαρτον.* Laert. X, 123. *Τὸν θεὸν ζῶον ἄφθαρτον καὶ μακάριον νομίζων, ὡς ἡ κοινὴ τοῦ θεοῦ νόησις ὑπεγράφη.* Cfr. Cic. de N. D. I, 17, 45. *Davis.*

At enim] Solve: *at non par ratio est, nam quum Iupiter voluptatem tantum habeat, Epicurus etiam dolori obnoxius est.*

Ait enim, si uratur, quam hoc suave! dicturum.] Sic scripsi e Spir. Erl., quum vulgo ante *si se* legatur; in edit. Crat. V. post *uratur.* Non opus est pronomine personali, quod saepe omittitur post verba dicendi in constructione acc. c. inf. Quod quando fieri possit, optime docuit Ramshorn. p. 432. Cfr. Krueger über die Attraktion §. 133. Kritz. ad Sall. Catil. 31, 7. Goerenz. ad Acad. I, 2, 7. qui ad Fin. II, 15, 50. haec exempla affert III. Orat. 20, 74. Muren. 3, 7. et Catil. IV, 6, 12., ubi ex optt. codd. eiiciendum sit *se.* Matth. ad or. pro Rosc. Am. 22, 61. Beier. ad Off. II, 13, 14. III, 26, 98. ad or. pro Scaur. p. 126. Ochsner p. 50. 141. Stallbaum. ad Ruddim. II. p. 12. 14. nr. 37. — Dictum autem, quod sequitur, ad illum Phalaridis taurum spectat, cfr. Senec. Ep. 66, 17. Epicurus ait, sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, quam dulce est, et ad me nihil pertinet! cll. II. Tusc. 7, 17. et quae ibi intt. collegerunt. *Goer.*

§. 89. *In quo*] i. e. *in deo.*

sit e corpore] h. e. veniat e corporis voluptatibus. Vide I, 17, 54.

ipsa sapientia positum est beatum esse, sed in his rebus, quas sapientia comparat ad voluptatem. Totum autem id externum: et quod externum, id in casu est. Ita fit beatae vitae domina fortuna, quam Epicurus ait *exiguam intervenire sapienti.*

„Age, inquies: ista parva sunt. *Sapientem* XXVIII. *locupletat ipsa natura:* cuius divitias Epicurus 90 parabiles esse docuit.“ Haec bene dicuntur: nec ego repugno: sed inter sese ipsa pugnant. Negat enim tenuissimo victu, id est, contemptissimis escis et potionibus minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego, si negaret quidquam interesse ad beate vivendum, quali uteretur victu, concederem: laudarem etiam: verum enim diceret: idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Sed, qui ad voluptatem omnia referens, vivit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piso, non audio:

quam — exiguam etc.] vid. I, 19, 63.

Cap. XXVIII.

§. 90. *Age*] Concedentis est, ut pro Mil. 19, 49. *Age, sit ita factum. Goer.* Cfr. infra §. 119. *Age sane inquam; sed erat aequius.*

Negat enim tenuissimo victu] De re ipsa sic Epicurus paullo post [§. 91.]. Non minor, inquit, voluptas percipitur ex vilissimis rebus quam ex pretiosissimis. Et apud Laert. X, 130. *Οἱ τε λιτοὶ χυλοὶ ἴσην πολυτελεῖ διαίτῃ τὴν ἡδονὴν προσφέρουσιν.* Alia eius in hanc rem dicta suppeditabit Stob. Serm. XVII. pagg. 158. 159. *Davis.*

escis et potionibus] Sic Cic. de Divin. I, 51, 115. *si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est affectus* etc.

cibi condimentum] Porphyr. de Abstin. III, 26. *Σωκράτης ὄψον τροφῆς τὸ πεινῆν ἔλεγεν.* Vide Xenophon. Mem. l. I. c. 3, 5. *Davis.*

vivit ut Gallonius] vid. supr. II, 8, 24.

Frugi — Piso] Vide Cic. Tuscul. III, 8, 16. Cfr. Ernesti Clav. Cic.

non audio] Intellige *eum*, quod vel hoc loco vel ante *qui* potuit collocari. Vide Ramshorn. p. 359., qui tamen non satis singula genera distinxit. Rectius divisit Zumpt. §. 765. Duplex est exemplorum genus discernendum, alterum, in quibus demonstrativum eodem casu repetendum erat, idque satis est frequens; alterum, quo alio casu est repetendum, quod est rarius et interdum paullo

91 nec eum, quod sentiat, dicere existimo. Naturales divitias dixit parabiles esse, quod parvo esset natura contenta: certe, nisi voluptatem tanti aestimaretis. *Non minor*, inquit, *voluptas percipitur ex vilissimis rebus, quam ex pretiosissimis.* Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. Qui enim voluptatem ipsam contemnunt,
p. 84. iis licet dicere, se acipenserem menae non anteponere: cui vero in voluptate summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda: eaque dicenda optima, quae sunt suavissima.

92 Verum esto. Consequatur summas voluptates, non modo parvo, sed per me nihilo, si potest: sit voluptas non minor in nasturtio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon, quam in Syracusanis mensis, quae a Platone graviter vituperantur: sit, inquam, tam facilis, quam vultis, comparatio voluptatis: quid de dolore dicemus? cuius tanta tormenta sunt, ut in his beata vita, si modo

durius, ut nostro loco. Apte Bremi laudat Tusc. V, 7, 20. *Xerxes praemium proposuit, qui invenisset novam voluptatem.* I. Phil. 15, 38. *Quae potestas si mihi saepius sine meo vestroque periculo fiet, utar.* Parad. VI, 3. *Uter igitur est ditior, cui deest, an cui superat?* Generis alius est, quod idem affert ex III. N. D. 14, 35. *qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus*, ubi, qui corrigere studuerunt locum, recte posuerunt *quem, quoniam* etc. Nihil autem mutandum esse docuit Krueger über die Abtraktion. §. 96. Nam si ad vulgarem syntaxin scripsisset Cic., dixisset: *sed eum, quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus.* Usus est autem relativo propter meliorem periodi nexum. Vide ad Fin. II, 20, 64. Ubi relativum non potest per adversativum *sed* c. pron. dem. solvi, ad nostrum genus pertinet et prorsus est alienum ab eo, cuius exemplum ex III. N. D. laudavit Brem. In his enim est attractio relativi, non simplex illa ellipsis, de qua nobis est disputandum. Goer. addit III. de Orat. 16, 60. sed ibi iam multum ante Ern. *iis* reperitur in editt. vett. et recte id quidem, quia durissimum esset genus dicendi, si omitteretur demonstrativum *iis*. Plura exempla congessit Ochsner. p. 289. Kritz. ad Sall. Catil. 11, 2. 13, 2. Ciceroniana exempla haec adde: Fin. III, 12, 41. *quod aestimat.* etc. supple: *eo.* Off. II, 20, 69. in Verr. II, 26, 63.

nec eum] Sic Spir. Erl. omisso *enim*, quod interponitur vulgo; recte inclusum est a Goer. et Orell. Delere poterant, ut ego feci.

§. 92. *Xenophon*] Cyrop. I, 2, 8. Cfr. Cic. Tusc. V, 34, 99.

Platone] VII. Epist. p. 97. Bip. Hunc Cicero ipse latine expressit V. Tusc. 35, 101.

dolor summum malum est, esse non possit. Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: *quum corpus bene constitutum sit et sit exploratum, ita futurum.* An id exploratum cuiquam potest esse, quo modo sese habiturum sit corpus non dico ad annum, sed ad vesperum? Dolor igitur, id est summum malum, metuetur semper, etiam si non aderit: iam enim adesse poterit. Qui potest igitur habitare in beata vita summi mali metus? Traditur, inquit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Iam 93
ipsum absurdum, maximum malum negligi. Sed quae tandem ista ratio est? Maximus dolor, inquit, brevis est. Primum quid tu dicis breve? deinde dolorem quem maximum? Quid enim? summus dolor plures dies manere non potest? Vide ne etiam menses. Nisi forte eum dicis, qui simulatque arripuit, interficit. Quis istum dolorem timet? Illum mallem levares, quo optimum atque humanissimum virum, Cn. Octavium, M. F., familiarem meum, confici vidi: nec vero semel nec ad breve tempus, sed et saepe plane et diu. Quos

beatum esse] substantive *beatam vitam.*

his fere verbis] Clemens Alexandr. Strom. II. p. 498. *"Οτε Μητροδώρος ἐν τῷ περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων, ἀγαθόν, φησὶ, ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς ἐυσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα.* Cfr. Tusc. II, 6. *Davis.* Cfr. Beier ad Offic. III, 33, 117. Tusc. V, 9, 27.

ita futurum] h. e. nec futuro tempore se mutaturum.

igitur — igitur] Similis locus est Topic. 4, 25. *His igitur locis — datur. Utrum igitur* etc.

§. 93. *Iam ipsum absurdum*] *Ipsum* pro *id ipsum* a Cicerone dici, ad II. Legg. 5, 12. cll. supra I, 15, 49. vidimus. *Goer.* Vide me ad eum locum.

Nisi forte] Ironice, *du müsstest denn.* Vide Zumpt. §. 526. Ochsner. p. 203. Matthiae ad orat. pro Rosc. Am. 29, 82. Kritz. ad Sall. Cat. p. 77. Beier. ad Cic. Off. I, 33. p. 254. Goerenz. ad Legg. I, 1, 2. Gernh. ad Cat. Mai. 10, 6. Sensus est: *vix eum dolorem intellexeris, hoc enim esset incpte disputatum.*

Cn. Octavium] In hunc, consulem 677. et tum etiam, ob hoc ipsum arthriticum malum, fasciis devinctum, et multis medicamentis delibutum vide Siconnii trib. pl. lepide dictum Brut. 60, 217.

ille, Dii immortales! quum omnes artus arderе viderentur, cruciatus perferebat! Nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat: tantummodo laboriosus videbatur. At miser, si in vitiosa et flagitiosa vita afflueret voluptatibus.

XXIX. Quod autem magnum dolorem brevem, lon-
94 ginquum levem dicitis, id non intelligo, quale sit. Video enim et magnos et eosdem bene longinquos dolores: quorum alia toleratio est verior; qua uti vos non potestis, qui honestatem ipsam per se non amatis. Fortitudinis quaedam praecepta sunt ac paene leges, quae effeminari virum vetant in dolore. Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere, (nam id quidem est interdum necesse,) sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo funestare:

laboriosus] Hanc vocem tali in contextu optime explicat Cic. ipse Philipp. XI, 4. in. Dolores Trebonius pertulit magnos: multi, ex morbi gravitate maiores; quos tamen non miseros, sed laboriosos solemus dicere. Cfr. Tuscul. II, 15. in.

vitiosa et flagitiosa vita] *vitiosa* vita est, quam omnes fere homines sequuntur. Vitium enim est proprie virtus vituperanda (eine tadelnswürdige Eigenschaft), unde etiam naturale vitium significat, non culpa aliqua contractum, ut h. l. *vitiosa* dicitur *vita*. Coniungit eadem auctor Tuscul. I, 30, 72. *vitia* et *flagitia*.

Cap. XXIX.

§. 94. *Quod autem* etc.] Epicurus IV. *Κυρ. δοξ.* ap. Laert. X, 140. *Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκὶ, ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι· τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον κατὰ σάρκα, οὐ πολλὰς ἡμέρας συμβαίνει· αἱ δὲ πολυχρόνιοι τῶν ἀῤῥωστιῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκὶ, ἤπερ τὸ ἀλγοῦν.*

quorum alia toleratio est verior] Verba significant *quorum tolerandi ratio est alia verior, qua uti vos non potestis, qui honestatem ipsam per se non amatis — virtutis nempe, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet*, ut ad §. 95. finem docet auctor. Nunc singula explicat.

saxum illud Lemnium etc.] Sunt versus qui sequuntur ex Attii poetae Philocteta. Lucius Attius tragoediarum scriptor Romanus natus est a. U. 582. a Chr. 172. Multas tragoedias et fecit et vertit de Graecis, inter quas erat fabula Philoctetes, cuius quae supersunt fragmenta collegit Bothe poet. Frag. p. 156. seqq. Plura de his dixit Hermann. in Opuscul. T. III. p. 113. seqq. De nostro loco agit p. 123. seqq. Expressit Attius Sophoclem eo loco, ubi de victu vitaeque molestiis Philoctetae di-

Quod éiulatu, quéstu, gemitu, frémitibus Resonándo mutum, flébiles vocés refert.
Huic Epicurus comparetur, si potest:

cit. Cfr. Soph. Philoct. 742. seqq. 205. seqq. Plenius laudantur in Tusc. Disp. II, 14, 33.

fremitibus] *fletibus* scripsit Hermann. causa mutationis non addita. Ego retineo vulgatam scripturam, quam vix est credibile a scribis cum alia voce, veluti *fletibus* esse commutatam.

mutum] Sic codd. Goer. praeter Spir. Erl., qui habent *muta*, quod originem suam reliquis ablativis debet, ut solent scribae. *Mutum* adverbialiter est positum, et recte vertit Orell. *dumpf wiederhallend* ad Tuscul. l. c. ed. nov. p. 380. ad Wolf. Schol. in Tusc. Sic saepe apud poetas adiectivi gen. neutro utuntur. Vid. Zumpt. §. 383. Ruddimann. T. II. p. 159. 304. Proprie nihil aliud significat *resonare mutum* nisi hoc: *etwas dumpfes wiedertönen, einen dumpfen Ton von sich geben.* Nam plerumque verba neutra ita construuntur, quae addito tali accusativo adiect. neutr. generis activam accipiunt notionem: ut *resonare mutum* est *sonum efficere mutum, sonum reddere mutum.* Rath. coniunxit *mutum flebiles voces refert*, collato loco de Divin. I, 50. quem Goer. frustra quaesivit. Interpretatur ex illo loco suum Rath. ita: *mutos sonos flebilium vocum refert.* Quod Goer. ita intellexit, quasi Rath. dixisset, sic esse ap. Cic. de Divin. I, 50. At Rath. nihil aliud voluit ostendere, quam *sonos vocum* dici posse, et est quidem apud eundem l. c. §. 114. *sono quodam vocum — incitantur.* Simplicissima autem ratio est, quam supra secuti sumus.

Huic Epicurus comparetur, si potest:] Sic scripsi ex codice quodam, quem hanc scripturam habere dicit scriba codicis Guelferbyt., in quo, ut in plurimis codd., est *competenter*, pro quo alii codd. *competentur*, alii *compenter et.* Gud. 1. in marg. *alii comparentur*, quod Marsus exhibet. Ursini liber *comparet si quid potest*, Pal. 1. *Huic Epic. et si potest*, ubi excideriit: *compar*, ut plene haud dubie ex MSS. Crat. Herv. *comparet se, si potest*, quod recepit Orell. — P. 1480. habet *comparet se et si potest.* Orellii lectionem habent etiam M. L. Grut. Davis. Ern. Br. qui explicat *se alicui comparare* esse *sich mit einem ausgleichen.* Orell. contra ita: Agedum paullisper Epicurus in Philoctetae summis doloribus oppressi locum sese transferat cogitetque sese illius aerumnas perpeti, si potest, id est, si tamen adeo fortis est, ut vel ipsam hanc cogitationem non reformidet. At quid opus est tantis ambagibus ad explicandam locutionem *si potest*, quae, si nostram praefers lectionem, est facillima. Non ceperunt librarii formulam *si potest* pro *si fieri potest* positam, quae non minus fraudi fuit infra V, 4, 9. 28. 84. vid. not. Haec ipsa causa est, cur passivum *comparetur* in activam formam *comparet se* mutarint, quia *si potest* non conciliare potuerunt cum pass. *comparetur.* — Erl. *praetentet.* Spir. *protentet*, ex quo quid elici possit, non assequor. — Goerenz. qui omnia glossam sapere dicit, scripsit: *Huic Epicurus, si potest:* Sed quid ad ablativum suppleas? *Huic* cum vi pronuntiandum est.

Cui viperino mórsu venae viscerum
Venéno imbutae taétros cruciatús cient.

Sit Epicurus Philocteta: *si gravis dolor, brevis.* 95 At iam decimum annum in spelunca iacet. *Si longus, levis: dat enim intervalla, et relaxat.* Primum non saepe: deinde quae est ista relaxatio, quum et praeteriti doloris memoria recens est, et futuri atque impendentis torquet timor? *Moriatur*, inquit. Fortasse id optimum: sed ubi illud, *Plus semper voluptatis?* Si enim ita est, vide ne facinus facias, quum mori suadeas. Potius ergo illa dicantur, viri non esse debilitari, dolore frangi, succumbere. Nam ista vestra, *Si gravis, brevis: si longus, levis*, dictata sunt. Virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet.

XXX. Audi, ne longe abeam, moriens quid dicat 96 Epicurus: ut intelligas, facta eius cum dictis dis-

Sit Epicurus Philocteta:] Sic plurimi codd. et editt., quam lectionem recepit Orell., qui explicat: fingamus Epicurum eodem modo excruciari ac Philoctetam: videamusque, quantum valeant tum ad ipsum tranquillandum sapientissima illa dictata. Hoc cur ipsi non satis placeat Orellio, non intelligo. Vere fortasse dicit Lambinum edidisse *Sit Epicureus Philocteta.* Longe fortius est illud *Sit Epicurus Philocteta* ex illa interpretatione, quam ipse Orell. dedit.

§. 95. *At iam decimum annum*] Sophocl. Philoct. 311. Ἔτος τόδ' ἤδη δέκατον ἐν λιμῷ τε καὶ κακοῖσι βόσκων.

Plus semper voluptatis?] Cfr. II. Tusc. 19, 45. et referuntur haec ad I, 19, 62.

viri non esse] Sic Goer.; Spir. Erl. *turpe, viri non esse.* Sed *turpe* glossa est verborum *viri non esse.* Orell. mire edidit, *turpe esse, viri non esse* e cod. Gronov.

dictata] i. e. *nihil nisi dictata*, nuda praeceptoris verba, non re et veritate comprobata. cfr. I. N. D. 26, 72. ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quae Epicurus oscitans halucinatus est. *Goer.* Cfr. infra IV, 4, 10. Tusc. II. §. 26. Ernest. Clav. Cic. Cfr. ad Q. Fr. III, 1. *meam in illum orationem omnes pueri tanquam dictata ediscunt.*

fomentis] Simili ratione II. Tusc. 24, 59. *vera laus et honestas fomenta summorum dolorum* dicuntur.

Cap. XXX.

§. 96. *ut intelligas*] Sic Spir. Erl. cum Palat. 1. Proxime ad hos accedunt E et ξ. *et intelliges; ut* et *et* saepe confundun-

crepare. *Epicurus Hermarcho S. Quum agere-* p. 85.
mus, inquit, *vitae beatum et eumdem supremum*

tur, ut *a* et *e* in *intelligas*. Vulgo *et intellige*. Non crediderunt librarii duplicem causam posse coniungi, quum supra esset, *ne longe abeam*.

Hermarcho] Erat hic successor Epicuri in schola. Vide Diog. Laert. X, 15. — Scribitur autem sic eius nomen (non *Hermacho*, ut vulgo.) in statua Herculanensi aenea, quae faciem hominis superne expressam sistit, cfr. Antichità di Ercolano Vol. V. tab. 17. et in libro nondum edito Philodemi περὶ ῥητορικῆς ex iisdem Herculanei ruinis eruto, clare scriptum. Vide eiusdem tab. enarrationem p. 721. cll. Athen. Deipnos. XIII. c. 53. et Schweighaeuseri ad hunc adnott. VII. p. 165. et VIII. p. 514. Creuzerique commentationem I. de causis rerum Bacchicar. p. 32. Ita quoque infra §. 102. in scriptis est. — Occurrit etiam Hermachus alius quidam de Harusp. Resp. 16, 34. bis eadem §. nominatus; ubi priore loco cod. quem nos contulimus *h' marcho*, posteriori *armarchi*, et Oxon. φ. expresse *Hermarchi* exhibet. *Goer.* At mirum est, quod haec epistola apud Diog. Laert. X, 22. ad *Idomenem* data scribitur. Sed videtur Ciceronis auctoritas maior, quam Laertii, quum in hoc scholae suae successore et tot annis auditore, cui tantum in testamento tribuit, mirum esse non debeat, si hoc vitae die supremo literas absenti miserit. Adde quod huius nomine, epistolae initio, omnes Epicureos alloqui videtur, *ὑμᾶς* scribens. Denique Metrodori liberorum, sub finem epistolae commendatio ad neminem rectius pertinet, quam ad Hermarchum: quum contra mirum sit, quod eos Epicurus vel Idomeni commendarit, quorum educationem et reliquam curam Amynomacho et Timocrati testamento sic tradidisset, ut hos cuncta ex Hermarchi auctoritate facere iuberet. Quod autem *inquit* offendere potest, id inde fit, quod eiusdemmodi exemplum ignoramus: sed per se ipsum nihil h. v. habet, cur haereas optimeque verteris, so schreibt er, genau übergetragen. Iure autem, omissis verbis istis, haeseris, si plenam epistolam latine factam, non tamen eum nominatum videris, ad quem data ipsa sit. Ex his, nihil h. l. mutandum, sed fidem Ciceronis Laertiana maiorem habendam esse iudicamus. *Goer.* Verissimum videtur assecutus Menagius ad Laert., qui ad utrumque datam eam putat, et ut saepe fiat, ad finem unum alloquitur, Hermarchum, cuius maxima apud Epicurum erat auctoritas, ut patet ex testamento ibid. §. 17. seqq.

Quum ageremus] Apponamus plenam epistolam Graece ex Laert. X, 22. *Ἤδη δὲ τελευτῶν γράφει πρὸς Ἰδομενέα τήνδε ἐπιστολήν. Τὴν μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευτῶντες* (Goer. τελευταίαν, quo non opus) *ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί. στραγγουρία τε παρηκολούθηκει καὶ δυσεντερικὰ πάθη, ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους· ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παρασκευῆς πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν, ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου. καὶ διέθετο μέν ὧδε.* Ceterum, id quod rectissime vidit Menag. ad h. l. Epicurei huiusce dicti meminit etiam Seneca Epist. 29. his verbis: *Quid porro non aeque incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positum dicere Beatus sum? Atqui haec vox*

diem, scribebamus haec. Tanti autem aderant vesicae et torminum morbi, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Miserum hominem! si dolor summum malum est, dici aliter non potest. Sed audiamus ipsum: *Compensabatur*, inquit, *tamen cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua erga me et erga philosophiam voluntate ab adolescentulo suscepta, fac ut Metrodori*
97 *tueare liberos.* Non ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono: quorum alter quum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam, atque ipse gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit, salvusne esset clypeus? Quum salvum esse flentes sui respondissent: rogavit, essentne fusi hostes? Quum id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso, in laetitia et victoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, quum esset proposita aut fuga turpis, aut

in ipsa officina voluptatis est audita. Beatissimum, inquit, et ultimum diem ago, Epicurus: cum illum hinc urinae difficultas torqueret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris. Cfr. Tusc. II, 19, 45. V, 31, 88.

vesicae et torminum morbi] *Tormina* proprie de δυσεντερίᾳ dicuntur. Ita quidem Plin. H. N. XXXII, 2. vesicae et torminum mala iungit.

Miserum hominem] Sic Erl. Spir. Palat. 1. Vulgo *Ecce miser hom.* qua lectione non est opus. Librarii sic explicarunt accusativum exclamationis. Inclusit Orell. Omisit primus Davis. quem secutus sum.

rationum inventorumque] Binis verbis simplex διαλογισμῶν expressit, explicationis causa addita v. *inventorum*.

§. 97. *dispexit*] i. e. intendere aciem oculorum ad videndum. Optime de hac voce disputavit Ernest. in Clav. Cicer.

in laetitia et victoria] Sic Erl. Spir. Vulgo *et in victoria*. Probat omissam praepositionem Goer., quum ita sententia fuerit in laetitia ex victoria nata; esse enim sic *victoriam* in explicationem additam.

gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae. Philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur. Refert tamen, quod sibi videtur esse morienti magna laus. *Compensabatur*, inquit, *cum summis doloribus laetitia.* Audio equidem philosophi vocem, Epicure. Sed 93
quid tibi dicendum sit, oblitus es. Primum enim, si vera sunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est, si vera sunt tua scripta et inventa, gaudere non potes. Nihil enim iam habes, quod ad corpus referas. Est autem a te semper dictum, nec gaudere quemquam, nisi propter corpus: nec dolere. *Praeteritis*, inquit, *gaudeo.* Quibusnam praeteritis? Si ad corpus pertinentibus, rationes tuas te video compensare cum istis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum: sin autem ad animum, falsum est, quod negas animi ullum esse gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde Metrodori libe- 99
ros commendas? Quid ex isto egregio tuo officio et tanta fide (sic enim existimo) ad corpus refers?

Huc et illuc, Torquate, vos versetis licet: XXXI.
nihil in hac praeclara epistola scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis eius reperietis. Ita redarguitur ipse a sese vincunturque scripta eius probitate ipsius ac moribus. Nam ista commendatio puerorum, memoria et caritas amicitiae, summorum officiorum in extremo spiritu conservatio indicat, innatam esse homini probitatem gratuitam, non invitatam voluptatibus, nec praemiorum mercedibus evocatam. Quod

§. 98. *Audio* etc.] Verte: *Ich höre wohl die Sprache eines Philosophen, Epicur, was du aber eigentlich sagen solltest, hast du vergessen.*

nec gaudere quemquam] Sic unus Gud. 2. Cet. *quicquam*, unde Goer. egregie coniecit *quemquam quicquam*, quod non concoxerunt librarii. Sic II. de Or. 19, 77. *qui quemquam nostrum quidquam intelligere arbitretur.*

enim testimonium maius quaerimus, quae honesta et recta sint, ipsa esse optabilia per sese, quum
100 videamus tanta esse officia morientis? Sed, ut epistolam laudandam arbitror eam, quam modo totidem fere verbis interpretatus sum (quamquam ea cum summa eius philosophia nullo modo congruebat): sic eiusdem testamentum non solum a philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia iudico discrepare. Scripsit enim et multis saepe verbis et breviter apteque in eo libro, quem modo nominavi, *mortem nihil ad nos pertinere.*
p. 86. *Quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu: quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere omnino.* Hoc ipsum elegantius poni meliusque potuit. Nam quod ita positum est, Quod dissolutum sit, id esse sine sensu, id eiusmodi est, ut
101 non satis plane dicat, quid sit dissolutum. Sed tamen intelligo, quid velit. Quaero autem, quid sit, quod, quum dissolutione, id est, morte sensus omnis exstinguatur, et quum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat, *ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi*

Cap. XXXI.

§. 100. *cum summa eius philosophia*] *Summa philosophia* h. l. dicitur, ut supra 27, 86. *summa philosophiae.* Sic saepe *summa rerum, summa res.*

in eo libro, quem modo nominavi] Quo libro? Nominaverat modo testamentum Epicuri: at quae vertit, ea sunt secundae Κυρίων δοξῶν et ad verbum inde translata, saepeque ab aliis totidem verbis laudata. cfr. X. Laert. §. 139. Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ· τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. oll. Sext. Empir. Pyrrh. III, 229. Alex. Aphrodis. I. Top. p. 9. Gell. II. N. A. 8. Iam vix probabile est, Epicurum ipsa illa verba in testamenti v. c. introitu posuisse, quum etiam alias eadem variaret, cfr. epist. ad Menoec. Laert. X, 124. seq. oll. Lactant. III. Instt. 17, 30. Vix igitur, nisi errasse Ciceronem statuas, aliter iudicari licebit, quam ut verbis praecedd. *summa eius philosophia* ipsae κυρίαι δόξαι illae intelligantur, quippe in quibus philosophia summa eius, id est, praecipua capita omnia comprehensa essent. *Goer.*

§. 101. *ut Amynomachus*] Non ipsa haec sunt continua Epicuri

sententia dent, quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis, mense Gamelione: itemque omnibus mensibus vicesimo die lunae dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria colatur. Haec ego non possum dicere non esse hominis 102
quamvis et belli et humani; sapientis vero nullo modo, physici praesertim, quem se ille esse vult, putare ullum esse cuiusquam diem natalem. Quid? idemne potest esse dies saepius, qui semel fuit? Certe non potest. An eiusdemmodi? Ne id quidem, nisi multa annorum intercesserint millia, ut omnium siderum eodem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. — At habetur. — Et ego scilicet id nesciebam. Sed, ut sit, etiamne post mortem coletur? idque testamento cavebit is, qui vobis quasi oraculum ediderit, nihil post mortem ad nos pertinere? Haec non erant eius, qui innumerabiles mundos infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset. Numquid tale Democritus? ut alios omittam, hunc appello, quem ille unum secutus est. Quod si dies notandus fuit, eumne 103
potius, quo natus, an eum, quo sapiens factus est? Non potuit, inquies, fieri sapiens, nisi natus esset. Et isto modo ne si avia quidem eius nata non esset! Res tota, Torquate, non doctorum hominum velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis. Quos quidem dies quemadmodum agatis et in quantam hominum faceto-

verba, sed modo excerpta ex Epicuri testamento, eaque auctoris verbis exposita: sic tamen, ut pressius ad Graeca respiciatur. cfr. Laert. X, 19. Inde etiam oblique haec efferuntur. *Goer.*

§. 102. *nisi multa annorum intercesserint millia*] Sic Erl. Spir. cum Palat. 1. Vulgo *nisi quum*; sed *quum* recte poterat abesse. Inculcatur sic saepe a scribis part. *quum*, ubi abesse possit. Vide Giese ad II. de Divin. 28, 62.

enim testimonium maius quaerimus,
et recta sint, ipsa esse optabilia per
100 videamus tanta esse officia moriens
epistolam laudandam arbitror eam
totidem fere verbis interpretatus
ea cum summa eius philosophia
gruebat): sic eiusdem testam
philosophi gravitate, sed eti
tia iudico discrepare. Scrip
pe verbis et breviter apte
modo nominavi, *mortem*
p. 86. *Quod enim dissolutum*
quod autem sine sensu
omnino. Hoc ipsum e
tuit. Nam quod it
tum sit, id esse si
101 non satis plane d
tamen intelligo,
sit, quod, quu
sus omnis exs
omnino, qu
que dilige
chus et



rum urbanitatem incurratis, non dico. Nihil opus est litibus. Tantum dico, magis fuisse vestrum agere Epicuri diem natalem, quam illius testamento cavere, ut ageretur.

XXXII. Sed, ut ad propositum revertamur, (de dolo-
104 re enim quum diceremus, ad istam epistolam delati sumus) nunc totum illud concludi sic licet. Qui in summo malo est, is tum, quum in eo est, non est beatus. Sapiens autem semper beatus est, et est aliquando in dolore. Non est igitur summum malum dolor. Iam illud quale tandem est? *Bona praeterita non effluere sapienti, mala meminisse non oportere.* Primum in nostrane potestate est, quid meminerimus? Themistocles quidem, quum ei Simonides an quis alius artem memoriae polliceretur, oblivionis, inquit, mallem: nam memini etiam quae nolo; oblivisci non pos-
105 sum quae volo. Magno hic ingenio. Sed res se tamen sic habet, ut nimis imperiosi philosophi sit, vetare meminisse. Vide, ne ista sint Manliana vestra, aut maiora etiam, si imperes, quod facere non possim. Quid, si etiam iucunda memoria est praeteritorum malorum? ut proverbia nonnulla ve-

Cap. XXXII.

§. 104. *Simonides an quis alius*] Aliquot codd. *aut* pro *an*. Male. Plena dicendi forma haec erat: *Simonidesne an quis alius dicendus est*. Cfr. Brut. 23, 89. paucis ante quam mortuus est, an diebus an mensibus. Leg. Manil. 19, 57. Gabinio dicam anne Pompeio an utrique. — Incertum autem fuisse, quisnam Themistocli memoriae artem docendam promiserit, vides ex II. Acad. I, 2. coll. II. de Orat. 74, 299. *Goer.* De Simonide vero sic Suidas: *Τὴν μνημονικὴν τέχνην εὗρεν οὗτος.* Martian. Cap. de memoria libr. V. p. 177. Simonides huius rei praecepta invenisse perhibetur, poeta idemque philosophus. Sic inter alios Plin. H. N. lib. VII. §. 24. et Quinctil. Instt. Orat. XI, 2. p. 685. *Dav.* Adde Val. Max. VIII, 7, 12.

§. 105. *ut*] i. e. *so dass.*

Vide, ne ista sint Manliana vestra] Sic haec accipienda: Cave, ne ista ex proavi tui, qui nomen imperiosi invenerat, more, vel ultra etiam fiant. Respicit autem ad ea, quae supra dixerat 19, 60. ubi item ille Manlius Torquatus *imperiosus* audit. *Goer.*

ut] i. e. so dass, concludit ex praemissa enunciatione.

riora sint, quam vestra dogmata. Vulgo enim dicitur, *Iucundi acti labores:* nec male Euripides: concludam, si potero, Latine: Graecum enim hunc versum nostis omnes:

Suavis laborum est praeteritorum memoria.

Sed ad bona praeterita redeamus. Quae si a vobis talia dicerentur, qualibus C. Marius uti poterat, ut expulsus, egens, in palude demersus tropaeorum recordatione levaret dolorem suum: audirem et plane probarem. Nec enim absolvi beata vita sapientis neque ad exitum perduci poterit, si prima quaeque bene ab eo consulta atque fa- p. 87.
cta ipsius oblivione obruentur. Sed vobis volu- 106
ptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit et quidem corpore perceptarum. Nam si quae sunt aliae, falsum est, omnes animi voluptates esse e corporis societate. Corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intelligo, cur Aristoteles Sardanapali epigramma tantopere derideat: in quo ille rex Assyriae glorietur, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse. Quod enim ne vivus quidem, inquit, diutius sentire poterat, quam dum fruebatur; quo modo id potuit mortuo permanere? Fluit igitur voluptas corporis, et prima quaeque avolat saepiusque relinquit caussas

nostis omnes] scil. *qui Epicurei estis, quippe qui eum in ore geratis.* — Graeca ipsa Euripidis, Ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, ex Andromeda sunt, deperdita fabula: sed hic ipse versus a multis veterum laudatur, cfr. Gatakeri Adverss. Miscell. p. 513—515. quae opportune laudat Bremi.

in palude demersus] Cfr. pro Sest. 22, 50. *C. Marium senile corpus paludibus occultasse demersum.* Vide de re intpp. ad Vellei. Paterc. II, 19.

§. 106. *cur Aristoteles*] Vide de re Tuscul. Disp. V, 35, 101. Est ex deperdito Aristotelis opere.

prima quaeque avolat] Revocavit hoc Orell. quum Goer. ex tribus suis scripsisset *prona quaeque.* Docuit Orell. turbas ortas esse ex parum intellecto sensu formulae Ciceronianae *primus quisque*, pro quo nos dicamus: unus post alterum et quidem ordine continuo, secundus post primum, tertius post secundum. Simili modo tentasse criticos N. D. III. §. 7. *primum quidque videamus.*

poenitendi, quam recordandi; itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens,

Desine Roma tuos hostes---

reliquaque praeclare;

Namque tibi munimenta mei peperere labores.

Laboribus hic praeteritis gaudet: tu iubes voluptatibus. Hic se ad ea revocat, e quibus nihil umquam retulerit ad corpus: tu totus haeres in corpore.

XXXIII. Illud autem ipsum qui obtineri potest, quod
107 dicitis, omnes animi et voluptates et dolores ad corporis voluptates ac dolores pertinere? Nihil tene delectat umquam? (Video, quicum loquar.) Te igitur, Torquate, ipsum per se nihil delectat? Omitto dignitatem, honestatem, speciem ipsam virtutum, de quibus ante dictum est: haec leviora ponam: poema, orationem quum aut scribis aut

Hic tamen ab omni mutandi conatu deterrere debuisse novissimos editores V. §. 105. *prima quaeque ab eo bene consulta.*

Desine Roma tuos hostes] Est versus Ennii; haud dubie cogitandum est *metuere*. Pessima videtur Scaligeri coniectura ed. nov. Fragm. Enn. p. 183. *postes* ornare tropaeis. Repetitur hic versus III. de Or. 42, 167. *Africanus* est Scipio Africanus, de quo satis constat.

peperere] Tres Goer. *reperere*, ut Graecorum εὑρίσκειν. Saepius tamen *invenire* apud Romanos ita dictum est.

retulerit] Sic omnes omnino libri scripti et editi. Goer. ex Ernest. edit., qui in principe edit. repererat *retulerat*, recepit idem. Coniunctivus hac vi ponitur: sane fieri non potest, ut ipse cogitatione sua quidquam umquam ex iis retulerit ad corpus. Vertit Goer. in Addendis p. 700. *wobei er wohl nie auf den Körper Bezug nahm.*

Cap. XXXIII.

§. 107. *igitur*] Saepe parenthesin excipit, cfr. supra II, 22, 74. infra III, 14, 45. IV, 14, 38. etc.

haec leviora ponam] Hoc anacoluthon ut vitaret, coniecit Dav. *ponantur*. Sed collegit Bremi loca satis multa, quibus hanc Ciceronis scripturam firmaret. Nobis otium nuper fecit Matthiae, qui in libello de anacoluthis Ciceronis I. p. 8. ut alia, ita hunc etiam locum laudat, monetque, esse hos accusativos et nominativos, qui vulgo absoluti dicantur. Si accusatt. spectas, hi vix huc pertinent: nam constructio est, *quum poema, orationem aut scribis* etc. Nominativi autem ita orti videntur, ut auctor ante parenthesin ita plenam sibi cogitasse videatur, *signum — villa*

s; quum omnium factorum, quum regionum
quiris historiam; signum, tabula, locus amoe-
. ludi, venatio, villa Luculli, (nam si tuam
rem, latebram haberes: ad corpus diceres per-
re) sed ea, quae dixi, ad corpusne refers? an
aliquid, quod te sua sponte delectet? Aut
inacissimus fueris, si in eo perstiteris, ad cor-
ea, quae dixi, referre: aut deserueris totam
curi voluptatem, si negaveris. Quod vero a 108
isputatum est, maiores esse voluptates et do-

lli, nonne te sua sponte delectant? post parenthesin autem oppositionem interseruisse. Ne autem eiusmodi anacolutha emoriae lapsu orta putes: consulto admittuntur, ne post lon- m maxime parenthesin constructio nimis ad amussim facta tur. *Goer.*

lla Luculli] De Lucullanae villae magnificentia et splendore Plutarch. Lucull. cap. 39. cll. III. Legg. 13, 30.

108. *Quod vero* etc.] Est in his anacoluthon quoddam, quod gnorarunt, locum varie corruperunt. Ut nos scripsimus ita [nisi quod servat. glossam, de qua mox dicemus] — Erl. *cat* pro *gaudet*. Vulgo *gaudet* abest, sed errore oculorum ctum est. Hinc autem est, quod Palatini, Oxonn. Goeren- reliqui codd. vv. *plus quam ego ipse* ignorant, aberrante t scriba a *gaudet* ad *gaudeat* et sic interposita omittente. c etiam in vett. editis insignis *illa* lectionis diversitas, quum ibrarii, sive editores, nexui varimoda via consulerent. Au- rbam assutus pannus, qui nobis resecandus fuit, quemque ta post haec his verbis addit: *Animi voluptas oritur pro- voluptatem corporis, et maior est animi voluptas, quam cor- Ita fit, ut gratulator laetior sit, quam is cui gratuletur.* quidem verba cum praegressis ita refert Marsus, ut is, ropter me aliquid gaudeat, animo gaudeat, si voluptas ani- t dicitis, oritur etc. proxima autem, *et maior est — corporis*, at. Paulo aliter Hervag. Camerar. Cratand. aliter P. Ma- liter alii: nam in his diversitatibus enumerandis lucri nihil . Neque vulgata cum scriptis ipsis consentit: plerique enim orum nostrique omnes *animo vol.* et *gratulatur* referunt o habet etiam Guelferbyt. a me collatus.), prout etiam edi curavit. Sed spuriam ista naturam suam produnt lucu- . Nam quis putet, hac in re Ciceronem scripsisse, animi *nimo*) voluptas oritur propter corporis voluptatem, quum ique et hoc et priore libro, pertinet animi vol. ad vol. corp. roficiscitur animi vol. a corpore et ad idem redit etc. Dein- ceronis non est, *Ita fit* dicere, si ex alterius sententia iu- sed *Ita sequetur* etc. Denique, (ne *gratulator*, ut nove n, urgeamus, quum auctor magno numero substt. in *or*, a derivata, neque pauca rarioris usus ponat; quod contra um monemus) quis hanc hoc nexu structuram Ciceronis fe- ide primum illud: *qui probari potest, ut is, qui propter me*

**lores animi, quam corporis; quia trium tempor
particeps animus sit, corpore autem praese
solum sentiantur: quî probari potest, ut is,
propter me aliquid gaudet, plus, quam ego i**

aliquid gaudeat animi voluptas oritur etc.]: *Animi voluptas o
— et maior est — ita fit* etc. pro *Si animi — et si —: seqn
ut* etc. Viderunt etiam VV. DD. his scribarum subesse mar
Ern. enim verba, *ita fit — gratuletur* uncis coercet: Bremi
tem et Rath. [qui structuram, *qui probari potest*, *ut* atroc
mum in Priscianum [h. e. in grammaticam] peccatum vocat.
auctorem expiaturum dicit Goer. Gesnerum, qui ad Quinctil.
1, 35. et in Thes. L. L. ad v. *Ut*, exemplorum nubem con
serit, quibus doceatur, ad verba dicendi maxime, (quale
probare sit) *ut* pro accusat. cum inf. frequenti usu poni.
nostrum Excurs. de part. *ut* apud Cicer. pro accus. cum inf.
sita ad II, 3, 6. cfr. interim III, 13, 43. *ut hoc idem app
bandum sit nobis, ut, qui plura habeat ea, quae in cor
magni aestimantur, sit beatior.*] totum locum *ut is — gratul
in suppositis iudicant. Sed ex illius ratione magis etiam relic
rum ieiunitas cernitur. Hi committunt, ut prorsus incertus
reas, quem huius interpretamenti ortum dicas [Orell. inclusit
ba *Animi — gratuletur.* Rectissime cum Goerenzio prorsus omi
set, quum apertissima sit glossa]. Sequendus igitur unice n
Matthiae fuit, qui verba, *ut is — gaudeat*, ex eo defendit, q
insigni arte Cicero rem confutandam cum ipsa confutatione
dem sententiae serie iungat; quippe quo modo inconvenientia
luculentius appareat. Sic enim hic maxime solet, ubi rem
absurdum deducit: quod vel h. l. dicendum est.“ *Goer.* Prae
re haec disputata sunt, quibus addo haec. Non intellexerunt
brarii orationis conformationem, qua quae opposita esse debeb
ipsi sententiae adiunguntur, quam refellere vult auctor. Nam
propriam rationem secutus esset Cicero, scripsisset. *Quod
a te disputatum est, maiores esse voluptates et dolores ani
quam corporis; quia trium temporum particeps animus sit, corp
autem praesentia solum sentiantur, non verum est. Nam ita
ret, ut is, qui propter me aliquid gaudet, plus, quam ego i
gauderet.* Haec hanc sententiam continent: *Quod a te disputat
est, maiores esse voluptates et dolores animi, quam corporis,
non verum est.* Nam si voluptas animi maior esset quam cor
ris, fieret, ut is, qui propter me aliquid gaudet, plus, quam
ipse, gauderet, quia ille animi gaudium habet, hic, cuius ca
alter gaudet, corporis gaudium habet. Hoc autem fieri vix q
quam probaverit (*beweisen*), quia animi voluptas proficiscitu
corporis voluptate et ad corpus refertur. Non ergo potest e
maior animi voluptas, quam corporis. Falsa igitur vestra
sententia. Iam quum viderent librarii an critici hanc esse Ci
ronis disputationem, quae obscurior iis videbatur propter artifi
sam periodi conformationem, commentati sunt in verba *ut is
gaudeat.* Nam *gratulator* est *is, qui dicitur g a u d e r e p
p t e r a l t e r u m, is cui gratulatur est i p s e i l l e, qui gaud
Verba *Animi voluptas — corporis* refutant haec *maiores esse
corporis.* Sed melius haec commentaturum fuisse Ciceronem os

gaudeat? Sed, dum efficere vultis beatum sapientem, quum maximas animo voluptates percipiat, omnibusque partibus maiores, quam corpore: quid occurrat, non videtis. Animi enim quoque dolores percipiet omnibus partibus maiores, quam corporis. Ita miser sit aliquando necesse est is, quem vos beatum semper vultis esse. Nec vero id, dum omnia ad voluptatem doloremque referetis, efficietis umquam.

Quare aliud aliquid, Torquate, hominis sum- 109
mum bonum reperiendum est. Voluptatem bestiis concedamus: quibus vos de summo bono testibus uti soletis. Quid? si etiam bestiae multa faciunt, duce sua quaeque natura, partim indulgenter vel cum labore; ut in gignendo, in educando perfacile appareat, aliud quiddam iis propositum, non voluptatem? partim cursu et peregrinatione laetantur: congregatione aliae coetum quodam mo-

dit Goer. Ita demum clare cernitur, quo hoc glossema pertineat. Iure igitur auctore indigna recisa sunt a recentioribus criticis. Explicat nostrum locum breviter Matthiae ad Cic. or. pro Rosc. Am. 37, 105., ubi plura eiusmodi exempla laudat, quibus haec periodorum confirmatio defenditur.

occurrat] pro *adversetur* positum est, de qua v. vi Ern. dubitabat. Ex Graeco *ἐναντιοῦσθαι* dictum puta, quod Platoni frequentatur. cfr. II. Acad. 14, 44. *Goer.* Vide ad I, 6, 19. Garaton. ad or. pro Milon. p. 135. ed. Bonon.

§. 109. *indulgenter vel cum labore*] Verte: mit Zärtlichkeit sogar mit Anstrengung; zärtlich sogar mit Anstrengung.

ut in gign.] i. e. ita ut in gignendo. Nam haec indulgentia coniuncta cum labore maxime refertur ad procreationem et educationem. Ita nihil opus est, ut coniecturis locum tentemus, quas fecerunt multas VV. DD., qui haec cum praecedentibus non cohaerere putabant. Affertur enim unum indulgentiae exemplum cum labore coniunctae.

partim cursu et peregrinatione laetantur] Est in his et sequentibus leve anacoluthon, quum sic procedere deberet oratio: *partim sine molestia, ut quum cursu et peregrinatione utuntur.* Sed quoniam, quae ad prius ponuntur, ad bestias omnino omnes referenda sunt, ad certa nunc earum genera respicit et propter multa interposita novam inchoat periodum. In plurimis MSS. pro *partim* legitur vel *turtures et cursu* vel *cicures et cursu*, quae glossa est, ut unum animalium genus afferatur, quod cursu et peregrinatione laetetur.

110 do civitatis imitantur. Videmus in quodam volucrium genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam: in multis etiam disciplinam videmus.
p. 88. Ergo in bestiis erunt secreta a voluptate humanarum quaedam simulacra virtutum: in ipsis hominibus virtus, nisi voluptatis caussa, nulla erit? et homini, qui ceteris animantibus plurimum praestat, praecipui a natura nihil datum esse dicemus?
XXXIV. Nos vero, si quidem in voluptate sunt omnia,
111 longe multumque superamur a bestiis: quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque abundantes nihil laborantibus: nobis autem aut vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis bonum et

§. 110. *Videmus — videmus.*] Uno loco delere certatim studuerunt VV. DD. Goer. delendum censet primum *Videmus* et scribere vult *In quodam vero vol.* etc. Marsus et aliquot codd. omittunt alterum *videmus*. Goerenzius non tam offendere se dicit in duplici verbo, quam quod primum non suo loco legatur. Quod cur sentiat, non assequor. Progreditur hoc verbo ad multo praestantiora, quae in animalibus reperiantur. Et non haereret Goer., si auctor scripsisset: *Quid? quod videmus in quodam* etc. Repetiti verbi exempla plurima habet Ochsner. p. 5. Repetiit autem verbum, quod in ultimis fere maius quoddam affert et quasi singularem formavit sententiam.

cognitionem] Cognitionem de solo eo, quod nos Fassungsvermögen dicimus, intellexerim, ut Platoni aliisque Graecis γνῶσις audit: sequitur enim *memoria*. *Goer.*

disciplinam] Intelliguntur psittaci, corvi, picae etc. quae apud veteres ludicris varii generis assuefiebant. *Goer.*

Ergo in bestiis erunt] Bas. *si erunt*, quod est ab eo profectum, qui non intellexit vim part. *ergo*, qua si a maiori ad minus interrogando concluditur, eiusdem verbi futurum bis post se requirit. Citat Goer. II. Tusc. 17, 39. *Ergo haec veteranus miles facere poterit, doctus vir sapiensque non poterit?* ibid. III, 15, 31. *Ergo hoc Terentius — commode dixerit; nos — non et dicemus hoc melius et constantius sentiemus?* Restituendum idem censet Fut. ibid. I, 14, 31. *Ergo arbores seret diligens agricola*, quum nuper *serit* correctum sit. Nihil enim movere versum illum poetae debere, ad quem his respiciatur. Secutus est nunc Goerenzium Orell. Kuehner. ad Tusc. II, 17, 39. comparat Off. I, 31, 114. ubi vid. Beier. p. 245. Similia sunt exempla Fin. II, 4, 13. I, 21, 72.

Cap. XXXIV.

§. 111. *varios atque abundantes*] Sic scripsit Orell. ex Spir. Erl. quum vulgo esset *varios varieque abundantes*, unde Goer.

hominis idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem, nisi ad voluptatem conquiruntur? Ut 112
si Xerxes, quum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto iuncto, Athone perfosso, maria ambulavisset terramque na-

fecit *pastus varietate abundantes*, ut Orat. 14, 58. *Timaeus rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus.*

§. 112. *Ut si Xerxes* etc.] Sic scripsit Orell. ex Spir. Erl. Turbavit in his primus Goerenzius, qui non recte locum construxit. Nam quum putaret *si* ante vv. *quum tanto impetu* ad *diceret* referendum esse, addidit ante *causam quis* etc. part. *et*; et *si* repetite esse positam post interiectam enunciationem censet, ita ut sit constructio: *Ut, si Xerxes diceret — si*, ubi prior particula non habet, quo referatur. Verum vidit Orell. offensum esse Goer. duplici protasi, una apodosi. Esse enim tres praecipuas sententias: 1) *Ut Xerxes videretur* (apodosis est) 2) *si Xerxes diceret* (prima protasis pendens ex altera *si quis quaereret*) 3) *si quis quaereret.* Verte locum ita: *Wie Xerxes, wenn er sagte — wenn er um die Ursache gefragt würde — gewiss ohne Ursache so Grosses unternommen zu haben scheinen würde — so* etc. Sic omnia plana sunt. Iam videamus singula.

quum tantis classibus] Ne de duplici illa longarum navium et onerariarum intelligas, cfr. Corn. Nep. Themist. 2, 5. ibique Bos. sed eas regis et sociorum. Ita reponi debet (reposuit Giese) I. Divin. 40, 87. *eumque ducem classium fuisse*, ubi Ern. et Hotting. *classis* correxere. Intelliges enim *classes βασιλέων καὶ ἀνάκτων* Graeciae in unam iunctas. *Goer.*

Hellesponto iuncto — terramque navigasset] Primus vidit Ursinus, expressa haec esse ex Isocratis Panegyrico c. 25. *ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάσσης, τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δὲ Ἄθω διορύξας. Goer.* Idem Ursin. dicit huc respexisse Lucret. l. III. v. 1042.

Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum Stravit.

Athone perfosso] Pall. tres, Eliens. pr. et Paris. 1. 3. *Athove perfosso.* Sed illos libros sequor, in quibus alterum legitur; quod et prior fecerat Gruter. Nec erat, cur id male fieri censeret Is. Verburg. Lucilius ap. A. Gell. XVI, 9.

Αἰγίλιπoι montes, Aetnae omnes, asperi Athones.

Priscian. lib. VI. col. 710. Putsch. Quod mirabilius est, Athos Athonis protulit Cicero in III. de Rep. *Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis Athonem pro monumento vult fundi-tus efficere* etc. Sic etiam vetus Scholiastes ad Iuven. Satir. X, 174. atque Ammian. XXXI, 4. *Dav.*

maria ambulasset] Vide Zumpt. §. 383. Ruddim. Instt. II. p. 158. not. 10. Sic Ovid. Fast. I, 122. *ambulat ille vias.* Plin. H. N. XXIII, 1, 16. *Si statim bina stadia ambulentur.* Idem valet de proximo *terram navigare.*

vigasset, si, quum tanto impetu in Graeciam venisset, caussam quis ex eo quaereret tantarum copiarum tantique belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret, certe sine caussa videretur tanta conatus: sic nos sapientem plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum, non, ut illum, maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne caelum totamque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis caussa dicemus tanta molitum.
113 Ad altiora quaedam et magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus: nec id ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumera-

mel se auferre ex Hymetto] De melle Hymettio recte laudat praeter alia Rosa Dioscorid. (II. p. 101.) μέλι πρωτεύει τὸ Ἀττικὸν, καὶ τοῦτο τὸ Τμήττιον καλούμενον.

non, ut illum] *non* referendum ad *dicemus* et sensus est: *sic sapientem — non tam exiguae rei causa, quam quali Xerxem ingenti bello Graeciam aggredientem fecimus, dicemus tanta molitum.* „Elegans haec est comparandae rei ad comparatum applicatio, frequens Platoni et Demostheni et omnino ex illa Homeri, qua similia similibus comparat, ratione imitando expressa videtur." *Goer.* Iusta comparatio esset haec: *ut Xerxes sine causa videretur tanta conatus — — sic nos sapientem non, ut illum maria pedibus peragrantem, classibus montes mellis causa diximus tanta molitum, mellis causa* (h. e. *tam exiguae rei causa*) *dicemus omne caelum, totamque cum universo mari terram mente complexum.* — Ex *dicemus* repetendum est ἀπὸ κοινοῦ *diximus*, unde pendet accusat. *illum*, sed verbum non bis posuit, ne periodi rotunda constructio quasi angulata fieret. Pertinet hoc dicendi genus ad attractionem, de qua dixit Krüger über die Attraktion §. 114. et Ramshorn. p. 616. b., qui multa aliena commiscuit. Vide ad Fin. IV, 20.

§. 113. *nec id ex animi* etc.] Est in his leve anacoluthon, ortum ex parenthesi, ita explicandum, quasi dicere voluisset: *nec id ex animi solum partibus colligitur.* Goer. omisit tacite *id*, quod his in contextis prorsus fieri nequit. Particula *ergo* orationi continuandae inservit cfr. Tusc. I, 7, 14. Vide Excurs. de Anacoluth. ap. Cic. Membro *nec ex animi solum partibus* respondent haec: *Tu autem etiam* etc.

partibus] Intelliguntur eae vires mentis rationisque, quae adiuncto appetitu (nam haec altera animi pars est, cfr. infra §. 115.) ex thesauro rerum perceptarum i. e. memoriâ (memoria enim praeteritorum futurorum prudentia est Cato Mai. 21, 78.) futuro tempori prospiciunt, cupiditates moderantur, socialem vitam omnem regunt et in rebus denique gravioribus constantiam iubent. Sic proxima facile capientur. *Goer.*

bilium, (inde quidem infinita inest coniectura consequentium, non multum a divinatione differens, inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem iustitiae fida custodia; inest perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque contemptio:) ergo haec in animis: tu autem etiam membra ipsa sensusque considera: qui tibi, ut reliquae partes, non comites solum virtutum, sed ministri etiam videbuntur. Quod si in ipso corpore multa voluptati praepo- 114
nenda sunt, ut vires, valitudo, velocitas, pulchritudo; quid tandem in animis censes? in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam caeleste et divinum putaverunt. Quod si esset in voluptate summum bonum, (ut dicitis), optabile esset, in maxima voluptate, nullo intervallo interiecto, dies noctesque versari, quum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi moverentur. Quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit

inde quidem] Sic Goer. ex Spir. Erl. In plurimis codd. est *vitae quidem*, quae corruptela orta est ex lectione *in te*, quam habent E et ξ. Orellius de Moseri coni. posuit *et ea quidem*, ut Tusc. I, 24. *Habet memoriam et eam infinitam rerum innumerabilium*, quia non coeat *inest* et *inde*, esse enim debuisse *est* pro *inest*. Quod non opus esse videtur; nam *inest* refertur ad *animum* et nos dicimus *daher ist darin enthalten*. Quamquam enim vulgo scribitur *inest aliquid in aliqua re*, tamen h. l. satis patet, qua in re aliquid insit, unde abesse potest adiectio *in eo*, ut ad animum referatur.

perpetiendis etc.] Mirum est, quod Goer. hos ablativos putet, quum sint *dativi*, qui finem indicant. Dictum est enim pro *ad perpetiendos* etc.

ergo haec in animis] Mutavit orationem, ut praestantiam animi efferret, qua patet ad altiora quam ad voluptatem hominem esse natum. Ita defenditur haec orationis mutatio, quum certe sententia eadem in his verbis insit, quam exprimere volebat verbis *nec ex animi solum partibus id colligitur*.

reliquae partes] Sic Spir. Erl. omissa v. *corporis*, quae abesse potest, quum praecesserit *membra*.

§. 114. *Quodsi — ; quid tandem*] Vulgo *Quid? si* legitur, sed veram scripturam ex Spir. et Erl. reposuimus, cfr. Orat. 16, 51. *Quodsi in philosophia tantum interest — : quid tandem in causis existimandum est? Goer.*

in maxima voluptate] Sic Erl. Spir. Vulgo *in volupt. max.*

115 esse in isto genere voluptatis? Cyrenaici quidem non recusant. Vestri haec verecundius: illi fortasse constantius.

Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a maioribus nominabantur; sed quaero, num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidiam, Polyclitum, Zeuxin ad voluptatem artes suas direxisse? Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum, quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? Quae est autem alia caussa erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi quod is, qui voluptatem summum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi
116 levissima parte deliberat? Quaero enim de te:
p. 89. si sunt dii, ut vos etiam putatis, qui possunt esse beati, quum voluptates corpore percipere non possint? aut si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis?

XXXV. Lege laudationes, Torquate, non eorum, qui

§. 115. *verecundius*] *agunt* intellige.

Sed lustremus animo non — : sed quaero] Anacolutho hoc ne offendaris. Oratio enim pergere debebat, *sed statuariam atque pictoriam*. Cum vero auctor pro istis artibus artifices positurus esset, et his ex illa maximarum artium, poesi, poetas praemissurus: consulto legitimam verborum consequentiam deseruit. *Goer.*

Archilochum] Archilochus erat poeta Graecus ex insula Paro oriundus, carminis Iambici inventor. De tempore, quo vixerit, scriptores dissentiunt. Cornel. Nep. apud Gell. N. A. XVII, 21. eum tempore regis Tullii Hostilii vixisse narrat. Fragmenta eius collegit Liebel. Lips. 1812. 8. 2 Thr. 12 gr.

Polyclitum] Sic Spir. Erl. — Bas. *Polictitum*. — Gud. 2 *Penditum*. — Atque ita plures codd. IV. Verr. 3, 5. ut utroque loco (ne plura tangamus) sic scribi debeat. Saepe enim notavimus, Ciceronem Graecum *ει* per *e* et *i* sine discrimine efferre solere, et alteram per *i* scribendi rationem ubique fere obliteratam reperiri. Atque inde ex solo Gud. 2. *Polyclitus* II. Acad. 47, 146. a nobis recipiendum erat; nam in his codicum numerus nihil facit, *Goer.*, quum credibilius sit, inusitatiorem formam cum usitata esse permutatam, quae est *Polycletus*, quam recepit Orell.

sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agesilai, non Aristidi, non Themistocli, non Philippi, non Alexandri: lege nostrorum hominum, lege vestrae familiae: neminem videbis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur: non elogia monumentorum id significant, velut hoc ad portam:

UNUM HUNC PLURIMAE CONSENTIUNT GENTES
POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM.

Cap. XXXV.

§. 116. *Aristidi—Themistocli*] Vulgo legitur *Aristidis, Themistoclis.* Sed primo hoc dedimus Erlangensi, ut in *Aristidi* et *Themistocli* formam illam priscam secundi casus in nominibus Graecis tertiae flexionis in *es* auctori tam usitatam, revocaremus, quippe in quo clarissime expressa cernatur, cfr. ad II. Acad. 6, 16. adde ibid. 34, 108. *Hercüli* IV. Verr. 55. *Agathocli*, ut recte Beck. I. Tusc. 41, 98. *Ulixi.* Att. II. ep. 2. *Isocrati.* Et sic locis aliis multis. *Goer.* Acad. I. c. corrigi iubet III. Tusc. 10, 22. *Callistheni* et III. de Or. 21, 80. *Carneadi* idque ex suis scriptis. Ad Tuscul. I. c. citat Kühner *Ganimedi* Tusc. IV, 33, 71. ex Orell. emendat. Giese ad Divin. II, 43, 91., ubi est *Procli* a nomin. *Procles.*, citat Meyer. ad Orat. 56, 190. et intpp. ad Corn. Nep. Ages. 1, 2. p. 524. ed. Bardili. Schneider lateins Gramm. II, 1. p. 167. Cfr. Ramshorn. p. 48. Zumpt. §. 61. Heusing. ad Offic. I, 31, 8. Ellendt. ad Cic. Brut. 8, 29. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. XLII, 25, 2. Struve über die latein. Deklin. p. 26. g., Bentleius ad Horat. Od. I, 15. Corte ad Cic. Ep. ad Fam. V, 12, 5. Adde Priscian. p. 716. Putsch.

hoc ad portam] Inscriptio fuit in sepulcro Calatini ad portam Capenam, v. Tusc. I, 7, 13.

Unum hunc plurimae etc.] Sic scripsi duce loco de Senect. 17, 61., ubi idem elogium Calatini reperitur et incorruptius quidem, ut apparet ex inscriptione, quae continet elogium L. Scipionis Barbati filii ap. Visconti Monum. degli Scipioni Tavol. V. p. 14.

HONC OINO PLOIRUMEI COSENTIONT R--- DUONORO OPTUMO FUISE VIRO.

Ex qua inscriptione patet simul, Calatini elogium unicum huius generis non fuisse. Tribuitur enim idem Scipioni. Hinc apparet, falsum esse, quod reposuerunt critici *unicum plurimae* etc. e vestigiis codicum optimorum Pal. 1. Spir. Erl., in quibus est *uno cum*, a quibus parum discrepat Gud. 2. *ime cum*; haec enim duo ubique confunduntur. In quibusdam codd. est *une ore*, in aliis *ore une*, quod recte suppositum esse dicit Goer. Latent tamen vel sic certa emendationis signa, ad quae prope accessit Rath., qui sagacissime legendum esse coniecit *unum cum*; propius Goer., qui *cum* frigere dicit, sic enim *hunc* potius postulari, quod utinam recepisset. Optime esset iamdudum locus persanatus. Agamus rem duce Orellio ad h. l., qui, quum inscriptionem

117 Idne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse, quod praestantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus? Ergo in iis adolescentibus bonam spem esse dicemus et magnam indolem, quos suis commodis inservituros et, quidquid ipsis expediat, facturos arbitrabimur? Nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur? quanta confusio? Tollitur beneficium: tollitur gratia; quae sunt vincula concordiae. Nec enim, si tuam ob caussam cuiquam commodes, beneficium illud habendum est, sed feneratio: nec gratia deberi videtur ei, qui suam ob caussam commodaverit. Maximas vero virtutes iacere omnes necesse est, voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimae, quae, nisi honestas natura plurimum valeat, cur non ca-
118 dant in sapientem, non est facile defendere. Ac, ne plura complectar (sunt enim innumerabilia) bene laudata virtus voluptatis aditus intercludat necesse est. Quod iam a me exspectare noli. Tute

illam laudasset, addit haec: Ergo in Calatini quoque monumento erat vel HONC OINO, vel, quo ducunt optimi codd. Palat. prim. Spir. Erl. exhibentes *uno cum*, OINO HONC, sicque dedi, recentiore scriptura, quam in ceteris librarii potius, quam Tullius ipse, videntur secuti esse. Cur enim interpretatus esset in seqq. Fuit igitur:

OINO HONC PLOIRUME COSENTIONT GENTES cet.

Posuit totum elogium Orell. ita, ut supra posui. — Hic L. Calatinus in Fastis Capitol. A. Atilius Calatinus appellatur (vid. intpp. ad Aurel. Vict. Vir. III. c. 39.), cuius auctoritatem in dirimenda disceptatione C. Lutatii Consulis et Q. Valerii Praetoris de triumphi honore Valer. Max. II, 8, 2. celebrat. Eundem Aulum Atilium effert Polyb. I, 24. cum collega C. Sulpicio (Paterculo e Fast. Capit.) a. u. 495. iterum cum Cn. Cornelio a. u. 498. vid. ibid. cap. 38. Omisso praenomine commemoratur hic idem apud Liv. Epit. XVII. et XIX.

§. 117. *non est facile defendere*] *defendere* praegnanti sensu dictum est pro *ita demonstrare*, *ita probare*, *ut obtineatur* h. e. *ut vincat sententia*, *non cadere in sapientem turpitudines*. Vide plura eius significationis exempla apud Ernest. in Clav. Cic. s. v.

§. 118. *bene laudata virtus*] i. e. *sua natura rite commendata*. Ita *laudabile bonum* dicitur I. Legg. 17, 46. cll. ibid. II, 5, 11.

introspice in mentem tuam ipse: eamque omni cogitatione pertractans, percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens in ea, quam saepe usurpabas, tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod vos quidem adiungere soletis, sed fieri non potest, sine doloris metu: an, quum de omnibus gentibus optime mererere, quum opem indigentibus salutemque ferres, vel Herculis perpeti aerumnas. Sic enim maiores nostri labores non fugiendos tristissimo tamen verbo aerumnas, etiam in deo, nominaverunt. Exigerem ex te cogeremque, ut re- 119
sponderes, nisi vererer, ne Herculem ipsum ea, quae pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis caussa gessisse diceres.

Quae quum dixissem, Habeo, inquit Torquatus, ad quos ista referam: et, quamquam aliquid ipse poteram, tamen invenire malo paratiores familiares nostros. Credo Syronem dicis et Philodemum, quum optimos viros, tum doctissimos homines. Recte, inquit, intelligis. Age sane, inquam. Sed erat aequius, Triarium aliquid de

§. 119. *Syronem dicis*] Sic scribit hoc nomen Servius ad Virg. Eclog. VI, 13. Fuit Epicureus. Cfr. VI. Div. ep. 11. et II. Acad. 33, 106. — Vulgo *Sironem*.

Philodemum] Erat hic vere Ciceronis tempore Epicureorum nobilissimus. Cfr. Ascon. Ped. ad orat. in Pis. 28. p. 826. ed. P. Manut., eumque, suppresso nomine, in ista orat. Cic. l. l. ut literatum hominem, philosophum et poetam lasciviorem pluribus commemorat. Est vero iste idem ille Philodemus, patria Gadarenus, cuius plura scripta ex Herculanei quasi sepulcro eruta sunt, quorumque illud *περὶ Μουσικῆς* Neapoli 1793. editum est. Ab eodem Epigrammatum plus quam triginta in Iacobsii Anthologia Graeca leguntur. cfr. t. II. p. 70—79.

quum optimos viros, tum doctissimos homines] Sic ex editt. vett. *quum — tum* scripsit Orell. Vulg. *tum — tum*. Vide Excurs. ad I, 6, 19. Ceterum quod *viri — homines* ponitur, cfr. II. Divv. ep. 14. *Fabio viro optimo et homine doctissimo*. Ita auctorem crebro more scribere, multis locis docuit V. D. in Bibl. Crit. III. parte ult. p. 62. Causam huius primo aspectu mirae rationis in eo positam putabis, quod sic distinctius laudatur.

Age] Concedentis est part. Vide ad c. 28. pr.

dissensione nostra iudicare. Eiuro, inquit arridens, iniquum, hac quidem de re. Tu enim ista lenius: hic Stoicorum more nos vexat. Tum Triarius, Posthac quidem, inquit, audacius. Nam haec ipsa mihi erunt in promptu, quae modo audivi: nec ante aggrediar, quam te ab istis, quos dicis, instructum videro. Quae quum essent dicta, finem fecimus et ambulandi et disputandi.

dissensione nostra] Sic codd. Goer. Vulg. *nostra diss.*, quod praetulit Goer., quia oppositio sit in *nostra*. Minime. Oppositio est in *Triarium*, cui opponitur *Torquatus*.

Eiuro, inquit arridens, iniquum] Vulgatur *Immo*, in quo semper offendimus; quis enim hanc ellipsin tulerit? Neque sic codices: imo tres Oxonn. cum binis nostris *iuro*. Spir. et Erl. *iure*. Inde nobis plus quam verosimilis coniectura visa est, quam edidimus. Nota enim ex iure dicendi forma est, *eiurare iniquum*, vel *forum* vel *iudicem*, i. e. *recuso ut iniquum*. III. Verr. 60, 197. *Negotiatores putant esse turpe, id forum sibi eiurare*, *ubi negotiantur*. cfr. II. Orat. 70, 285. *quum ei* (Scipioni) *M. Flaccus, multis probris obiectis, P. Mucium iudicem tulliset. Eiero, inquit, iniquum. Quum esset ad murmuratum, Ah, inquit, P. C. non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus.* adde XII. Philipp. 7, 18. *me iniquum eiurabant.* etc. Hoc autem loco e per praecedentis vocis ultimam literam extrusa est. Ita demum intelliges, cur auctor *arridens* addiderit: nec negliges, quod idem in librorum fine acute, vel lepide dictum aliquod admiscere solet. cfr. II. Acadd. 48, 148. *Tum ille* (Hortensius) *ridens, tollendum.* Sic item infra V, 32, 98. *Non quam nostram quidem, inquit Pomponius iocans.* cfr. I. Orat. 62. ibid. II, 90, 267. etc. His rite perpendendis, vix quisquam erit, qui nos in eo, quod *eiuro* recepimus, iure accusare audaciae possit. *Goer.* Probat Goerenzii sententiam Orell.

finem fecimus et ambulandi et disputandi] Miratur Goer., cur mentionem h. l. auctor fecerit ambulationis, cuius nullum his in libris duobus appareat vestigium. Errasse igitur putat eum, dum alio in opere intentus et hos libros domi suae continens putarit, se de ambulando disputasse, quum non relegerit priora.

M. TVLLII CICERONIS
DE
FINIBVS BONORVM
ET MALORVM
LIBER TERTIVS.

Voluptatem quidem, Brute, si ipsa pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, convictam superiore libro, dignitati. Etenim sit impudens, si virtuti diutius repugnet aut si honestis iucunda anteponat aut pluris esse contendant dulcedinem corporis et titillationem, ex eave natam laetitiam, quam gravitatem animi atque constantiam. Quare illam quidem dimittamus et suis se finibus tenere iubeamus, ne blanditiis eius illecebrisque impediatur disputandi severitas. Quaerendum est enim, ubi sit illud summum bonum, quod reperire volumus, quoniam et voluptas ab eo remota est et eadem fere contra eos dici possunt, qui vacuitatem doloris finem bonorum esse voluerunt. Nec vero ullum probetur ut summum bonum, quod virtute careat: qua I. 1 p. 90. 2

LIB. III. Cap. I.

§. 1. *dignitati*] Pro *digniori quam ipsa est.* Similiter Graeci συγχωρεῖν ἀξιότητι.

nihil possit esse praestantius. Itaque quamquam in eo sermone, qui cum Torquato est habitus, non remissi fuimus: tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. Quae enim de voluptate dicuntur, ea nec acutissime nec abscondite disseruntur. Neque enim qui defendunt eam, versuti in disserendo sunt, nec qui contra dicunt,
8 caussam difficilem repellunt. Ipse etiam dicit Epicurus, ne argumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum eius iudicium in sensibus, ut commoneri nos satis sit, nihil attineat doceri. Quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. Nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum aut tortuosum fuit; nostraque, ut mihi videtur, dilucida oratio. Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus: idque quum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt, imponendaque nova rebus novis nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius usus vul-

§. 2. *possit esse*] Orell. revocavit vulgatam *potest*, quod nescio quo iure fecerit. Nam quod dicit γενικῶς (generell) hanc sententiam proferri, id idem fit, si relativum ita solvis: *quae talis est, ut ea nihil possit esse praestantius.*

§. 3. *doceri*] h. e. argumentis e ratione petitis probare, quales argumentationes reiiciebant Stoici, qui omnia sensibus diiudicari volebant.

nova rebus novis] Sic Spir. Erl. Vulgo *nova novis rebus nom.*

nemo mediocriter doctus] Ern., qui hanc dicendi formam non intellexit. scribere vult *nemo ne mediocriter doctus* vel *nemo vel med. doct.* Verte: Niemand, der nur mittelmässige Kenntniss besitzt. Si scripsisset auctor *nemo etiamsi mediocriter tantum doctus est*, non haesisset. At quum in adverbio ipso vis sit diminuens, non opus est alia particula diminutiva. Cfr. II. Tusc. 8, 7. *nemo mediocriter quidem doctus ignorat.* Kühner ad eum locum legere mavult cum Lambino *nemo ne mediocriter quidem doctus ignorat.* Sed *quidem* illo loco adiicitur limitative, quod et addi et omitti potest. Nihil tamen cogit, ut aliquid mutemus. Defendunt etiam Hand. ad Wopk. lectt. Tull. p. 80. et Orell. in mai. Tusc. edit. ad Wolfii scholas in Tusc. p. 372. Optime id apparet ex IV. ad Herenn. 4, 7. *id facile faciat quivis mediocriter literatus.* Verte: *der auch nur mittelmässig gebildet ist.*

garis communisque non sit, multam novitatem nominum esse, quum constituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur. Itaque 4
et dialectici et physici verbis utuntur iis, quae ipsi Graeciae nota non sunt. Geometrae vero et musici, grammatici etiam, more quodam loquuntur suo. Item ipsae rhetorum artes, quae sunt totae forenses atque populares, verbis tantum in docendo quasi privatis utuntur ac suis.

Atque, ut omittam has artes elegantes et in- II.
genuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. Quin etiam agricultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen ea res, in quibus versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc philosopho faciendum est. Ars est enim philosophia vitae: de qua disserens arripere verba de foro non potest. Quamquam ex omnibus philo- 5

earum rerum vocabula, quae] Sic scripsit Orell. ex vulgata lect., quum Goer. e Spir. et Erl. dedisset *ea rerum voc.* Sed non vocabula, sed res in arte versantur. Itaque consentaneum erat, ut v. *rerum* attribueretur pron. Altera lectio orta est ex eo, quod scribis demonstrativa vis *ea — quae* nimium placuit.

§. 4. *rhetorum artes*] Om. *rhetorum* Gud. 1. impense prob. Goer., quia nusquam sic plurium numero de rhetorica auctor dicat. Rectissime refutavit Schuetz. „*artes* scil. τέχναι, antiquis sunt et ipsa *compendia*, *initia doctrinae solidioris*, ut nostri loquuntur professores, et ratio ac via docendi" (*Methodologia*). *Orell.*

Cap. II.

tamen ea res, in quibus versatur, nominibus notavit novis.] Sic Spir. Erl. Alii *eas res*, quod reiecit recte Orell., dicens, *eas res* contra scriptoris mentem significare *omnes res*, in quibus versetur agricultura, nova ab ea nomina accepisse. *Ea* autem pron. demonstrat. substantivi repetendi loco post parenthesin positum ad elevandam orationem offendit librarios, unde scripserunt *eas res*. Sed noli in hoc aliquid reconditi quaerere. Plura exempla habet Matthiae ad Cic. or. pro leg. Man. 12, 33. Beier. ad Offic. I, 35, 127. et I, 38, 137. Kritz. ad Sall. Catil. 37, 4. — *tamen* refertur ad pron. relat. *quae*, in quo notio est *quamquam ea*. [Nonne etiam supra recipiendum est: *verbis tamen in docendo?*]

verba de foro] i. e. qualibus vulgo utuntur, et *arripere* temerarium eorum usum, delectu omni secluso, indicat.

sophis Stoici plurima novaverunt. Zenoque eorum princeps non tam rerum inventor fuit, quam verborum novorum. Quod si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis

§. 5. *novaverunt*] h. e. *non nova solum nomina invenerunt, sed notis novas etiam significationes subiecerunt.*

rerum] Huc etiam pertinet adiectivum *novorum*. Adiectiva autem, quae pluribus substantivis communia sunt, vel praecedere debent, pro Mur. 17, 36. *summo ingenio, opera, gratia, nobilitate*. Rabir. 5, 7. *meo consilio, virtute, auctoritate* vel sequi IV. Divv. ep. 8. *gratulari magis virtuti debeo, quam consolari dolorem tuum*. III. Orat. 25, 99. *potione uti aut cibo dulci*. Rariori exemplo priori subst. eiusmodi adiectivum postponitur Brut. 76, 263. *Ea* (disciplina Hermagorae) *dat rationes certas et praecepta dicendi*. Nusquam autem idem ante posterius substantivum collocatum deprehendes (vulgo ita nostro loco: *non tam rerum inventor fecit, quam novorum verborum*), nisi apud poetas; idque vel interna prosae natura prohibente. Parendum igitur nostris, praeter Gud. 2. fuit omnibus. *Goer.* Recte dixit Goer. ultimo loco positam collocationem vetari a ratione, quia nempe non in adiectivo, sed in substantivo primaria est notio, ut h. l. opponuntur sibi *res* et *verba*, non vis est in *novorum*, quod de *novitate* iam dixit. Poetae metri causa id faciunt. Praeponitur autem duobus substantivis vel pluribus coniunctis primo adiectivum, si in eo est primaria vis, ut in locis ex orat. pro Muren. et pro Rab. a Goerenz. petitis, quorum si contexta consideras, videbis in adiectivo esse notionem principem. Postponitur adiectivum substantivis, ubi in substantivo vis inest orationis, ut in locis ex Epist. ad Divv. et ex III. de Orat. allatis. Tertium genus tale est, ut aut, si vis orationis est in substantivo, ut nostro loco et illo in Brut., adiectivum aut priori substantivo postponatur, aut alteri, ne propter generis diversitatem difficultas generis eligendi oriatur, quam vitavit Cicero, non item posteriores scriptores. Nusquam enim Cic. scribit ita, ut neutrum adiectivi duobus substantivis paris generis adiungat, v. c. *inconstantia et temeritas caeca sunt*, sed aut *inconstantia et temeritas caecae sunt*, aut *inconstantia caeca est et temeritas*, aut *inconstantia et temeritas caeca est*, quod ultimum fit tum, quum duo substantiva quasi unam notionem efficiunt, ad quam adiectivum referatur cum verbo singulari numero. Haec tertia verborum collocatio ideo est rarior, quod *rythmi s numeri* tantum causa eligitur, si vitandus est malus sonus orationis. Nostro loco secundum, quem exposuimus, ordinem praetulit, ne discerperet verba *rerum inventor*, quia *inventoris* vox proxime ad *rerum* vim sibi vindicat (es hat nächst dem Worte *rerum* den mehrsten Nachdruck). Dixi de his rebus paulo latius, quippe quas a grammaticis nostris plane neglectas viderim.

concessum est, ut] Vide Excurs. ad II, 3, 6. Exspectatur *Acc. c. Infin.* — Intelligitur Graeca lingua, unde vulgo e glossemate editur *concessum est a Graecis*.

verbis uterentur: quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? Etsi (quod saepe diximus, et quidem cum p. 91.
aliqua querela non Graecorum modo, sed eorum etiam, qui se Graecos magis, quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores:) elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum consequamur. Quamquam ea verba, quibus, instituto veterum, utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus. Atque haec quidem de rerum nominibus. De ipsis rebus autem saepenumero, Brute, vereor, ne reprehendar, quum 6
haec ad te scribam, qui quum in philosophia, tum in optimo genere philosophiae tantum pro-

sed etiam in illorum] Sic plurimi Codd. Om. *etiam* e deterioribus codd. Goer. Revocavit Orell. Posse quidem omitti *etiam* non nego, sed ad codd. auctoritatem revocandae sunt tales res, in quibus sensus non differt vel omissa vel retenta aliqua voce. Hoc loco tamen nolim abesse *etiam*, quod ita tantum omittitur, si altera sententia plus habet momenti, quam prima, quod in hunc locum non cadit.

quamquam Latine ea dici poterant] Hanc particulae *quamquam* repetitionem ex parenthesi ortam censet Goer. Sed vereor ut recte. Pendet enim alterum *quamquam* ex parenthesi et vertendum est *obgleich;* primum autem significat *jedoch* et est corrigentis se particula; coniunctivum ad *quamquam* positum non pendere a particula recte vidit Goer. vertens: *Indess — können wir als uns zugehörend ansehn.* Monendum hoc fuit, quum Orellius ad Cic. or. pro Planc. 2, 4. negasset, subiunctivos in hac saltem constructione, ubi apodosis desit, et *quamquam* permutari fere possit cum particulis *tamen*, vel *verum*, locum omnino habere. Cui plurima exempla opposuit Vir. Cl. Eduard. Wunder. ad eund. loc. p. 62. seq. Sunt autem, si quis conferre velit, haec: pro Planc. 22, 53. de Harusp. Resp. 8, 17. in Vatin. XIV, 33. Philipp. I, 7, 17. pro Mil. 33, 90. ad Divv. XII, 1. de Or. II, 47, 197. Ubique subiunctivus a sententia pendet, non a particula. Eodem modo rem intellexit Ellendt. ad Cic. Brut. 30, 115.

usu percepta] Grut. ex Pal. 3. *praecepta* dedit. Lamb. *recepta.* Sed *percepta* est penitus accepta, plane in linguam Latinam recepta, et sensus est, quoniam usus ea plane nostra fecit, pro vere nostris habeamus. *Goer.*

cesseris. Quod si facerem quasi te erudiens, iure reprehenderer. Sed ab eo plurimum absum: neque, ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto, sed quia facillime in nomine tuo acquiesco, et quia te habeo aequissimum eorum studiorum, quae mihi communia tecum sunt, existimatorem et iudicem. Attendes igitur, ut soles, diligenter, eamque controversiam diiudicabis, quae mihi cum avunculo tuo, divino ac singulari viro fuit.

7 Nam in Tusculano quum essem vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in eius villam, ut eos ipse (ut solebam) inde promerem. Quo quum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim, ut scis, in eo aviditas legendi, nec satiari poterat: quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere saepe, dum Senatus cogeretur, nihil operae

§. 6. *existimatorem*] Quidam codd. *aestimatorem*, sed eodem modo, id quod recte docuit Goer., differunt hae voces, ut *laborare* et *elaborare* (vid. I, 4, 10.) *Aestimare* est *rei pretium constituere; existimare, ex pretio rei* (externo vel interno, vero vel opinato) *iudicare*. Sic differunt etiam *existimator* et *aestimator*.

quae mihi — viro fuit] Sic Spir. Erl. Vulgo: *quae mihi fuit*.

§. 7. *e bibl. pueri Luculli*] Patre nempe Lucullo mortuo. Ea enim causa est, cur praemittitur praedicatum. Goer. ad Acad. II, 6, 18. citat Lael. I, 1. *pontifice Scaevola*. V. Tusc. 32, 89. *Scytha Anacharside*. Hoc modo si ubique codd. suorum lectiones in verborum ordine recte constituendo examinasset Goer., longe praestantius emendasset scriptorem nostrum, quum propter sonum istum optimas lectiones saepissime reiecerit, quas ducibus codd. Spir. et Erl. optimis maximam partem revocavimus.

aviditas] Vulgo praemittitur *inexhausta*, quod adiectivum om. Spir. Pal. 1. et ex supplemento esse censet Orell. quum omnino exciderit aliquod adiect. veluti *incredibilis*. Putidam ταυτολογίαν in vv. *inexhausta* et *nec satiari poterat* agnoscit recte Goer. Recte carere nos posse illa voce, quum *ipsum illud nimium*, quod auctor exprimi velit, in nudo subst. *aviditas* insit, vidit idem. Ortum glossema ex eo, quod assueti erant aures ad adiectivum voci aviditatis additum, et addiderunt hoc, quod sibi videbatur fortissimum. Vox non est Ciceroniana.

eipublicae detrahens; quo magis tum in summo otio maximaque copia quasi heluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. Quod quum accidisset, ut alter alterum necopi- 8
nato videremus, surrexit statim. Deinde prima illa, quae in congressu solemus: Quid tu, inquit, huc? a villa enim, credo: et, si ibi te esse scissem, ad te ipse venissem. Heri, inquam, ludis commissis, ex urbe profectus veni ad vesperum. Caussa autem fuit huc veniendi, ut quosdam hinc libros promerem: et quidem, Cato, totam hanc copiam iam Lucullo nostro notam esse oportebit. Nam his libris eum malo, quam reliquo ornatu villae delectari. Est enim mihi magnae curae, (quamquam hoc quidem proprium tuum munus est,) ut ita erudiatur, ut et patri et Caepioni nostro et tibi tam propinquo respondeat. Laboro autem non sine caussa. Nam et avi eius memoria moveor (nec enim ignoras, quanti fecerim Caepionem: qui, ut opinio mea fert, in principibus iam esset, si viveret) et Lucullus mihi versatur ante oculos, vir quum omnibus excellens, tum mecum et ami-

clara re] Lamb. coniecit *in tam praeclara re* non improbante Mos. p. 11. et Orell. Sed nihil est mutandum. Verte: *in einer so gefeierten Sache.*

§. 8. *prima illa*] *dicta sunt* intellige.

huc] *venis?* int.

a villa enim, credo] np. *venis.* Omittuntur talia in dialogis.

ludis commissis] Feriae narrantur, et quamquam Cicero, ut saepe indicat, ludos publicos non amabat: tamen quum Romae praesens esset, religionis causa frequentasse se eos significare videtur, atque iis finitis continuo in Tusculanum suum abisse. Quod quum duodecim fere milliariûm Romanorum ab urbe abesset: facile, post ludos profectus, sub aestivi diei vesperum ad villam pervenire potuit. Vage contra plurium horarum spatium notatur, si coeptis ludis se profectum auctor scripserit. *Goer.* Pertinet hoc ad Ernest. qui in Clav. Cic. v. *committere*, *coeptis ludis* interpretatur.

proprium tuum munus] Quippe qui Luculli F. tutor esset, fr. Varro R. R. III, 2, 17. XIII. ad Att. ep. 6. X. Phil. 4, 8. Columell. VIII, 16, 5. *Goer.* Lucullus puer matrem habuit Serviliam Catonis sororem, cuius fratrem Plutarch. in Caton. Utiens. Caepionem nominat.

citia et omni voluntate sententiaque coniunctus.
9 Praeclare, inquit, facis, quum et eorum memoriam tenes, quorum uterque tibi suos testamento liberos commendavit, et puerum diligis. Quod autem meum munus dicis, non equidem recuso; sed te adiungo socium. Addo etiam illud, multa iam mihi dare signa puerum et pudoris et ingenii. Sed aetatem vides. Video equidem, inquam: sed tamen iam infici debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet pa-
10 ratior. Sic, et quidem diligentius saepiusque ista
p. 92. loquemur inter nos agemusque communiter. Sed residеamus, inquit, si placet. Itaque fecimus.

III. Tum ille: Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam, inquam, Aristotelios, quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus: quod quidem nobis, ut scis, non saepe contingit. Quam vellem, inquit, te ad Stoicos inclinavisses! Erat enim, si cuiusquam, certe tuum, nihil praeter virtutem in bonis ducere. Vide, ne magis, inquam, tuum fuerit, quum re idem tibi, quod mihi videretur, non nova te rebus nomina imponere. Ratio enim nostra

§. 9. *suos testamento liberos*] Sic Spir. Erl. Vulgo *testamento suos lib.*

pudoris et ingenii] *Pudor* si ad *ingenium* ponitur, est zartes moralisches Gefühl, non, ut Nissen vult, Ehrliebe: qua vi haec vox nusquam, nisi admodum coacte, accipi potest.

quas si — combiberit, ad maiora veniet] Est in his attractio pro: *quibus, si eas combiberit, ad maiora veniet.* Attrahitur relat. pron. a sequentibus propter meliorem periodi numerum. Vide Krueger über die Attraktion p. 242.

Cap. III.

§. 10. *Vide, ne — tuum fuerit — non nova te rebus nom. imp.*] Dav. et Ern. *te*, ut supervacuum, abiici iubent, Bremique idem ad uncos damnavit. Quod equidem non ausim. Si enim dicere licuit Plauto Stich. V, 4, 36. *Haud tuum istuc est te vereri:* magis idem auctori licebit, interposito duplici inter tuum et *te* enunciato. Quid? si vel recte *te*, cum vi aliqua additum, probari possit? Est enim tecta oppositio, ubi Latini pronomina sic

consentit, pugnat oratio. Minime vero, inquit ille, consentit. Quidquid enim praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris in bonisque numeraveris: et honestum ipsum, quasi virtutis lumen, exstinxeris, et virtutem penitus everteris. Dicuntur ista, Cato, magnifice, inquam: sed vi- 11
desne, verborum gloriam tibi cum Pyrrhone et cum Aristone, qui omnia exaequent, esse communem? de quibus, cupio scire, quid sentias. Egone? inquit, quos bonos viros, fortes, iustos, moderatos aut audivimus in republica fuisse aut ipsi vidimus; qui sine ulla doctrina, naturam ipsam secuti, multa laudabilia fecerunt: eos melius a natura institutos fuisse, quam institui potuissent a philosophia, si ullam aliam probavissent, praeter eam, quae

addere amant. Cfr. IX. Att. ep. 15. *sed tu id quanti aestimes, tuum iudicium est.* Cogitabis nempe ad *te*, *mecum disserendo.* *Goer.* Rarissimum tamen id esse certo scio, accusat. c. inf. poni post *meum est*, *tuum est*, *illius est* etc.

Quidquid enim — numeraveris: et hon. — everteris.] Apodosis incipit a vv. *et hon. ipsum.* Verte: *Denn ausser dem Ehrbaren magst du für begehrungswürdig halten was du willst — so wirst du das Ehrbare selbst* etc.

§. 11. *exaequent*] i. e. paria esse dicunt.

Egone? inquit, quos — eos etc.] Sic scripsi de coniectura Schuetzii, probante Orell. Vulgo *Egone quaero* (hoc posuit ineptus interpres, quum putaret *quaero* referendum esse ad *Egone*, quum aperte pertineat ad Ciceronem, de quo quaesierat Cato. Unde rectius alii *quaeris*, nisi quod, ut mox videbimus, hoc plane abiiciendum est) *inquit*, (*inquam* Spir. Erl. ex negligentia scribae, qui non vidit, nunc disputare Catonem) *scire* (om. Spir. Erl. sine sensu; sed abiiciendum est) *quid sentiam?* Basil. *egone inquit sentiam.* Spir. Erl. *Egone quaero inquam quid sentiam.* Gud. 1. *egone, inquit, quaeris scire quid sentiam.* Hoc optimum esset, nisi haec *quaeris quid sentiam* glossatoris essent, cui insolita esset creberrima Ciceronis formula *Egone* sequente acc. c. *infin.*, qui pendet ex repetendo v. *sentio*, quae persona ἀπὸ κοινοῦ repetenda est ex *sentias.* Saepissime hac in formula turbas excitaverunt librarii, cuius plurima exempla laudavit Goer. ad Cic. Legg. I, 4, 14. „*Sed iam ordire explicare, quaeso, de iure civili quid sentias.* M. *Egone?* (ubi vulgata *Ego memini* commentum est librarii) *summos fuisse in civitate nostra viros.* Plena oratio esset: *Egone quid sentiam? sentio vero hoc, summos* etc. Legg. II, 13, 32. *quaero quid sentias.* M. *Egone? divinationem esse censeo*, ubi aeque *censeo* abesse poterat, si auctor, transpositis vocibus *esse divin.* scribere voluisset. I. N. D. 7, 16. *quo de libro velim scire, B. quid sentias. Egone, inquit ille, miror.* etc. II. Acad. II, 47, 148. *Sed quid Catulus*

nihil aliud in bonis habet, nisi honestum; nihil, nisi turpe, in malis: ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia; sed tamen omnes, quae rem ullam virtutis expertem aut in

sentit? Egone? inquit, ad patris revolvor sententiam. III. Legg. 20, 48. *Quid tandem hoc loco est, quod requiras?* Att. *Egone? quod ignorem — puto.* III. N. D. 3, 8. *Dic igitur, quid requiras. Egone? primum illud* etc. Cumulavimus loca, ut ad eorum regulam alia corrigeremus. Sic est II. Acad. 39, 123. [*putas esse solem tantulum? Egone?* plena sententia haec foret: *Egone an esse solem tantulum putem, quaeris?*] Tusc. II, 18, 42. [*Egone ut te interpellem?*] utroque loco post *Egone* interrogandi signum reponendum. III. Fin. 3, 11. scribendum est *Egone? inquit, quos bonos viros*, cet. deletis verbis *quaeris — scire quid sentiam*, ex quibus verbis iam Davis. Ern. et Brem. *scire* deleri iusserunt, duo codd. a me collati reliqua ignorant. Ex comicis exempla Doletus in Commentt. lat. l. T. II. p 1585. satis multa collegit." *Goer.* l. c.

ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia: sed tamen omnes etc.] Anacoluthon in his cernere sibi visi sunt Ern. Brem. Goer. ortum inde, quod auctor sibi ad verba *ceterae — alia*, *nihil adiuvant* cogitaverit, sed quum haec altius reiecerit, orationem paulum deflexisse, sic ut totam mutare noluerit, imitatione vivi sermonis usum. Sequitur hos Ramshorn. p. 703. 4. At mihi quidem potius ellipsis videtur orta ex vivo sermone dialogi, ita ut cogitandum sit *sequuntur*, quod quum facile intelligatur, omiserit; quam ellipsin significant aperte partt. *sed tamen*, quae sunt corrigentis sententiam. Concedere nempe ceteris philosophorum disciplinis aliquid volebat, sed eodem momento in mentem venit, ne his quidem multum esse tribuendum.

affirmare, quo meliores simus] Torquet se frustra, ut opinor, in v. *affirmare* Orell., quum se non intelligere dicat, quomodo quis affirmatione dogmatis alicuius melior fieri possit, et quum P. habeat *nec affirmare*, confecit ex his *nec confirmare*, nec enim absumpsisse e compendii *cfirmare;* sic Ciceronem dixisse, se libros de Officiis scripsisse ad *confirmationem* filii, scil. in virtute. Cd. Barberin. M. L. prob. Ern. *afferre*, id tamen e coniectura V. D. esse putat Orell. quamquam longe melius vulgata. Pareus Lex. Crit. prob. Garat. ad Milon. p. 59. ed. Bon. ceteris omissis *non modo nihil afferre arbitror, quo.* Haud dubie ex Lambiniana edit. sic citavit s. v. *Afferre*, omissis, quae ad suam rem nihil pertinebant. Davis. dicit *affirmare* esse *confirmare*, *vires addere.* cll. I. F. Gronovio ad Liv. XXII, 13. Addit Orell. Tac. Hist. IV, 73. *armis populi R. virtutem affirmavi.* Sed hoc Tullianum esse recte negat. At utinam ipse simplicior fuisset in interpretando. Nam auctor usus est verbo *affirmare* ita, ut sensus esset: *neque certum aliquid attulisse, quo probaret* h. e. *quo ostenderet, quomodo meliores esse possimus.* Verte: *von diesen glaube ich, dass sie nicht nur nichts helfen und etwas sicheres sagen, wodurch wir zur Besserung geführt werden könnten.* h. e. nulla eorum sententia talis est, quae se ita commendet, ut eam sequamur, quo meliorem vitae rationem ingrediamur. - Sic nihil prorsus mutandum est.

bonis aut in malis numerent, eas non modo nihil adiuvare arbitror, neque affirmare, quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam. Nam si hoc non obtineatur, id solum bonum esse, quod honestum sit: nullo modo probari possit, beatam vitam virtute effici. Quod si ita sit; cur opera philosophiae sit danda, nescio. Si enim sapiens aliquis miser esse possit, nae ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non magno aestimandam putem.

Quae adhuc, Cato, a te dicta sunt, eadem, IV. inquam, dicere posses, si sequerere Pyrrhonem 12 aut Aristonem. Nec enim ignoras, similiter his istud honestum non summum modo, sed etiam (ut tu vis) solum bonum videri. Quod si ita est, sequitur id ipsum, quod te velle video, omnes semper beatos esse sapientes. Hosne igitur laudas, et hanc eorum, inquam, sententiam sequi nos censes

magno aestimandam] Bas. et Mars. *magnopere*. Sed offendit forte scribam ablat., cum genit. hac in structura sit longe frequentior. [unde P. L. *magni* receperunt prob. Orell.] Nec usquam sic ad *aestimo* legere meminimus. Contra cfr. IV. Verr. 7, 13. *Quid? tu ista permagno aestimas? Goer.* Vide Zumpt. §. 444. Ramshorn. p. 187. citat Parad. VI, 3, 51. *si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant.* Sed hic etiam Basil. Guelf. et ex codd. a me collatis Lips. Guelf. 2. Dresdenss. habent *magni* vel addito voc. *precii* vel omisso. Unde in Parad. loco haud dubitanter receperim *magni*. Unus tamen locus est, ubi omnes codd. *magno* tuentur Tuscul. III, 4, 8. *Nae ista gloriosa sapientia non magno aestimanda est.* Duae vett. editt. Schurer. et Erasm. habent *magni* prob. Orell. Hinc nostro loco nihil velim mutare, quamquam usitatior altera sit formula. Apud posteriores scriptores frequens est locutio *magno aestimare*.

Cap. IV.

§. 12. *similiter his*] Sic scripsit Goer. ex Bas. E et ξ. Plurimi codd. *si his*, quod ortum putat idem ex comp. v. *similiter*, quod est *sr̄*, et explicat *re probavit, quod ille* (Zeno) *verbis;* ex Acad. II, 42, 130. astrictiori enim sensu illos accepisse, quod Zeno laxius statuerit; conferri iubet, quae dicturus sit infra ad IV, 16, 43. Inclusit *similiter* Orell., quia ortum hoc putat e geminatione scil. *ignoras si*. Sed mihi una vera videtur Goerenzii sententia. Quis enim *similiter* scripserit, quod non est ita facile ad explicandum.

sequitur id ipsum] Nempe ex Pyrrhonis Aristonisque sententia, quod tu ex Zenonis et Stoicorum statuis. *Goer.*

oportere? Minime vero istorum quidem, inquit. Quum enim virtutis hoc proprium sit, earum rerum, quae secundum naturam sint, habere delectum: qui omnia sic exaequaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectio-
13 ne uterentur, virtutem ipsam sustulerunt. Istud quidem, inquam, optime dicis: sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum, quod non rectum honestumque sit, reliquarum rerum discrimen omne tollenti? Si quidem, inquit, tol-
14 lerem: sed relinquo. Quonam modo, inquam, si una virtus, unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum (erit enim notius quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus) id ergo, inquam, si solum est bonum, quid habebis praeterea, quod sequare? aut, si nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, foedum, ut hoc quoque pluribus nominibus insigne faciamus: quid praeterea dices es-
p. 93. se fugiendum? Non ignoranti, inquit, tibi, quid sim dicturus, sed aliquid, ut ego suspicor, ex mea brevi responsione arripere cupienti, non respondebo ad singula: explicabo potius, quoniam otiosi sumus, (nisi alienum putas,) totam Zenonis Stoicorumque sententiam. Minime id quidem, inquam,

§. 13. *nonne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti*] Hoc nescio quomodo difficile videri potuerit Ernestio, Br. et Goer. Ern. dicit, dictum hoc esse pro *idem ac dicenti* Graeco more. Vid. Zumpt. §. 704. Goer. censet dictum esse pro *ut nihil dicas — tollas* Graeco more, ut sensus sit: *nonne tibi idem cum Pyrrhone et Aristone sentiendum est, ut nihil — statuas.* At idem sensus etiam simplicissima interpretatione oritur. *Mihi idem faciendum est* significat *sentire cogor cum illis.* Non minus operose versatus est Beier. in enodando loco Offic. I, 21, 71. *Quapropter et iis forsitan concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt, et iis, qui aut valitudinis imbecillitate, aut aliqua graviore causa impediti, a republica recesserunt.* Explicat hoc e Graecismo cum Participio, ex quo supplenda ellipsis, *ut rem publicam non capessant.* Sed nihil est supplendum, nam haec ipsa sententia continetur in vv. *concedendum sit remp. non capessentibus. Concedere* significat *remittere*

alienum: multumque ad ea, quae quaerimus, explicatio tua ista profecerit. Experiamur igitur, inquit, etsi habet haec Stoicorum ratio difficilius quiddam et obscurius. Nam quum in Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina novarum novabantur, quae nunc consuetudo diuturna trivit:

alicui aliquid, quasi dicas: *es ist ihnen wohl nachzusehn, wenn sie nicht an dem Staatsruder mitarbeiten.* Ellipsis illa non est, sed solvendum participium per particulam *si*, ut nostro loco *idem faciendum est tibi, si nihil dicis bonum.*

§. 14. *profecerit.*] i. e. *valebit.* Sic Rhet. ad Herenn. I, 56, 109. *virtus — plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas.*

Nam quum — novabantur] Sic scripsit Orell. ex cod. Steph. et Victorio. Vulgo *non videbantur*, ut Goer. Vulgata ab Ern. est *nova tum videbantur.* Goerenzii lectio quamquam est in optt. codd. Spir. Erl. Palatt. Gud. 1. Bas. V. χ. ψ., tamen aut ex compendio scripturae tantum orta est, aut ex rariore voc. *novare* usu. Optime id docet Gud. 2. in quo est *novantur non videbantur*, ut Guelferbyt. meus, in quo superscriptum est vocc. *non videbantur alii non habent.* Totius autem loci contextus, et quae sequuntur a vv. *si enim* etc., docent, *novabantur* veram esse scripturam. Nam ut taceamus omnem id contextum docere, sermonem esse *de novandis vocabulis*, comparatio ipsa manca esset, si *non videbantur* scriberes; nam respondent sibi haec: *quum in Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina novarum inventa sunt (novata sunt), quid censes in Latino fore?* quae verba explicantur his: *si — Zenoni licuit, quum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni?* At si *non videbantur* reponis, quod explicat Goer. *non cernebantur, non conspiciebantur*, vel adeo *non audiebantur*, quum Plautus adeo dicat *naso videre* et ita seqq. optime quadrent: *inauditum — rei nomen imponere*, comparantur haec: *quae nunc consuetudo diuturna trivit — quid censes in Latino fore.* At hoc omnino contra sensum loci est. Optimum est *novabantur.* Cfr. cap. 2, 5. *Quamquam ex omnibus philosophis Stoici plurima novaverunt, Zenoque eorum princeps non tam rerum inventor fuit, quam verborum novorum.* de Orat. III, 37, 149. *Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt et certe quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis: aut iis, quae transferuntur et quasi alieno in loco collocantur, aut iis, quae novamus et facimus ipsi.* Cfr. Acad. II, 6, 17. I, 7, 26. — Verba *quid censes in Latino fore?* explica *quid censes in Latino futurum esse?* h. e. *item verba novanda erunt.* — De genitt. autem regentem casum suum complectentibus [Bremi enim de suo mutavit *novarum rerum nomina nova*] saepius egimus v. c. III. Legg. 10, 23. adde ex ingenti locorum, quem collegimus, numero haec: III. Orat. 37, 150. *in hoc verborum genere propriorum.* et supra II. Fin. 3, 7. *non suo, sed populorum suffragio omnium Goer.* Cfr. exempla, quae congessi ad Cic. Caton. Mai. 3, 2. p. 23. et in Indic. s. v. Verbor. collocat. p. 242. b. ad eund. Cat. loc. Sed ut ne

15 quid censes in Latino fore? Faciendum id quidem est, inquam. Si enim Zenoni licuit, quum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, quum sit verbum, quo idem declaret, magis usitatum. Equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere: et tamen puto concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc *ephippiis* et *acratophoris* potius, quam *proegmenis* et *apoproegmenis*, concedatur. Quamquam haec quidem *praeposita* recte et *reiecta* dicere

quis putet, hanc esse elegantiam scribendi, qua ubique uti possit, addenda est causa, cur id fiat; quae ubi nulla adest, vulgatus ordo est praeferendus. Haec verborum collocatio recte quidem elegantior vulgata originem debet oratorio numero, quo vitatur κακοφωνία, quae plurimorum syllabarum uno modo exeuntium concursu efficitur, veluti h. l. *rerum novarum nomina* et in III. de Orat. *verborum propriorum*. Accedit interdum logica ratio, qua adiectivum, in quo est pondus sententiae, postponitur et ad finem commatis reiicitur, veluti II. Fin. 3, 7. *non suo, sed populorum suffragio omnium; omnium* enim opponitur pronomini *suo*. Apud poetas tertia afferri potest causa, quippe apud quos metro saepe ita succurratur.

§. 15. *cur non liceat Catoni?*] Mirum est, quod dicit Ramshorn. p. 494. not. u., *cur non* cum indicativo coniungi, *quidni* cum coniunctivo. *Quidni* igitur scripsit Cicero *quidni liceat Catoni?* Emendandum scilicet ita est, aut Prisciano colaphum impegit. Cave hoc credas. Cur enim particula *cur* coniunctivo non adiungatur, qui ponendus est, ubi sententiae ratio id postulat. Et ne putes nostrum hunc unum esse locum, qui fortasse effugerit Ramshorn., addo unum ex Cic. de Rep. III, 10, 17. *Cur enim pecuniam non habeat mulier? Denn warum sollte eine Frau kein Geld haben? — Warum sollte es dem Cato nicht erlaubt sein?* Cfr. III. Verr. 38, 86.

ne hoc ephippiis et acratophoris potius, quam proegmenis et apoproegmenis concedatur.] Est in his προσωποποιία, qua quod personis est tribuendum, tribuitur rei. *Ephippium* et *acratophorum* sunt instrumenta vitae quotidianae, quae posita sunt pro *rebus vulgaribus* vel *vilibus*; *proegmena* et *apoproegmena* sunt verba, quibus in philosophicis rebus utuntur, posita pro *rebus gravibus* et *altis*. Sensus est igitur: *si rebus vulgaribus nova nomina imponere licet, multo magis concedendum est, ut in rebus philosophicis nova fabricemur, si opus erit, nomina.* Respicit autem his verbis ad ea, quae dixerat cap. 2, 4.

licebit. Bene facis, inquit, quod me adiuvas: et 16
istis quidem, quae modo dixisti, utar potius Latinis. In ceteris subvenies, si me haerentem videbis. Sedulo, inquam, faciam. Sed fortuna fortes. Quare conare, quaeso. Quid enim hoc possumus agere divinius?

Placet his, inquit, quorum ratio mihi proba- V.
tur, simulatque natum sit animal, (hinc enim est ordiendum), ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum, et ad suum statum et ad ea, quae conservantia sunt eius status, diligenda: alienari autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur afferre. Id ita esse sic probant, quod ante quam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi aspernenturque contraria. Quod non fieret, nisi statum suum diligerent, interitum timerent. Fieri autem non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se et sua diligerent. Ex quo intelligi debet, principium ductum esse a se diligendo. In principiis 17
autem naturalibus plerique Stoici non putant voluptatem esse ponendam. Quibus ego vehementer assentior: ne, si voluptatem natura posuisse in iis

§. 16. *fortuna fortes*] Addunt scripti multi *adiuvat*, sed auctoris est proverbia trita indigetare magis, quam plene ponere. Ita supra II, 16, 52. *quicum in tenebris*. I. Acad. 4, 8. *sus Minervam*. II. Orat. 57, 233. *docebo sus* scil. *Minervam*, ut sine causa Schuetz. addidit. Scribas talia supplere solere, plane ex eorum regula est. *Goer.*

Cap. V.

hinc enim est ordiendum] cfr. II, 10, 31. I, 9, 30.

conciliari et commendari] Expressit his Cic. Chrysippi verbum οἰκειοῦσθαι. vid. Laert. VII, 85. τὴν δὲ πρώτην ὁρμὴν φασι τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτό, οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς· καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν etc. qui locus totus est comparandus.

et ad suum statum] Haec pertinent ad sequentia, et *diligenda* simul referendum est ad *statum*.

§. 17. *In princip. autem nat.*] Diog. Laert. VII, 85. Ὃ δὲ λέγουσί τινες, πρὸς ἡδονὴν γίνεσθαι τὴν πρώτην ὁρμὴν τοῖς ζῴοις, ψεῦδος ἀποφαίνουσιν· ἐπιγέννημα γάρ φασιν etc. Videsis et §. 103. supra l. II. cap. 11. et Suid. in ὁρμή. *Davis.*

rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur. Satis esse autem argumenti videtur, quamobrem illa, quae prima sunt ascita naturâ, diligamus; quod est nemo, quin, quum utrumvis liceat, aptas malit et integras omnes partes corporis, quam eodem usu, imminutas aut detortas habere. Rerum autem cognitiones: (quas vel comprehensiones vel perceptiones vel, si haec verba aut minus placent aut minus intelliguntur, *καταλήψεις* appellemus licet:) has igitur ipsas propter se asciscendas arbitramur, quod habeant quiddam in se quasi complexum et continens veritatem. Id autem in parvis intelligi potest; quos delectari videamus, etiam si eorum nihil intersit, si quid ra-
18 tione per se ipsi invenerunt. Artes etiam ipsas propter se assumendas putamus; tum quia sit in his aliquid dignum assumptione, tum quod constent ex cognitionibus et contineant quiddam in se ratione constitutum et via. A falsa autem assensione magis nos alienatos esse, quam a ceteris rebus, quae sunt contra naturam, arbitrantur. Iam
p. 94. membrorum, id est partium corporis alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, ut ea, quae sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta sit, a medicis etiam disputatur: alia autem nullam ob utilitatem, quasi ad quemdam ornatum, ut cauda pavoni,

eodem usu] h. e. *si idem usus remanet*, sunt ablativi illi, quos vocant absolutos.

quas vel comprehensiones etc.] Cfr. Cic. Acad. II, 6, 17. *quid esset cognitio aut perceptio, aut, si verbum e verbo volumus, comprehensio, quam καταληψιν illi vocant.* Cfr. cap. 10. et c. 47.

has igitur] Est leve anacoluthon addita part. *igitur* post parenthesin. Sic I. Tusc. 36, 88. *hoc igitur.* ibid. IV, 15, 34. *huius igitur virtutis.* IV Catil. 11, 23. *pro his igitur omnibus rebus.*

§. 18. *arbitrantur*] np. ii, quorum auctoritatem sequimur. Sic saepe transitur ab una persona ad alteram. cfr. infra 19, 62.

membrorum, id est partium corporis] Cicero agit h. l. de membris, quatenus partes sunt totius corporis. *Quae sunt intus in corpore* non proprie membra dicuntur.

plumae versicolores columbis, viris mammae atque barba. Haec dicuntur fortasse ieiunius: sunt enim 19
quasi prima elementa naturae; quibus ubertas orationis adhiberi vix potest, nec equidem eam cogito consectari: verumtamen quum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt. Ita fit quum gravior, tum etiam splendidior oratio. Est, ut dicis, inquam. Sed tamen omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur. Istiusmodi autem res dicere ornate velle, puerile est: plane autem et perspicue expedire posse, docti et intelligentis viri.

Progrediamur igitur, quoniam, inquit, ab his VI.
principiis naturae discessimus: quibus congruere debent, quae sequuntur. Sequitur autem haec
prima divisio. Aestimabile esse dicitur: sic enim, 20
ut opinor, appellemus id, quod aut ipsum secundum naturam sit aut tale quid efficiat, ut sele-

§. 19. *res verba rapiunt.*] h. e. *celeriter expediunt, rapaci celeritate suppeditant.* Sive mavis *res verba accipiunt, ad se rapiunt.*

Istiusmodi autem res] Sic vulgata habet, quod confirmant Spir. Erl., in quibus est ex vitio *ut* pro *aut* cum compendio scripto, quod significat *autem*. Recepit id Orell., quum omiserit Goer. Non infrequens est haec particularum repetitio. Vid. Acad. I, 10, 36. *quae autem secundum naturam essent, ea sumenda — docebat — — neutra autem in mediis relinquebat.* Vide Wopkens Lectt. Tull. p. 18. Heusing. ad Offic. I, 8, 1.

Cap. VI.

haec prima divisio] Sic quatuor Goer. Vulgo *prima divis. haec.*

§. 20. *Aestimabile* etc.] Goer. explicat *Aestimabile statuitur a nostris esse aliquid, quod aestimabile dicatur.* Sed vereor ut ita breviter Cicero locutus sit, et si consideras verba, quae his respondent *contraque inaestimabile*, quae extra parenthesin dicta sunt, facile videbis, esse potius anacoluthon, quod incipiat a parenthesi, ortum ex eadem parenthesi, in qua nominis novitatem explicat. Quae explicatio quum ipsa contineat definitionem eius, quod aestimabile dicatur, bis idem dicendum erat. Quod ut caveret, imperfectum enunciatum primarium reliquit. Nam scribendum fuit: *Aestimabile (sic enim ut opinor — vocat) esse dicitur, quod aut ipsum — vocat: contraque inaestimabile, quod sit superiori contrarium.* Cfr. Ramshorn. p. 704. c., Krueger über die Attraktion. §. 167.

ctione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum aestimatione, quam illi ἀξίαν vocant: contraque *inaestimabile*, quod sit superiori contrarium. Initiis igitur ita constitutis, ut ea, quae secundum naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint contrariaque item reiicienda; primum est officium, (id enim appello καθῆκον) ut se conservet in naturae statu: deinceps ut ea teneat, quae secundum naturam sint pellatque contraria; quae inventa selectione et item reiectione, sequitur deinceps cum officio selectio: deinde ea perpetua, tum ad extremum constans consentaneaque naturae: in qua quum primum inesse incipit, intelligit, quid
21 sit, quod vere bonum possit dici. Prima est enim conciliatio hominis ad ea, quae sunt secundum naturam. Simul autem cepit *intelligentiam*, vel

quam illi ἀξίαν vocant] Sic scripsit de Pearcii coniectura satis firma, probata a Goer. Schuetz. Facile *illi* et *ille* (vulgata habet *ille — vocat*) permutantur, quod ubi factum erat, scripserunt *vocat* pro *vocant*, sed potuit ex compendio *vocāt* i. e. *vocant* ortum esse *vocat* neglecta lineola. *Illi — vocant* sunt Stoici. *Ille — vocat* esset *Zeno*, quod Brem. exemplo Graeco αὐτὸς ἔφα defendere studet, e Pythagorae schola orto. Sed id difficilius est. Non enim sic absolute hoc positum putem. Cfr. §. 21. *quam appellant ἔννοιαν illi.* cll. §. 24. 32. 35. 53.

id enim appello καθῆκον] cfr. infr. 16, 52. *id enim est προηγμένον* cll. V, 29, 87. I. Acad. 6, 18. etc. Nihil igitur dicit Davis. *ita* coniectans. *Goer.*

quae — sequitur] *quae* est accus. gen. neutr.

cum officio selectio] h. e. talis selectio, in qua officii ratio habetur. Vide de re totum II. et III. de Offic. librum.

in qua quum primum inesse incipit, intelligit etc.] Sic e Schuetz. coniectura recepit Orell. Vulgo *in qua primum inesse incipit et intelligit*, quod sensum non habet. Saepe autem post relat. *quum* a librariis negligentia quadam omissum est, quo omisso consentaneum iis fuit, addere partic. *et*, quum alias non coiret periodus. Hoc *et* ut retineret Goer., scripsit *in qua quum primum* (h. e. *quam primum, sobald wie möglich*) *inesse incipit et intelligit.* Sed hoc potius vult scriptor: *simulac in natura inesse incipit, intelligit, quid sit* etc.

§. 21. *Simul — cepit*] i. e. *simulac.* Vide Ramshorn. p. 689. f., cfr. Tuscul. IV, 6, 12. *simul obiecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura.* Sic pro Quinct. 5, 18. *simul atque sibi hic annuisset ignorat.* Pal. 6. vv. *atque sibi hic*, quae recte inclusit Beck. Ep. ad Fam. VI, 18. in. *Simulac accepi a Seleuco tuas literas, statim quaesivi*

notionem potius, quam appellant ἔννοιαν illi, viditque rerum agendarum ordinem et, ut ita dicam, concordiam: multo eam pluris aestimavit, quam omnia illa, quae prima dilexerat; atque ita cognitione et ratione collegit, ut statueret, in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum; quod quum positum sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet: quum igitur in eo sit id bonum, quo omnia referenda sunt, ipsumque honestum, quod in bonis ducitur, quamquam post oritur, tamen id solum vi sua et dignitate expetendum est: eorum autem, quae sunt prima naturae,

etc. habet quidem Mediceus opt. et Victor. *ac*, sed recte inclusit Orell. ortam part. ex seq. v. initio *accepi*. Ad Attic. III, 20. *simul quid erit certi, scribam ad te*. Editt. vett. *simul et* vel *simulat*.

quae prima dilexerat] i. q. *quae prima naturae* ut §. 17.

quod quum positum sit in eo, quod ὁμολογίαν etc.] Sic recte, sublato parenthesis signo scripsit Orell., quum Goer. caecutire eos dicat, qui hoc signum negligant. Parenthesin esse docere structurae loci rationem et *igitur*, quae particula proxime sequatur. At ipse non vidit, sic *eo* ante parenthesin non habere, quo referatur. Recte enim quaesieris: *in quo* positum est id bonum? Referendum esset ad illa, quae initio paragraphi de *conciliatione hominis ad ea, quae sint secundum naturam* dixerat. At haec ipsa postea latius exponit et ad hanc expositionem pertinent, quae hic leguntur de ὁμολογία s. *convenientia*. Durissima esset illa dicendi ratio, quam ingredi voluisse videtur Goer., nec Latina. Falli se passus est primum, ut opinor, Graecae vocis ὁμολογίας interpretatione, deinde particula *igitur*, quae parenthesin saepissime sequitur, id quod hoc etiam loco factum est, sed haec, si dicenda est parenthesis, non est vulgaris illa, qua, quae parenthesi interiiciuntur, non proprie ad contexta pertinent (unde interdum etiam omitti possent), sed talis, quae si omittitur, sententia non intelligitur. Pertinet igitur ad contexta. *Igitur* autem positum est propter longiorem protasin, ne obscuritas aliqua oriretur. — Ὁμολογία autem τῆς φύσεως (naturae quum universae, tum humanae) intelligenda est. Inde Stoici in καθήκοντος definitione ὁμολογουμένως ζῆν et κατὰ φύσιν ζῆν, synonyma ponunt; iunguntur etiam ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. Dicitur item eadem συμφωνία et σύμφωνον ζῆν. Stob. Eclog. Eth. II. p. 132. 134. 138. cll. Laert. VII, 87. etc. *Goer.*

eorum autem etc.] Haec Academicis Peripateticisque opponuntur. cfr. I. Acad. 6, 22. *Communis haec ratio et utrisque hic bonorum fines, adipisci, quae essent prima naturâ, quaeque ipsa per sese expetenda aut omnia, aut maxima. Goer.*

22 propter se nihil expetendum. Quum vero illa, quae officia esse dixi, proficiscantur ab initiis naturae; necesse est, ea ad haec referri, ut recte dici possit, omnia officia eo referri, ut adipiscamur principia naturae: nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum, propterea quod non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio. Consequens est enim et post oritur, ut dixi. Est tamen ea secundum naturam, multoque nos ad se expetendam magis hortatur, quam superiora omnia. Sed ex hoc primum error tollendus est, ne quis sequi existimet, ut duo sint ultima bonorum. Ut enim, si cui propositum sit, collineare hastam aliquo, aut sagittam, sicut nos ultimum in bonis diximus, sic illi facere omnia, quae possit, ut collineet. Huic in eiusmodi similitudine omnia sunt facienda, ut collineet; et tamen ut omnia faciat, quo pro-
p. 95. positum assequatur: sit hoc quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus: illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum.

§. 22. *principia naturae*] idem est, quod *prima naturae* cfr. §. 16.

Ut enim — non expetendum.] Sic locum difficillimum ex optt. codd. Erl. Spir. scripsit Orell., quum miras coniecturas ab omni inde tempore protulerint critici, qui comparationis apodosin non recte videbant. Primus Orell. veram interpretandi viam ingressus est. Priores non satis curarunt, quae praecedunt. Error ille, de quo dicit Cicero, erat hic: Verendum erat, ne si duas res viderent expetendas, *principia naturae* et *honestatem*, putarent haec duo esse bona ultima s. summa. Quod fieri nequeat. Nam unum tantum summum esse bonum patet. Haec quae videantur duo ultima esse bona, non esse vere duo bona. Sed unum bonum esse causam alterius adipiscendi. Principia naturae eo esse expetenda, ut consequamur honestatem. Nisi enim naturam sequimur, honesti esse non possumus. Apte affert Orell. locum ex Stob. Eclog. Eth. II, 7. p. 136. ed Heeren. διαφέρειν δὲ τέλος καὶ σκοπὸν ἡγοῦνται cet. et p. 140. διαφέρειν δὲ λέγουσι τὸ αἱρετὸν καὶ τὸ αἱρετέον. Affert hunc locum Orell. ea de causa, ut doceat discernendum esse inter τέλος (finem) et σκοπόν, (scopum,) id quod a multis negligatur, indeque facile errorem posse existere, duo esse ultima bona, quia ignorent τέλος non idem esse atque σκοπόν. Nos non aliter possumus hanc differentiam significare, ut si dicamus τέλος esse Zweck; σκοπόν, Mittel, quoniam nostra lingua caret hac synonymia. Idem fit in Latina lingua. Τέλος

Quum autem omnia officia a principiis natu- VII.
ıe proficiscantur, ab iisdem necesse est proficisci 23

ıt id, quo omnia nostra consilia referuntur, ut ad summum, quod
lipisci volumus; σκοπός est id, quo ad summum pervenimus.
ım vero si haec ad nostrum locum aptemus, videbimus *principia*
aturae esse σκοπόν, *honestatem*, quam adipiscimur per *prima*
aturae, esse τέλος. Quod nisi recte tenetur, facile error oriri
otest, ut quis duo ultima bona putet. Hoc ut vulgo facilius
ıdderetur ad intelligendum, utitur similitudine sagittarii, cuius
ıo bona sint, quae expetat; sed alterum alteri inservire. Veluti
hastae aquila sit affixa, propositum sit ei *aquilam ferire*, quo
ecidat ad terram. Huius aquilae adeptio est summum ei bonum,
ɔc est τέλος; qui nisi ferit aquilam, non adipiscitur aquilam
ısam. Illud igitur, ut aquilam feriat, est σκοπός, aquila ipsa
λος. Sic fit in honestate. *Principia naturae* sunt σκοπός, quo
lipiscimur *honestatem*, quod est τέλος. Haec si coniuncta putas,
ror oritur, duo esse ultima bona expetenda, *honestatem* et *prin-*
pia naturae. Sed non coniuncta sunt, sed alterum ab altero
endet. Confundunt plerumque, ut clarius Germanice dicam, Mit-
l und Zweck. Quod ut ne fieret, usus est hac comparatione.
ım negari nequit, obscurius paulo scripsisse Ciceronem, quod
ıacolutho usus est, quo non satis cernitur apodosis comparatio-
s. Et haec est causa, cur tantas turbas critici moverint, in
co ab omni vitio per codd. optt. Spir. et Erl. liberato. Decipi
passi sunt critici particulis comparativis *sicut* et *sic*, quas apo-
ɔsin facere arbitrati sunt. Minime. Si quae sequuntur melius
ınsiderassent, intellexissent integram esse comparationem, cuius
ɔodosis incipit a verbis *Huic*, quam recte Orell. maiore distin-
ione seiunxit. Hanc autem esse apodosin ostendunt particulae,
ıae mitigandae metaphorae causa sunt positae, quia sine signis
etaphorarum additis audacius translata sunt verba ad eum, qui
ınestatem adipisci vult, a sagittario. Nam haec omnia, quae di-
ıntur a vv. *Huic in eiusmodi similitudine* usque ad finem di-
ıntur de eo, qui honestatem sequitur. Vulgarem illam compara-
ɔnem neglexit propter ea, quae interponuntur, ne quasi ad
ıussim facta videretur periodus, quod semper in longioribus
unciatis vitare Ciceronem saepissime vidimus. Huc enim omnia
ıacolutha sunt referenda. Si enunciatum illud *sic illi*, *facere*
nnia, *quae possit*, *ut collineet* apodosin esse censes, comparatio
t imperfecta, quae ita demum fit perfecta, si similitudo inter
gittarium et eum, qui honestatem sequitur, ostenditur. Hoc
ıum verum esse intelligeret Lambin., locum ita mutavit, ut vix
iceronis verba agnoscas. Eius contextus ita se habet: *Ut enim*,
cui sit propositum collimare hastam aliquo, aut sagittam, huic
nnia sint facienda, ut collimet, et ita tamen, ut omnia faciat,
ıo feriat; sic quum homini ultimum in bonis esse dicimus, adi-
sci principia naturae, hoc dicimus, huic in eadem similitudine
nnia esse facienda, ut omnia faciat, quo propositum assequatur,
d hoc quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dici-
us, illud autem quasi seligendum, non expetendum. Hoc est
ıtare! Vulgata scriptura est haec: *Ut enim, si cui sit propo-*
tum, collimare hastam aliquo, aut sagittam, sicut nos ultimum
mum diximus: sic illi facere omnia, quae possit, ut collimet;

ipsam sapientiam. Sed quemadmodum saepe fit, ut is, qui commendatus sit alicui, pluris eum fa-

huic in eius similitudine omnia sint facienda, ut collimet: et tamen etc. ut nos. Unde Goerenz. fecit: *Ut enim si cui propositum sit, collineare hastam aliquo, aut sagittam, sic nos ultimum in bonis dicimus. Sit illi facere omnia* (h. e. *liceat facere omnia*), *quae possit, ut collineet: huic, in eiusmodi similitudine, omnia sint facienda, ut collineet* etc. ut nos. Schuetz. ita: *Ut enim, si cui prop. sit coll. hast. al., aut sag., sic nos ultimum in bonis diximus: sic — — collineet: huic in eius sim.* Matthiaeo glossa infarcta videbatur haec: *sic illi facere omnia, quae possit, ut collineet* ad verba *huic omnia sint facienda, ut collineet.* Sed hoc ita videri potest, si nescis comparationis rationem. Et non ab interprete esse adiectum, potest etiam illud probare, quod *sic illi* sine verbo positum elegantius est, quam quod librario imputetur. Mittamus nunc VV. DD. conatus ad locum emendandum factos et ea consideremus, quae scripta videmus. Comparandi sunt sagittarius et is, qui honestatem quaerit. Haec autem comparatio non efficitur, si vv. *sic illi — collineet* apodosin esse putas. Apparet eadem, si quaeris in vv. *Huic in eiusmodi simil.* Si scripsisset Cicero ita: *Ut enim si cui propositum sit, collineare hastam aliquo aut sagittam (sic nos dicimus ultimum in bonis esse τέλος, ad quod omnia sunt referenda, quod appetendum nobis est* [das Ziel unserer Bestrebungen; quod sagittario est finis, cuius causa iaculatur, idem nobis est ultimum bonorum, id est honestas.] *illi facienda sunt omnia, quae possit, ut collineet: sic huic, qui honestatem vult adipisci, omnia sunt facienda, ut quasi collineet: et tamen* etc. Si ita, inquam, scripsisset, nemo locum integerrimum corruptum habuisset. At ne hoc quidem eos movere debebat, si attendissent ad mitigandae metaphorae particulam *quasi* bis positam, qua non opus erat, si omnia ad sagittarium pertinerent; tum enim proprie locutus esset auctor; at quum ad eum refert, qui honestatem consequi studet, durius his verbis usus esset, nisi mitigandae metaphorae particulam adhibuisset. Primam translationem, quae est in verbo *collineare*, mitigavit formula *in eiusmodi similitudine* h. e. *si eiusmodi comparatione utimur* (Gleichniss, Beispiel), quae ipsa esset inutilis hoc loco, si ad unum illum sagittarium pertineret. Sed, ut revertar, *ἀναχόλουθον* admisit propter longiorem periodum et interposita verba *sicut nos ultimum in bonis dicimus*, quibus in verbis obversabatur scriptori comparationis particula *sicut*, cui negligenter annexuit alteram *sic*, quae ponenda erat ante pron. dem. *huic*. Sed fit hoc interdum in comparatione, ut omittatur comparativa particula et novum colon incipiat. Cfr. Fin. IV, 13, 34. *Ut Phidias potest a primo instituere signum idque perficere: potest ab alio inchoatum accipere et absolvere. Huic similis est sapientia: non enim* etc. Mirum est, quod hoc loco Goer. *ἀναχόλουθον* recte statuerit, nostro id loco non senserit, qui est huic simillimus. Pronomina autem invertenda erant ex vulgari dicendi ratione, ita ut pro *illi huic* diceretur et pro *huic illi*. Sed saepe in oppositione *hic* non ad propiorem, sed ad maiorem rem, *ille* non ad remotiorem, sed minorem respicit. Vide exempla ap. Kuehner. ad Tusc. I, 49, 117. et meam notam ad Caton. Mai. 19, 9. Unum superest,

ciat, cui commendatus sit, quam illum, a quo sit; sic minime mirum est, primo nos sapientiae commendari ab initiis naturae, post autem ipsam sapientiam nobis cariorem fieri, quam illa sint, a quibus ad hanc venerimus. Atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quamdam rationem vivendi data esse appareant: sic appetitio animi, quae ὁρμή Graece vocatur, non ad quodvis genus vitae, sed ad quamdam formam vivendi videtur data: itemque et ratio et perfecta ratio. Ut enim 24
histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus: sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet: quod genus conve-

de quo moneam. Pro *sint* legendum est cum cod. Guelf. *sunt*, quia novam incipit auctor periodum, nec opus est coniunctivo, quum sine ulla dubitatione id proferatur. Ad vv. *sic illi* repete *ἀπὸ κοινοῦ sit propositum*, vel *propositum esse debet*. Sic omnia erunt plana et nihil prorsus mutandum.

Cap. VII.

§. 23. *ut ad quamdam rationem vivendi data esse appareant*] Ern. vult *appareat*. Bremi defendere vulgatam studet ex his locis, in quibus per attractionem Passiva personaliter ponuntur, quae proprie impersonaliter ponenda erant. V. c. Fin. I, 10, 34. in duobus codd. est: *ut earum motus et impetus quo pertineant, non intelligantur*. Vide Ramshorn. p. 699. not. b, Krueger über die Attraktion §. 162. cll. §. 155. Reiicit hoc Goer., qui, ut recte dixit auctor Addend. in Forcellin. Thes. Ling. Lat., argutatur, ita quidem vertens: dass sie sich, als zu einer gewissen Lebensweise gegeben, zeigen? Quid hoc aliud est, nisi attractio? pro *ut appareat*, *ea data esse* etc. Attrahitur verbum impersonale a subiecto ita, ut fiat personale. Quod quamquam in hoc quidem verbo non alias factum esse videmus a Cicerone, tamen, quum idem amet plura attractionis genera, nec intelligatur, unde exquisitior haec lectio orta sit, nolui removere. Apud alios scriptores haec reperiuntur exempla. Cfr. Varr. R. R. I, 6. *Haec apparent magis ita esse in latioribus regionibus, simplicia quum sunt.* Senec. de Prov. 5. Suet. Nero 1. *ut appareret degenerasse Nero.* Rhet. 1. *paulatim ipsa (rhetorica) utilis honestaque apparuit* (scil. *esse*.).

quae ὁρμή — ratio) Haec sunt ex nimio brevitatis studio obscuriora. Recte laudat Davis. Laert. VII, 86. *τῆς ὁρμῆς τοῖς ζωοῖς ἐπιγενομένης, ᾗ συγχρώμενα πορεύεται πρὸς τὰ οἰκεῖα, τούτοις μὲν τῷ κατὰ φύσιν τὸ κατὰ τὴν ὁρμὴν διοικεῖσθαι· τοῦ δὲ λόγου τοῖς λογικοῖς κατὰ τελειοτέραν προστασίαν δεδομένου, τὸ κατὰ λόγον ζῆν γίνεσθαι τοῖς κατὰ φύσιν· τεχνίης γὰρ οὗτος ἐπιγίνεται τῆς ὁρμῆς.*

niens consentaneumque dicimus. Nec enim gubernationi aut medicinae similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, et saltationi, ut in ipsa insit, non foris petatur extremum, id est, artis effectio. Et tamen est alia cum his ipsis artibus sapientiae dissimilitudo; propterea quod, in illis quae recte facta sunt, non continent tamen omnes partes, e quibus constant. Quae autem nos aut recta aut recte facta dicamus, si placet, (illi autem appellant κατορθώματα,) omnes numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est: quod idem in ceteris artibus non fit. Inscite autem medicinae et gubernationis ultimum cum ultimo sapientiae comparatur. Sapientia enim et animi magnitudinem complectitur et iustitiam, ut omnia, quae homini accidant, infra se esse iudicet: quod idem in ceteris artibus non contingit. Tenere autem virtutes eas ipsas, quarum modo feci mentionem, nemo poterit, nisi statuerit, nihil esse, quod intersit aut differat aliud ab alio, praeter honesta et turpia.

§. 24. *ut in ipsa* etc.] Sensus est hic: *Sapientiae cum gubernatione et medicina comparatio haud sane apte nobis convenit: (harum enim artium effectio (τὸ ἀσκεῖν) non in ipsis manet, sed foras prodit:) rectius illa actioni histrionis et saltationi comparatur, ut in ipsa* (sapientia) *extremus eius finis, effectio* (die Ausübung) *inesse cernatur, prout in histrionia et saltatoria arte valet. Goer.*

§. 25. *ut omnia*] In omnibus codd. praemittitur *et* ante *ut*, sed recte id incluserunt Goer. et Orell. Rectius etiam delevit Schuetz. Nam vv. *ut omnia* etc. exponunt vim animi altitudinis et iustitiae; *ut* est *ita ut* particula apodosis, ut saepe.

nihil esse, quod intersit aut differat aliud ab alio] Davis. suasit *aut quo differat*. Bremi *quo* non addi vult, sed intelligi, exemplis allatis in quibus demonstrativum aut relativum altero enunciati membro omittitur. Quod huc nihil facere putat Goer., qui satis artificiose, at vix recte construit: nihil aliud esse, quod intersit aut differat ab alio: auctorem enim *aliud* altius reiecisse, quum easdem voces iungere amet, ut *singuli a singulis, unus ab uno* etc., atque ita ante *differat* recte *quod* denuo esse cogitandum. At recte monuit Beier. ad Cic. Off. I, 42, 151. *Quibus autem artibus aut prudentia maior inest aut non mediocris utilitas quaeritur* neminem Goerenzii artificium ei, quae Bremio placuerit, rationi praelaturum. Nam pronomen relat. ad verba diversi regi-

Videamus nunc, quam sint praeclare illa his, quae iam posui, consequentia. Quum enim extremum hoc sit (sentis enim, credo, me iam diu, quod τέλος Graeci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum: licebit etiam finem pro extremo aut ultimo dicere) quum igitur hoc sit extremum, congruenter naturae convenienterque vivere; necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere; nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere. Quod autem continet non magis eam disciplinam, de qua loquor, quam vitam fortunasque nostras, id est, ut, quod honestum sit, id solum bonum iudicemus. Potest id quidem fuse et copiose et omnibus electissimis verbis gravissimisque sententiis et augeri et ornari: sed consectaria me Stoicorum, brevia et acuta delectant. 26

VIII. Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est. Quod autem laudabile est, omne est honestum. Bonum igitur 27

minis semel tantum poni e Graecismo, de quo vid. Matthiae in Grammat. Graec. mai. §. 474. et Hermann. §. 28. ad Viger. p. 707. seq. Ceterum his Stoicorum illud indicatur, *modo honestum et turpe differre, cetera esse paria*, ἀδιάφορα.

§. 26. *extremum hoc sit*] Sic Erl. prob. Goer. Vulgo *hoc sit extremum*, quod ita correxerunt ex periodi initio.

absolute, fortunate] Goer. coniunxit *absolute fortunate* explicans *plene fortun.*, quem dicendi modum Scholasticorum, non antiquorum, nedum Tullii esse dicit Orell. Et tamen aliam interpretandi rationem non vidit Goer. *Absolute vivere* est ita dictum, ut *absoluta vita* ap. Cic. de Fin. II, 27. Significat *perfectam vitam*. Sic Tuscul. V, 18, 53. *ergo omnia profluenter, absolute, prospere, igitur beate: satis autem ad fortiter vivendum virtus potest*. Acad. II, 27. *perfecte et absolute ita pares*. Intelligitur nostro loco de philosophorum αὐτάρκεια ut recte explicat Schuetz.

id est] Goer. explicat *tale, eiusmodi est, ut*. Pessime. Nam *id est* refertur ad vv. *Quod autem non magis eam disciplinam continet*; quorum apodosis est *potest id quidem* etc.

Cap. VIII.

§. 27. *Quod est bonum — est honestum.*] Haec h. l. contractius posita plenius dicuntur V. Tusc. 15, 45. cll. Plutarch. Stoic. Repugnn. p. 1039. *Τὸ ἀγαθὸν αἱρετόν· τὸ δ' αἱρετὸν, ἀρεστόν· τὸ δ' ἀρεστὸν, ἐπαινετόν· τὸ δ' ἐπαινετὸν, καλόν.* Re-

quod est, honestum est. Satisne hoc conclusum videtur? Certe. Quod enim efficiebatur ex his duobus, quae erant sumpta, in eo vides esse conclusum. Duorum autem, e quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet, non omne bonum esse laudabile. Nam quod laudabile sit, ho-
p. 96. nestum esse conceditur. Illud autem perabsurdum, bonum esse aliquid, quod non expetendum sit: aut expetendum, quod non placens: aut, si id, non etiam diligendum: ergo et probandum: ita etiam laudabile: id autem honestum. Ita fit, ut, quod
28 bonum sit, id etiam honestum sit. Deinde quaero, quis aut de misera vita possit gloriari, aut non de beata? De sola igitur beata? Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam, quod non possit quidem, nisi honestae vitae iure contingere. Ita fit, ut honesta vita beata vita sit. Et quoniam is, cui contingit,

fert hanc conclusionem non sine idonea causa ad Zenonem ipsum Tennemann. Geschichte der Philos. T. IV. p. 83. Subtilius explicatam Chrysippo tribues: quae enim ex Plut. laudavimus, ea ab hoc expresse Chrysippi esse dicuntur. De *boni honesti*que discrimine vide quae accurate disputat Senec. Ep. 119. *Goer.*

in eo vides esse conclusum] Ern. recte explicat id esse in conclusione i. e. haud plus minusque in conclusione esse, quam quod ex binis sumptis sequi diximus.

si id] i. e. *si placens est.*

ergo et probandum] Hoc *et* ne quis pro *etiam* positum putet, ortum est ex anacolutho, cuius causa est orationis vigor et celeritas. Dicendum erat *ergo et probandum et laudabile*, sed quum esset in concludendo auctor, conclusionis formam secutus est, quasi dixisset: *ergo etiam laudabile*, ita ut ex eo, quod probandum esse conclusione effecisse putaverit, concluderit, quod *probandum* sit, id etiam *laudabile* esse. Sensus est: *Perabsurdum est putare bonum esse aliquid, quod non expetendum sit: aut expetendum esse, quod non placeat: aut, si placeat, putare, non etiam diligendum. Diligendum esse quod placeat, apertum est, ergo et probandum est, et si probandum est, sequitur, ut etiam laudabile sit. Laudabile* (das Lobenswerthe) *autem est honestum. Unde efficitur, ut quod bonum sit, id etiam honestum sit.* Facilius intelligitur nexus verborum *ergo et probandum* sine negatione positorum cum praecedentibus non etiam laudandum, si ironicam ponis argumentationem ita: *quasi vero quod placeat, non sit etiam diligendum, ergo et probandum et laudabile.*

§. 28. *ut ita dicam*] Utitur auctor hac formula, quod *gloriatio* fere in deteriorem partem accipitur.

iure laudetur, habet insigne quiddam ad decus
ad gloriam, ut ob ea, quae tanta sint, beatus
ci iure possit: idem de vita talis viri rectissime
cetur. Ita, si beata vita honestate cernitur: quod
onestum est, id bonum solum habendum est.
uî vero negari ullo modo possit, quemquam 29
abili et firmo et magno animo (quem fortem
rum dicimus) effici posse, nisi constitutum sit,
on esse malum dolorem? Ut enim qui mortem
malis ponit, non potest eam non timere: sic
mo ulla in re potest id, quod malum esse de-
everit, non curare, idque contemnere: quo po-
to et omnium assensu approbato, illud assumi-
r, eum, qui magno sit animo atque forti, omnia,
uae cadere in hominem possint, despicere ac pro
hilo putare. Quae quum ita sint, effectum est,
hil esse malum, quod turpe non sit. Atque iste
r altus et excellens, magno animo, vere fortis,
fra se omnia humana ducens, is, inquam, quem
fficere volumus, quem quaerimus certe, et con-
dere sibi debet, et suae vitae et actae et conse-
uenti: et bene de se iudicare, statuens, nihil
osse mali incidere sapienti. Ex quo intelligitur
lem illud, solum bonum esse, quod honestum
t; idque esse beate vivere, honeste, id est, cum
irtute vivere.

Nec vero ignoro, varias philosophorum fuisse IX.
ententias, eorum dico, qui summum bonum, quod 30
ltimum appello, in animo ponerent. Quos quam-
uam vitiose quidam secuti sunt, tamen non modo
his tribus, qui virtutem a summo bono segrega-
verunt, quum aut voluptatem aut vacuitatem dolo-
is, aut prima naturae in summis bonis ponerent,
sed etiam alteris tribus, qui mancam fore putave-

Cap. IX.

§. 30. *tamen non modo his tribus — sed etiam alteris tribus — his tamen omnibus*] Est in his leve anacoluthon ortum ex multis

runt sine aliqua accessione virtutem, ob eamque rem trium earum rerum, quas supra dixi, singuli singulas addiderunt: his tamen omnibus eos antepono, cuicumodi sunt, qui summum bonum in
31 animo atque in virtute posuerunt. Sed sunt tamen perabsurdi et ii, qui cum scientia vivere ultimum bonorum, et qui nullam rerum differentiam esse dixerunt, atque ita sapientem beatum fore, nihil aliud alii momento ullo anteponentem: aut ut quidam Academici constituisse dicuntur, extremum bonorum et summum munus esse sapientis, obsistere visis assensusque suos firme sustinere. His singulis copiose responderi solet. Sed quae perspicua sunt, longa esse non debent. Quid autem apertius, quam, si selectio nulla sit ab iis rebus, quae contra naturam sint, ut earum rerum, quae sint secundum naturam, tollatur omnis ea, quae quae-

interpositis. Abesse debebat *his omnibus;* sed ne obscurior esset oratio, omnes nunc comprehendit. De re vide supra II, 11, 34.

§. 31. *et ii — et qui*] Intelliguntur Herillus et Aristo. Vid. V. Fin. 8, 23.

aut ut] Vulgo om. *aut*, quod recte ex Erl. et Spir., qui ignorant *ut*, restituit Goer.; secutus est Orell. *Aut* ante *ut* saepe a librariis omittitur. Sed mira est ratio, qua Goer. periodum integram reddit: quum ex brevitate dicendi eam ita complet: *aut ut absurdi sunt quidam Academici, qui — dicuntur*, provocans ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 91. Tum enim abest apodosis comparationis. Nam absolute dici non potest *ut absurdi sunt*. Hoc sine sensu diceretur. Simplicissima ratio est ea, qua ἀπὸ κοινοῦ repetatur *qui dixerunt*. Quod si non vis, alius patet exitus attractionis, qua acc. c. inf. pendeat ex verbo sentiendi *constituisse*. Saepe enim etiam Cicero parenthesi annectit ea, quae sunt enunciati primarii, ut si h. l. velis hanc inire rationem, ut putes, periodum ita fuisse conformandam: *aut qui, ut quidam Academici constituisse dicuntur, extrem. bon. et summ. munus esse sap. obsistere visis assensusque suos firme sustinere, constituunt, extrem. bon.* etc. ut sunt in contextis, repetiundis. Vide Ramshorn. p. 704. c., not. c., Beier. ad Cic. Offic. I, 7. Krueger über die Attraktion §. 166. — De re vid. Acad. I, 32, 104. 108. — *sustinere* est ἐπέχειν, cohibere, zurückhalten.

Quid autem apertius — quam — ut — tollatur] Sic recte hunc locum emendavit Goer., quum ante eum *ut* omitteretur, pro quo soloece Davis. *quod* legit. *Ut*, quod abest ab omnibus codd. et editt. absorptum est a praecedentibus syllabis *st* in v. *sint*. Quod quis exspectet post *quid est apertius*, qua in formula latet notio

ratur laudeturque, prudentia? Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, et iis, si quae similes earum sunt, relinquitur, ut summum bonum sit vivere scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem, quae secundum naturam, et, si quae contra naturam sint, reiicientem, p. 97.
id est, convenienter congruenterque naturae vivere. Sed in ceteris artibus quum dicitur *artificiose*, 32
posterum quodam modo et consequens putandum est: quod illi ἐπιγεννηματικόν appellant. Quod autem in quo *sapienter* dicimus, id a primo rectissime dicitur. Quidquid enim a sapiente proficiscitur, id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus. In eo enim positum est id, quod dicimus esse expetendum. Nam ut peccatum est, patriam prodere, parentes violare, fana depecu-

sensus, accusat. c. infin., sciat, saepe hoc fieri nec sine ratione. Nam si sensum loci consideras solvere potes ita: *Si selectio nulla sit ab iis rebus, quae contra naturam sint, aperte fit, ut tollatur.* Ita explicatur particula *ut*. Exempla habet Ramshorn. p. 602. not. 1. Vide Excurs. de Part. *ut* pro Acc. c. Infin. posita.

iis, si quae] *Si* vulgo abest. Sed tuentur part. omnes Goer. codd. praeter Gud. 2. Vide Ramshorn. p. 371. not. 2.

relinquitur — vivere] Haec Chrysippi sunt ex primo huius περὶ τελῶν libro, quae ex parte laudat Laert. VII, 87. κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν. cll. Stob. Eclog. Eth. II. p. 134. *Goer.*

§. 32. *quod illi* etc.] Stoici virtutem in ὁμολογία ponebant, id est in ea sentiendi iudicandique ratione, quae plene cum natura consentit. Quae autem ex hac constanti animi mentisque dispositione sensationes orirentur, ut gaudium, animi hilaritas etc., eas ἐξ ἐπιγεννήματος, quasi accessorias virtuti, dixerunt; quippe quae ex illa dispositione necessario exsisterent. Non igitur tam in externa actione et *effectu* virtutis vim et naturam ponebant, quam in conatu et nisu; quippe sine quo ne actio quidem esset; actionem enim quasi virtutis complementum spectabant. Explicavimus haec verbis communibus, unde facilius, quae ex adversa parte de *peccato* sequuntur, intelliguntur, cuius ἐπιγεννήματα, δυσθυμίαν et δυσφροσύνην memorat Laert. VII, 94. seq. quem recte conferes. *Goer.* De vocabulo ἐπιγεννηματικόν optime exposuit Ernesti in Clav.

in quo] est *in aliquo.*

a primo] ἀπὸ πρώτου hoc est *a capite, quod caput est.* Cfr. de Rep. II, 25, 45. Somn. Scip. 8. s. Tusc. I. §. 54. Gronov. ad Senec. vit. beat. c. 7.

lari, quae sunt in effectu: sic timere, sic maerere, sic in libidine esse, peccatum est, etiam sine effectu. Verum ut haec non in posteris et in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt: sic ea, quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt iudicanda.

X. 33 Bonum autem, quod in hoc sermone toties usurpatum est, id etiam definitione explicatur. Sed eorum definitiones paullum oppido inter se differunt et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit id, quod esset natura absolutum. Id autem sequens, illud etiam quod prodesset, (ὠφέλημα enim sic appelleinus) motum aut statum esse dixit, e natura absoluto. Quumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit aut coniunctione aut similitudine aut collatione rationis; hoc quarto, quod extremum

Cap. X.

§. 33. *eorum*] nempe *Stoicorum*, quorum definitione explicatur.

paullum oppido] est *ein wenig sehr*, qua formula modeste utimur pro *gar sehr*.

Diogeni] *Babylonico*.

Id autem sequens] h. e. *consequens eius, quod ex eo sequitur.*

etiam quod prodesset] Haec sunt per epexegesin s. appositionem addita, quod recte docet Beier. ad Offic. III, 3, 11. p. 201., qui vituperat Goer. delere cupientem cum Marso particulam *etiam*, quae particula cum vi praeponitur. Mire autem Goer. vv. *id autem sequens* interpretatur quum sequeretur Diogenes id bonum, vituperato Bremio, cuius interpretationem ἐπιγεννηματικὸν confirmat Diog. Laert. VII, 94. his verbis: ἀγαθὸν δὲ κοινῶς μὲν τὸ τι ὄφελος· ἰδίως δὲ ἤτοι ταὐτὸν, ἢ οὐχ ἕτερον ὠφελείας i. e. *bonum vero communiter quidem id esse* (censent) *quod sit utile: proprie vero sive idem, sive ab utilitate non alienum.* Cfr. Cic. Off. l. c. ibique Beier.

ὠφέλημα *enim sic appellemus*] Goer. scripsit ὠφέλεια, quod nusquam ὠφέλημα sic Stoici ponant. Cui Orell.: Apud Stob. Eclog. Eth. P. II. 1. p. 140. Heeren αἱρετέον. — — ὠφέλημα πᾶν.

motum aut statum esse dixit] Laert. VII, 104. ὠφελεῖν δὲ ἐστι κινεῖν ἢ ἴσχειν κατ' ἀρετήν. Cfr. Sextus Empir. Pyrrh. Hypot. III. §. 169. et 170.

e natura absoluto] Verte *aus dem von Natur vollkommen.*

aut usu — rationis] Laert. VII, 52. earum sex numerat, περίπτωσιν, ὁμοιότητα, ἀναλογίαν, μετάθεσιν, σύνθεσιν, ἐναντίωσιν. Contra Sext. Empir. III. adv. Mathem. §. 40. alia ratione, ita tamen, ut idem Stoica referre satis clare videatur, duplicem omnino viam

posui, boni notio facta est. Quum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. Hoc autem ipsum bonum non accessione 34
neque crescendo aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum. Ut enim mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum aliis, dulce esse sentitur: sic bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem plurimi aestimandum, sed ea aestimatio genere valet, non magnitudine. Nam quum aestimatio, quae ἀξία dicitur, neque in bonis numerata sit neque rursus in malis: quantumcumque eo addideris, in suo genere manebit. Alia est igitur propria aestimatio virtutis: quae genere, non crescendo valet. Nec vero perturbationes ani- 35
morum, quae vitam insipientium miseram acerbamque reddunt: (quas Graeci πάθη appellant) poteram ego verbum ipsum interpretans, morbos appellare: sed non conveniret ad omnia: quis enim misericordiam, aut ipsam iracundiam, morbum solet dicere? at illi dicunt πάθος: sit igitur perturbatio, quae nomine ipso vitiosa declarari videtur:) nec hae perturbationes vi aliqua naturali moventur: omnesque sunt genere quattuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονήν appel-

proponit, περίπτωσιν ἐναργῆ et ἀπὸ τῶν ἐναργῶν μετάβασιν. Hanc autem transitionem ab evidentibus ipsam tripliciter fieri dicit, ὁμοιωτικῶς, ἐπισυνθετικῶς, ἀναλογιστικῶς. Diversas has a diversis initas distinctiones puta: posteriorem autem eam, quam Cicero secutus sit, περίπτωσιν vage *usum* vertens, paucis post *accessionem*. *Goer.*

§. 34. *non accessione — comparando*] Tractantur haec a Stoicis omnibus; quippe in quo horum Ethices cardo versetur; sed omnium accuratissime a Senec. Epist. 66, §. 7. seqq. cll. ep. 74, 26. 27. Plenius eadem inferius c. 13. exponuntur. *Goer.*

propria] h. e. quae de virtute proprie dicitur.

§. 35. *Nec vero*] Est leve anacoluthon propter multa illa, quae interponuntur, ortum. *Nec hae* abesse debebat.

lant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam. Perturbationes autem nulla naturae vi commoventur: omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis. Itaque his sapiens semper vacabit.

XI. Omne autem, quod honestum sit, id esse pro-
36 pter se expetendum, commune nobis est cum multorum aliorum philosophorum sententiis. Praeter enim tres disciplinas, quae virtutem a summo bono excludunt, ceteris omnibus philosophis haec est tuenda sententia, maxime tamen his, qui nihil aliud in bonorum numero, nisi honestum, esse voluerunt. Sed haec quidem est perfacilis et perexpedita defensio. Quis est enim, aut quis umquam
p. 98. fuit aut avaritia tam ardenti aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eamdem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate proposita, sine facinore,
37 quam illo modo pervenire? Quam vero utilitatem aut quem fructum petentes scire cupimus, illa, quae occulta nobis sunt, quo modo moveantur, quibusque de caussis ea versentur in caelo? Quis autem tam agrestibus institutis vivit, aut quis contra studia naturae tam vehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat, easque sine voluptate aut utilitate aliqua non requirat et pro nihilo putet? aut quis est, qui maiorum, aut Africanorum aut eius, quem tu in ore semper habes, proavi mei ceterorumque virorum fortium atque omni virtute praestantium facta, dicta, consilia cogno-
38 scens, nulla animo afficiatur voluptate? Quis autem honesta in familia institutus et educatus ingenue non ipsa turpitudine, etiam si eum laesura non sit,

Cap. XI.

§. 37. *maiorum*] Quaerunt VV. DD. hoc loco nomen proprium, veluti *Manliorum* vel *Aemiliorum*. At primo genus ponitur, deinde familiarum celebratissima, denique eximiorum virorum summus.

offenditur? quis animo aequo videt eum, quem impure ac flagitiose putet vivere? quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles? Quid autem dici poterit, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus, quo minus homines, tenebras et solitudinem nacti, nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreat? Innumerabilia dici possunt in hanc sententiam: sed non necesse est. Nihil est enim, de quo minus dubitari possit, quam et honesta expetenda per se, et eodem modo turpia per se esse fugienda. Con- 39
stituto autem illo, de quo ante diximus, quod honestum esset, id esse solum bonum: intelligi necesse est, pluris id, quod honestum sit, aestimandum esse, quam illa media, quae ex eo comparentur. Stultitiam autem et temeritatem et iniustitiam et intemperantiam quum dicimus esse fugienda propter eas res, quae ex ipsis eveniant, non ita dicimus, ut cum illo, quo positum est,

§. 38. *Quid — dici poterit*] Construe *quid, si turpit. non ips. per se fug. esse statuemus, dici poterit, quo minus h. e. quid proferri poterit, quominus*, vel, *quid dici poterit tale, quo absterreantur homines, quominus*. Hinc regitur part. *quominus*. Vid. Ramshorn, p. 605, 2. Zumpt. §. 543.

§. 39. *Stultitiam autem et temeritatem et iniustitiam et intemperantiam* etc.] Quum hic vitia virtutibus cardinalibus opponantur, ita ut *stultitia* respondeat *prudentiae*; *iniustitia iustitiae*, *intemperantia temperantiae*, putarunt interpretes *fortitudinis* vocabulo non respondere *temeritatem*, quum apud Diog. Laert. VII, 100. virtutibus illis haec opponantur vitia: τό τε ἄδικον, καὶ τὸ δειλὸν (*formido*) καὶ ἄκοσμον, καὶ ἄφρον. Suspicatus est igitur satis acute Guyetus *timiditatem* pro *temeritatem*, quod per se non adeo reiiciendum esset, dummodo probari posset, *timiditatem* etiam alias sic simpliciter opponi; semper ita coniungitur *timiditas* et *ignavia*, ut supra I, 1[illegible], 49. III. Tusc. 7, 14. Quod quum intelligeret Beierus ad Offic. T. I. p. 335. scribendum censuit *Temeritatem autem et iniustitiam et intemperantiam et ignaviam*, verbo *Stultitiam* pro glossa habito v. *temeritatem*. Et sane simplex voc. *ignavia* opponitur *fortitudini* de Invent. II, 54, 165. Sed mihi quidem satis facit Goerenzii interpretatio, qua *temeritas* opponitur *fortitudini*, *quae considerata* periculorum susceptio est, laborumque perpessio, ut ait Cic. II. de Invent. 55, 163. Ciceronem autem non ubique satis accurate loqui et fontes sequi Graecorum satis constat, unde mihi quidem nulla restat in hoc loco difficultas.

solum id esse malum, quod turpe sit, haec pugnare videatur oratio: propterea quod ea non ad corporis incommodum referuntur, sed ad turpes actiones, quae oriuntur e vitiis. Quas enim Graeci κακίας appellant, vitia male, quam malitias nominare.

XII. Nae tu, inquam, Cato, verbis illustribus et 40 id, quod vis, declarantibus. Itaque mihi videris Latine aloeere philosophiam et ei quasi civitatem dare: quae quidem adhuc peregrinari Romae videbatur nec offerre sese nostris sermonibus: et ista maxime propter limatam quamdam et rerum et verborum tenuitatem. Scio enim esse quosdam, qui quavis lingua philosophari possint: nullis enim partitionibus, nullis definitionibus utuntur, ipsisque dicunt, ea se modo probare, quibus natura tacita assentiatur. Itaque in rebus minime obscuris non multus est apud eos disserendi labor. Quare attendo te studiose, et, quaecumque rebus iis, de quibus hic sermo est, nomina imponis, memoriae mando. Mihi enim erit iisdem istis fortasse iam utendum. Virtutibus igitur rectissime mihi videris et ad consuetudinem nostrae orationis vitia posuisse contraria. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel

Cap. XII.

§. 40. *declarantibus*] *disputas* supple.

et ista maxime etc.] Torserunt se mirum in modum interpretes in explicando pron. *ista;* quod genere neutro positum referendum censuit Goer, ad vv. *videris Latine docere philos.* Sed hoc ex linguae legibus difficile est. Rectissime Schuetz. *ista* nomin. cas. ad *philosophiam* retulit. Noluisse enim scribere auctorem *et quidem maxime* vel *et ea quidem maxime*: prius, ne continuarentur tres particulae, alterum, ne *ea* post *ei* repeteretur.

verborum tenuitatem.] Nempe: *quae ante Latinis negata, apud Graecos propria erat. Limata tenuitas* est subtilitas concinna sine verborum pompa. cfr. II. Acad. 21, 66. *rationes — latiore specie, non ad tenue limatas.*

Scio enim esse quosdam etc.] Sunt Epicurei. vid. supra I, 7, 22. init.

etiam a vitio dictum vituperari. Sin κακίαν malitiam dixisses, ad aliud nos unum certum vitium consuetudo Latina traduceret. Nunc omni virtuti vitium contrario nomine opponitur.

Tum ille: His igitur ita positis, inquit, sequi- 41
tur magna contentio: quam tractatam a Peripate- p. 99.
ticis mollius (est enim eorum consuetudo dicendi non satis acuta propter ignorationem dialecticae) Carneades tuus egregia quadam exercitatione in
dialecticis summaque eloquentia rem in summum discrimen adduxit: propterea quod pugnare non destitit, in omni hac quaestione, quae de bonis et malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum. Mihi autem nihil tam perspicuum videtur, quam, has sententias eorum philosophorum re inter se magis, quam verbis dissidere: maiorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum esse aio discrepantiam, quam verborum. Quippe quum Peripatetici omnia, quae ipsi bona appellant, pertinere dicant ad beate vivendum: nostri vero, quod aestimatione
omnino aliqua dignum sit, complecti vitam beatam non putent.

An vero certius quidquam potest esse, quam XIII.
42

a vitio dictum vituperari.] Neglexit hunc locum Doederlein. latein. Synon. T. II. p. 158., ubi de origine verbi *vituperare* disputat.

§. 41. *quam tractatam — rem*] Est leve anacoluthon ortum ex parenthesi. Si omittis *rem* omnia recte procedunt.

propter ignorationem dialecticae] Haec invidiosius dicta sunt a Stoicis contra Peripateticos, qui spinas partiendi et definiendi praetermittebant, cfr. Tusc. IV, 5, 9., quas Stoici maxime sequebantur, unde ista accusatio, quasi ut Stoici, sic illi spinosi in disputando esse deberent.

maiorem multo] Cum vi postponitur *multo*. Cfr. II. Orat. 46, 192. *sed alia sunt maiora multo.* ibid. 42, 178. *Plura enim multo homines iudicant odio aut amore, quam veritate.*

nostri vero] cfr. Tuscul. Disp. V, 16, 17. Ante *complecti* facile *eo* cogitatione addas. Solet enim ita demonstrativum praecedente relativo alio casu repetendum omitti. Vide ad II, 28, 90.

illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, quum equuleo torqueatur? Eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, uti in omnibus tormentis conservetur beatâ vitâ sapienti. Etenim si dolores eosdem tolerabilius patiuntur, qui excipiunt eos pro patria, quam qui leviore de caussâ: opinio facit, non natura, vim doloris aut maiorem
43 aut minorem. Ne illud quidem est consentaneum, ut, si, quum tria genera bonorum sint, quae sententia est Peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis bonis plenior, ut hoc idem approbandum sit nobis, ut, qui plura habeat, quae in corpore magni aestimantur, sit beatior. Illi enim corporis commodis compleri vitam beatam putant: nostri nihil minus. Nam quum ita placeat, ne eorum quidem bonorum, quae nos bona naturae appellemus, frequentia beatiorem vitam fieri aut magis expetendam aut pluris aestimandam; certe minus ad beatam vitam pertinet
44 multitudo corporis commodorum. Etenim si et sapere expetendum sit et valere: coniunctam utrumque magis expetendum sit, quam sapere solum, neque tamen, si utrumque sit aestimatione dignum, pluris sit coniunctum, quam sapere ipsum separatum. Nam qui valetudinem aestimatione aliqua dignam iudicamus, neque eam tamen in bonis ponimus, iidem censemus nullam esse tantam aestimationem, ut ea virtuti anteponatur. Quod idem Peripatetici non tenent: quibus dicendum est, quae et honesta actio sit et sine dolore, eam magis esse

Cap. XIII.

§. 42. *illorum ratione*] h. e. *nach der Ansicht jener*.
ratio cogit] h. e. die Ansicht bringt es so mit sich.
§. 43. *consentaneum, ut*] Vide Excurs. de part. *ut* pro Acc. c. Inf. posita.
ut] est *ita ut*.
approbandum — ut] Vide Excurs. modo laudatum.

expetendam, quam si esset eadem actio cum dolore. Nobis aliter videtur: recte, secusne, postea. Sed potestne rerum maior esse dissensio?

Ut enim obscuratur et offunditur luce solis lu- XIV.
men lucernae; et ut interit magnitudine maris Ae- 45
gaei stilla muriae; et ut in divitiis Croesi teruncii accessio; et gradus unus in ea via, quae est hinc in Indiam: sic, quum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat necesse est. Et quemadmodum opportunitas (sic enim appellemus εὐκαιρίαν) non fit maior productione temporis (habent enim suum modum quaequae opportuna dicuntur): sic recta effectio (κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam rectum factum κατόρθωμα) recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habet. Ut 46
enim opportunitas illa, sic haec, de quibus dixi, p. 100.
non fiunt temporis productione maiora: ob eamque caussam Stoicis non videtur optabilior nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis: utunturque simili. Ut si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur, nec maiores minoribus: sic quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus nec longinquiora brevioribus anteponentur. Nec vero satis acute 47
dicunt: Si bona valetudo pluris aestimanda sit longa, quam brevis, sapientiae quoque usus longissimus quisque sit plurimi. Non intelligunt, valetudinis aestimationem spatio iudicari: virtutis, opportunitate: ut videantur qui illud dicant, iidem hoc

Cap. XIV.

§. 47. *Nec vero satis acute dicunt*] Nempe hi, qui illis Stoicorum rationibus occurrunt, Academici aut Peripatetici.

esse dicturi, bonam mortem et bonum partum meliorem longum esse, quam brevem. Non vident, alia brevitate pluris aestimari; alia diuturnitate.
48 Itaque consentaneum est his, quae dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod ultimum, crescere putent posse, iisdem placere, esse alium alio sapientiorem, itemque alium magis alio vel peccare vel recte facere. Quod nobis non licet dicere: qui crescere bonorum finem non putamus. Ut enim qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut iam iamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo: nec catulus ille, qui iam appropinquat, ut videat, plus cernit, quam is, qui modo est natus: item qui processit aliquantum ad virtutis aditum, nihilominus in miseria est, quam ille, qui nihil processit.

XV. Haec mirabilia videri intelligo. Sed quum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia; ne de eorum quidem est veritate dubitandum. Sed quamquam negant, nec

meliorem longum esse quam brevem.] Sic Erl. Spir. Vulgo *esse longum.*

§. 48. *Ut enim* etc.] Eadem fere ut Chrysippea refert Plutarch. adv. Stoic. p. 1063. ὥσπερ ὁ πῆχυν ἀπέχων ἐν θαλάττῃ τῆς ἐπιφανείας, οὐδὲν ἧττον πνίγεται τοῦ καταδεδυκότος ὀργυιὰς πεντακοσίας· οὕτως οὐδὲ οἱ πελάζοντες ἀρετῇ τῶν μακρὰν ὄντων ἧττόν εἰσιν· καὶ καθάπερ οἱ τυφλοί, τυφλοί εἰσι, κἂν ὀλίγον ὕστερον ἀναβλέπειν μέλλωσιν, οὕτως οἱ προκόπτοντες, ἄχρις οὗ τὴν ἀρετὴν ἀναλάβωσιν, ἀνόητοι καὶ μοχθηροὶ διαμένουσιν.

Cap. XV.

mirabilia] Id est παράδοξα. Vide infra IV, 27, 74. *haec παράδοξα illi, nos mirabilia dicamus.* cll. II. Acad. 44, 136.

Sed quamquam negant etc.] Totum hunc locum dedi ex ratione Hermanni in Dissertat. de Rich. Bentleio eiusque edit. Terentii p. 82. Append. Bentl. Epist. s. p. 270. seq. Hermann. Opusc. T. II., quum antea et intelligeretur male et perperam interpungeretur ita: *sed quamquam negent* [Spir. Erl. Mars. recte *negant*] *nec virtutes nec vitia crescere: attamen* [Spir. Erl. Mars. *et tamen*] *utrumque eorum fundi quodammodo et quasi dilatari putant. Divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi*

virtutes nec vitia crescere: et tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant: divitias autem Diogenes censet non eam modo vim 49
habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam ut ea contineant: non idem facere eas in virtute neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest. Itaque si voluptas aut si bona valetudo sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas: at, si sapientia bonum sit, non sequi,

duces sint ad voluptatem et ad valitudinem bonam, sed etiam ut ea contineant: non idem facere eas in virtute etc. At primum si ita distinguitur, ut vv. *Divitias* etc. novam inchoent periodum, quid tum indicativi illi *ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest*, quae si Diogenis sententiam continent, necessario coniunctivo sunt efferenda. Hoc ipsum poterat docere interpretes, verba esse Ciceronis, quae sequantur, non ex Diogenis ore petita. Hoc etiam, quae sequuntur docent, maxime verba §. 50. Quod si verum est, non puncto haec erant disiungenda, quae sequuntur a vv. *Divitias autem*, sed commate. Omnia enim pendent a particula *quamquam*. Ita quoque intelligitur *attamen* esse mutandum in *et tamen*, quod et optimi codd. tuentur, et in quod vix quisquam librarius incidisset. *Et tamen* significat *nihilominus*. Apodosis incipit a verbis *non idem facere*, ad quae ex vv. *non est dubitandum* repetendum est *censendum est*, ut saepe. Vide exempla apud Beier. ad Cicer. Off. III, 2, 9. p. 197., qui hunc ipsum locum testimonio affert probans Hermanni rationem, qui, si integre scripsisset Cicero, ita eum scripturum fuisse dicit: *Haec mirabilia videri intelligo. Sed, quum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed, quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere et tamen utrumque eorum fundi quodammodo et quasi dilatari putant, divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valitudinem bonam, sed etiam ut ea contineant, censendum est, non idem facere eas in virtute neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest.* Sic etiam quae sequuntur, facilius videntur explicari posse. — De Diogene, qui in his maxime, quae ad rerum aestimationem referuntur, laborasse videtur, cfr. Stob. Ecl. Eth. P. II. p. 152. seq.

§. 49. *quasi duces sint* etc.] In eo igitur haec Diogenis sententia ab illa Stoicorum aliorum differebat, quod, quum tria genera προηγμένων statuerentur, Laert. VII, 107. τὰ μὲν δι' αὑτὰ, τὰ δὲ δι' ἕτερα, τὰ δὲ καὶ δι' ἀυτὰ καὶ ἕτερα; alii autem illi divitias ad τὰ δι' ἕτερα, (*quae duces essent ad τὰ δι' αὑτὰ, voluptatem* (bono sensu) *et valitudinem bonam*,) referrent: hic easdem ad τὰ δι' αὑτὰ καὶ δι' ἕτερα relatas vellet; sed respectu modo voluptatis valitudinisque, non artium; multo minus etiam virtutis. *Goer.*

ut etiam divitias bonum esse dicamus: nec ab ulla re, quae non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest, ob eamque caussam, quia cognitiones comprehensionesque rerum, e quibus efficiuntur artes, appetitiones movent; quum divitiae non sint in bonis, nulla ars divitiis contineri potest.
50 Quod si de artibus concedamus, virtutis tamen non sit eadem ratio, propterea quod haec plurimae commentationis et exercitationis indigeat; quod idem in artibus non sit: et quod virtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius vitae complectatur, nec haec eadem in artibus esse videamus.

Deinceps explicatur, differentia rerum: quam si non ullam esse diceremus et confunderetur omnis vita, ut ab Aristone: neque ullum sapientiae munus aut opus inveniretur, quum inter res eas, quae ad vitam degendam pertinerent, nihil omnino interesset, neque ullum delectum adhiberi oporteret. Itaque quum esset satis constitutum, id solum esse bonum, quod esset honestum, et id ma-
p.101 lum solum, quod turpe: tum inter illa, quae nihil valerent ad beate misereve vivendum, aliquid tamen, quo differrent, esse voluerunt, ut essent eorum alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum.
51 Quaeque autem aestimanda essent, eorum in aliis satis esse caussae, quamobrem quibusdam anteponerentur, ut in valitudine, ut in integritate sensuum, ut in doloris vacuitate, ut gloriae, divitiarum, si-

§. 51. *ut in valit., ut in integr. sens.*] Sic e codd. restituit Orell. provocans ad §. 56. *ut integri sensus, ut bona valitudo.* Goer. e suis codd. dedit *et integr.* Sed *et* et *ut* saepissime confunduntur et *in* ita scriptum ī ante *integritate* facile oblitterari potuit.

ut gloriae] Est, si ita vis, leve anacoluthon, quod saepe admittitur in enumerando, pro *ut in gloria.* Goer. dicit ex *anteponerentur* praemisso facile ad hos genitivos *anteponendarum ratione* cogitari posse. Facilior est ea ratio, qua pendent hi genitt. a verbis *eorum in aliis*, quasi scripsisset: *Quaeque autem aestimanda essent, eorum in aliis rebus, veluti in re gloriae, divitiarum* etc. *satis esse caussae.*

milium rerum: alia autem non esse eiusmodi. Itemque eorum, quae nulla aestimatione digna essent, partim satis habere caussae, quamobrem reiicerentur, ut dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum: partim non. Itemque hinc esse id exortum, quod Zeno *προηγμένον*, contraque quod *ἀποπροηγμένον* nominavit, quum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis; quod nobis in hac inopi lingua non conceditur: quamquam tu hanc copiosiorem etiam dicere soles.

Sed non alienum est, quo facilius vis verbi intelligatur, rationem huius verbi faciendi Zenonis exponere. Ut enim, inquit, nemo dicit, in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id enim est *προηγμένον*), sed eos, qui in aliquo honore sint, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum; sic in vita non ea, quae primario loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent, *προηγμένα*, id est, producta nominentur. Quae vel ita appellemus (id erit verbum e verbo) vel promota et remota, vel, ut dudum diximus, praeposita vel praecipua, et illa reiecta. Re enim intellecta, in verborum usu faciles esse debemus. Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est, nec bonum esse nec malum hoc, quod praepositum vel praecipuum nominamus. Itaque id definimus, quod sit indifferens, cum aestimatione mediocri: (quod enim illi *ἀδιάφορον* dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem:) neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis, quod aut secundum naturam esset, aut contra: nec, quum id relinqueretur, nihil in his

XVI. 52

53

corum — partim] Vide Zumpt. §. 271.

hinc esse id exort.] Sic scripsi ducibus Spir. Erl., in quibus est *est id*; sed *esse* et *est* saepe confunduntur in codd. Orell. e Bas. et Mars. dedit *esse illud*. Omisit verbum Goer. Non recte.

poni, quod satis aestimabile esset: nec hoc posito,
54 non aliqua esse praeposita. Recte igitur haec facta distinctio est, atque etiam ab iis, quo facilius res perspici possit, hoc simile ponitur. Ut enim, inquiunt, si hoc fingamus esse quasi finem et ultimum, ita iacere talum, ut rectus assistat: qui ita talus erit iactus, ut cadat rectus, praepositum quiddam habebit ad finem: qui aliter, contra; neque tamen illa praepositio tali ad eum, quem dixi, finem pertinebit: sic ea, quae sunt praeposita, referuntur illa quidem ad finem; sed ad eius vim naturamque nihil pertinent.

55 Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia, (sic enim appello, quae τελικά dicuntur: nam hoc ipsum instituamus, ut placuit, pluribus verbis dicere, quod uno non poterimus, ut res intelligatur) alia autem efficientia, quae Graeci ποιητικά, alia utrumque. De pertinentibus, nihil est bonum, praeter actiones honestas: de efficientibus, nihil, praeter amicum. Sed et pertinentem et efficientem sapientiam volunt esse. Nam quia sapientia est conveniens actio, est in illo pertinenti genere, quod dixi. Quod autem

Cap. XVI.

§. 54. *qui aliter, contra*] Sic e codd. vestigiis, qui dant *qui aliter, qui contra* scripsit Orell. Goer. *aliter qui contra*. Sed verba *qui ita* etc. docent, Orellii scripturam esse veram. De discrimine in talorum lusu, si talus *rectus assistebat*, et si *rectus cadebat* vide Senftleb. de Alea c. 4. not. 8. cll. Pitisci Lexic. Antt. v. *Talus*.

§. 55. *illa divisio*] Cfr. Diog. Laert. VII, 96.

Sed et pertinentem etc.] Vide Diog. Laert. VII. §. 107. et Stob. Ecl. Eth. p. 174.

conveniens actio] ὁμολογουμένη πρᾶξις, id est ad ὁμολογίαν pertinens agendi ratio; cfr. supra 6, 21.

est in illo pertin. gen.] Sic scripsi de Davisii coniectura pro vulg. *est illo pertin. gen.*, quam recepit Orell.; sed sine exemplo hoc diceretur. Goer. cum codd. plerisque et quibusdam editt. *est cum illo gen.*, quae lectio unde orta sit, videtur ostendere Guelf. in quo scriptum est *quia sapientia est conveniens actio cum illo pertinenti genere*. *In* autem ante *illi* ita scripta ĩ facile excidere potuit. *Cum* defendit Goer. ex Graecismo, ex quo *cum aliquo esse* dicantur, qui alicuius partem sequantur.

honestas actiones affert et efficit, id efficiens dici potest.

Haec, quae praeposita dicimus, partim sunt XVII.
per se ipsa praeposita, partim quod aliquid effi- 56
ciunt, partim utrumque. Per se, ut quidam habitus
oris et vultus, ut status, ut motus: in quibus sunt p.102.
et praeponenda quaedam et reiicienda: alia ob
eam rem praeposita dicentur, quod ex se aliquid
efficiant, ut pecunia: alia autem ob utramque rem,
ut integri sensus, ut bona valitudo. De bona au- 57
tem fama (quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius
est hoc loco bonam famam appellare, quam glo-
riam) Chrysippus quidem et Diogenes, detracta
utilitate, ne digitum quidem eius caussa porrigen-
dum esse dicebant. Quibus ego vehementer assen-
tior. Qui autem post eos fuerunt, quum Carnea-
dem sustinere non possent, hanc, quam dixi, bo-
nam famam, ipsam propter se praepositam et su-
mendam esse dixerunt, esseque hominis ingenui et
liberaliter educati, velle bene audire a parentibus,
a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter
rem ipsam, non propter usum: dicuntque, ut libe-
ris consultum velimus, etiam si postumi futuri sint,
propter ipsos: sic futurae post mortem famae ta-
men esse propter rem etiam, detracto usu, con-
sulendum.

Sed quum, quod honestum sit, id solum bo- 58
num esse dicamus: consentaneum tamen est, fungi
officio, quum id officium nec in bonis ponamus

Cap. XVII.

§. 56. *partim sunt per se ipsa — utrumque.*] Diog. Laert. VII, 107. *τῶν προηγμένων τὰ μὲν δι' αὑτὰ προῆκται, τὰ δὲ δι' ἕτερα τὰ δὲ καὶ δι' αὑτὰ καὶ δι' ἕτερα.*

partim utrumque] Lambin. *ob utrumque*, quod recepit Bremi. At vide similia exempla apud Ramshorn. p. 236.

§. 57. *post mortem famae tamen esse propter rem etiam, detracto usu, consulendum.*] Goer. *tamen* significare ait *sane*, quod minime verum est; sed refertur ad ablatt. absoll. *detracto usu*, qui solvendi sunt hoc modo: *etiamsi detrahitur usus.*

§. 58. *id officium*] quod dicitur *medium.*

ritum reddere in recte factis sit, in offi-
, depositum reddere: illo enim addito,
recte factum: per se autem hoc
ere in officio ponitur: quoniamque non
quin in iis, quae media dicimus, sit
dum, aliud reiiciendum quidquid ita
tur, communi officio contineatur. Ex
itur, quoniam se ipsi omnes natura
insipientem quam sapientem sumptu-
secundum naturam sint, selecturamque
ita est quoddam commune officium sa-
sipientis: ex quo efficitur, versari in
edia dicamus. Sed quam ab his om- 60
antur officia, non sine causa dicitur,
ri omnes nostras cogitationes: in his
ssum e vita et in vita mansionem. In
plura sunt, quae secundum naturam
s officium est in vita manere: in quo
sunt plura contraria, aut fore videntur,
ium est, e vita excedere. E quo appa-
ientis esse aliquando officium, excedere
m beatus sit: et stulti, manere in vita,
miser. Nam bonum illud et malum, 61
e iam dictum est, postea consequitur.
m illa naturae, sive secunda, sive con-
iudicium sapientis et delectum cadunt:
subiecta quasi materia sapientiae. Ita- p.108.

I. p. 20. Inclusit Orell. Ortum est ex eo, quod pe-
tionem non satis intellexerunt librarii propter lon-
em.

fficio] *Commune officium* dicitur (medium officium)
apiens et non sapiens tenetur. I. Off. 3, 4. *Hoc*
m officium) *commune officium vocant.*
il. *officium.*

teria] Goer., quum in Spir. et Erl. *materiē* reperis-
ult *materies*, quae terminatio pluribus locis etiam
pud Ciceronem. Multae voces sunt, quae duplicem
ationem, in quibus numeranda sunt plurima quintae
ubstantiva, quae et ad primam declinationem for-
quintam, veluti hoc ipsum vocab. *materia* et *ma-*
o autem Grammaticus differentiam esse censet inter

non in malis. Est enim aliquid in his rebus probabile, et quidem ita, ut eius ratio reddi possit; ergo ut etiam probabiliter ratio reddi possit. Est autem officium, quod ita factum est, ut eius facti probabilis ratio reddi possit. Ex quo intelligitur, officium medium quoddam esse, quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Quoniamque in iis rebus, quae neque in virtutibus sunt neque in vitiis, est tamen quiddam, quod usui possit esse: tollendum id non est. Est autem eius generis actio quoque quaedam et quidem talis, ut ratio postulet agere aliquid et facere eorum. Quod autem ratione actum sit, id officium appellamus. Est igitur officium eius generis, quod nec in bonis ponatur, nec in contrariis.

XVIII. Atqui perspicuum etiam illud est, in istis rebus
59 mediis aliquid agere sapientem. Iudicat igitur, quum agit, officium illud esse. Quod quoniam numquam fallitur in iudicando, erit in mediis rebus officium: quod efficitur hac etiam conclusione rationis. Quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus, (id autem est perfectum officium:) erit etiam inchoatum: ut, si

Est autem officium etc.] Cfr. Laert. VII, 107. *καθῆκον — ὃ πραχθὲν εὔλογόν τινα ἔχει ἀπολογισμόν.*

agere aliquid et facere] *Agere* et *facere* ita inter se differunt, ut *agere* et corporis et vocis et mentis actiones complectatur: *facere* referatur tantummodo ad opera, quae corpore efficimus. Ita *agit* is, cuius post actionem opus non exstat, *facit* is, cuius opus remanet. Cfr., qui huius discriminis auctor est Quinctil. II, 18, 1. Manut. ad Cic. Ep. ad Fam. VII, 12. fin. Itaque utrumque vocabulum haud raro coniungitur, ut Cic. Phil. III, 13. *quod agendum atque faciendum est.*

Cap. XVIII.

§. 59. *Quod quoniam*] Ut *quodsi*, *quod quia*, *quod quum* ponitur. Vide Giese ad Cic. de Divin. II, 62. Dixi de hoc ad libr. I.

conclusione rationis.] quam logici nostri dicunt a priori. Cfr. II. Divin. 49, 103.

erit etiam inchoatum] Sic scripsi deleto *autem* ante *etiam*, quod in apodosi vix locum habet. Delere id voluerunt Bremi et

iuste depositum reddere in recte factis sit, in officiis ponatur, depositum reddere: illo enim addito, *iuste*, fit recte factum: per se autem hoc ipsum reddere in officio ponitur: quoniamque non dubium est, quin in iis, quae media dicimus, sit aliud sumendum, aliud reiiciendum: quidquid ita fit aut dicitur, communi officio continetur. Ex quo intelligitur, quoniam se ipsi omnes natura diligant, tam insipientem quam sapientem sumpturum, quae secundum naturam sint, reiecturumque contraria. Ita est quoddam commune officium sapientis et insipientis: ex quo efficitur, versari in iis, quae media dicamus. Sed quum ab his om- 60
nia proficiscantur officia, non sine caussa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes: in his esse et excessum e vita et in vita mansionem. In quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere: in quo autem aut sunt plura contraria, aut fore videntur, huius officium est, e vita excedere. E quo appareret, et sapientis esse aliquando officium, excedere e vita, quum beatus sit: et stulti, manere in vita, quum sit miser. Nam bonum illud et malum, 61
quod saepe iam dictum est, postea consequitur. Prima autem illa naturae, sive secunda, sive contraria, sub iudicium sapientis et delectum cadunt: estque illa subiecta quasi materia sapientiae. Ita- p.103.

Beier. ad Off. I. p. 20. Inclusit Orell. Ortum est ex eo, quod periodi conformationem non satis intellexerunt librarii propter longiorem orationem.

communi officio] *Commune officium* dicitur (medium officium) quod eo et sapiens et non sapiens tenetur. I. Off. 3, 4. *Hoc autem* (medium officium) *commune officium vocant.*

versari] scil. *officium.*

§. 61. *materia*] Goer., quum in Spir. et Erl. *materie* reperisset, scribi vult *materies*, quae terminatio pluribus locis etiam nunc lateat apud Ciceronem. Multae voces sunt, quae duplicem habent terminationem, in quibus numeranda sunt plurima quintae declinationis substantiva, quae et ad primam declinationem formantur et ad quintam, veluti hoc ipsum vocab. *materia* et *materies*. Fronto autem Grammaticus differentiam esse censet inter

quo eti manendi in vita et migrandi ratio omnibus iis rebus, quas supra dixi, metienda. Nam neque iis, qui virtute retinentur in vita, neque iis, qui sine virtute sunt, mors est oppetenda. At saepe officium est sapientis, desciscere a vita, quum sit beatissimus, si id opportune facere possit; quod est convenienter naturae vivere. Sic enim censent, opportunitatis esse, beate vivere. Itaque a sapientia praecipitur, se ipsam, si necesse sit, sapiens ut relinquat. Quamobrem quum vitiorum ista vis non sit, ut causam afferant mortis voluntariae: perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium esse manere in vita, si sint in maiore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita et manens aeque miser est; nec diuturnitas ei magis vitam fugiendam facit: non sine causa dicitur, iis, qui

materia et *materies*. Sunt eius verba de differentiis voc. p. 481. ed. Mai. haec: *Materies animi est, materia arboris. Materies qualitas ingenii, materia fabris apta.* Ad quae Lindemann., nisi fallor in Seebod. Miscell. Crit. II. p. 93. haec addit: *Hoc est, si quid video, materies dicendum, si translate; materia, si proprio sensu.* Quae differentia si vera est, nostro loco tum demum *materies* scribendum esset, si omisisset auctor part. *quasi*, quae ipsa inservit mitigandae metaphorae. Aliis in locis ubi translate dicitur voc. *materia* sine excusationis formula, libenter fecerim cum Goer. corrigente illos locos, ut Martyni Leg. III. Divv. ep. 6, 4. scripsit: *sed tamen probabilem materiem nacti sermonis.* Idem habet cod. Medicaeus, ab Orellio adhibitus, cui nihil interesse videtur, utram eligas formam. Ita reponi iubet Goer. e bonis a se collatis codd. II. de Or. 65, 265. [262.] *Dixi enim dudum, materiem esse aliam ioci, aliam severitatis.* Orell., qui alias utitur Goerenzii emendationibus, hoc loco ne commemoravit eam quidem. pro Milon. 13, 35. *Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiem suae gloriae?* Hoc loco dedit *materiem* e cod. Bavar., optimo Orell., quamquam in Palimps. Taurin. non minus bono cod. et fortasse omnium optimo est *materiam*. Sed ad optimorum codd. fidem provocandum est in his locis, ubi nominativus casus reperitur, qui non tam facile potuit corrumpi, quam accusat. ee et a enim difficilius confunduntur, quam e et a. De Invent. I, 5, 7. *materiam artis, medicinae materiam* scripsit Orell., et idem de Or. II, 84, 343. *materiem*, quod habet cod. Guelferbyt. B, probavit in nota, retento in contextu *materiam*. Omnes denique locos si comparas, videbis Ernestonis differentiam veram esse et exempla multa librariorum incuria esse obliterata.

pluribus naturalibus frui possint, esse in vita manendum.

Pertinere autem ad rem arbitrantur, intelligi, XIX.
natura fieri, ut liberi a parentibus amentur: a quo 62
initio profectam communem humani generis societatem persequimur. Quod primum intelligi debet figura membrisque corporum, quae ipsa declarant procreandi a natura habitam esse rationem. Neque vero haec inter se congruere possent, ut natura et procreari vellet et diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturae perspici potest: quarum in fetu et in educatione laborem quum cernimus, naturae ipsius vocem videmur audire. Quare ut perspicuum est, natura nos a dolore abhorrere: sic apparet, a natura ipsa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli. Ex hoc na- 63
scitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. Ut enim in membris alia sunt tamquam sibi nata, ut oculi, ut aures; aliqua etiam ceterorum membrorum usum adiuvant, ut crura, ut manus: sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt: at illa, quae in concha patula pinna dicitur; isque, qui enat e concha, qui, quod eam

Cap. XIX.

§. 62. *Quare ut perspic. est* etc.] Tertium, ut aiunt, comparationis omissum est: *quum eorum causa dolores laboresque suscipiamus.* Ad haec omissa enim pertinent illa *ut eos, quos gen.* etc.

§. 63. *quae in concha* etc.] Cfr. II. N. D. 48, 123. ubi *pinna duabus grandibus patula conchis* dicitur. De re cfr. Leske Naturund Thiergesch. p. 900. Sunt haec fabulosa. — Plutarch. de Sollert. Animal. p. 980. *Ὁ μὲν οὖν πιννοτήρης ζῷόν ἐστι καρχινώδης, ὡς φασι, καὶ τῇ πίνῃ* (leg. *πίννῃ σύνεστι καὶ πυλωρεῖ τὴν κόγχην προκαθήμενος, ἐὼν ἀνεφγμένην καὶ διακεχηνυῖαν, ἄχρι προσπέσῃ τι τῶν ἁλωσίμων αὐτοῖς ἰχθυδίων· τότε δὲ τὴν σάρκα τῆς πίννης δακὼν παρεισῆλθεν· ἡ δὲ συνέκλεισε τὴν κόγχην, καὶ κοινῶς τὴν ἄγραν ἐντὸς ἕρκου γινομένην κατεσθίουσι.* Praeter eos, quos laudavimus ad lib. II. N. D. c. 48. adeas licet Apostolium Centur. XI. Prov. XI. *Davis.*

qui, quod eam etc.] Aristoteles libr. V. Hist. Animal. c. 15.

custodit; pinnoteres vocatur, in eamque quum se recipit, includitur; ut videatur monuisse ut caveret. Itemque formicae, apes, ciconiae, aliorum etiam causa quaedam faciunt. Multo magis haec coniunctio est hominis. Itaque natura sumus apti
64 ad coetus, concilia, civitates. Mundum autem censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum: et unumquemque nostrum eius mundi esse partem. Ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt: sic vir bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii non ignarus utilitati omnium plus, quam unius alicuius aut suae consulit. Nec magis est vituperandus proditor patriae, quam communis utilitatis aut salutis desertor propter suam utilitatem aut salutem. Ex quo fit, ut laudandus sit is, qui mortem oppetat pro republica; quod deceat, cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos. Quoniamque illa vox inhumana et scelerata ducitur, eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur: (quod vulgari quodam versu Graece pronuntiari solet:) certe verum est, etiam iis, qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos consulendum.

Αἱ δὲ πῖνναι ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βύσσου ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσιν· ἔχουσι δὲ πιννοφύλακα, αἱ μὲν καρίδιον, αἱ δὲ καρκίνιον, οὗ στερισκόμεναι διαφθείρονται θᾶσσον. Ad quae verba respexit Plin. lib. IX. cap. 45. §. 66. cum scribit *Concharum generis et pinna est. Nascitur in limosis subiecta semper, nec unquam sine comite, quem pinnoterem vocant, alii pinnophylacem: is est squilla parva, alibi cancer dapis assectator.* Ursin.

§. 64. *est vituperandus*] Sic Spir. Erl. Vulg. *vitup. est.*

vulgari quodam versu] Graecus, ad quem respexit, versus est:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Exstat apud Sueton. Neron. cap. 38. Dion. lib. LVIII. p. 634. et Ioann. Xiphilin. in Epit. p. 128. Stob. Ecl. Eth. II. p. 186. Hic idem versiculus in mente fuit Senecae de Clement. II, 2. Davis.

Ex hac animorum affectione testamenta com- XX.
mendationesque morientium natae sunt, quodque 65
nemo in summa solitudine vitam agere velit, ne- Dep. 104.
cum infinita quidem voluptatum abundantia; facile
intelligitur, nos ad coniunctionem congregationem-
que hominum et ad naturalem communitatem esse
natos. Impellimur autem natura, ut prodesse ve-
limus quamplurimis, in primisque docendo ratione-
busque prudentiae tradendis. Itaque non facile est 66
invenire, qui, quod sciat, non tradat ipse alteri.
Ita non solum ad discendum propensi sumus, verum 67
etiam ad docendum. Atque ut tauris natura da-
tum est, ut pro vitulis contra leones summa vi im-
petuque contendant: sic ii, qui valent opibus atque
id facere possunt, ut de Hercule et de Libero ac-
cepimus, ad servandum genus hominum natura
incitantur. Atque etiam, Iovem quum Optimum
et Maximum dicimus, quumque eumdem Salutarem,
Hospitalem, Statorem; hoc intelligi volumus, salu-
tem hominum in eius esse tutela. Minime autem
convenit, quum ipsi inter nos abiecti neglectique
simus, postulare, ut diis immortalibus cari simus
et ab iis diligamur. Quemadmodum igitur mem-
bris utimur prius, quam didicimus, cuius ea utili-
tatis caussa habeamus: sic inter nos natura ad ci-
vilem communitatem coniuncti et consociati sumus.
Quod ni ita se haberet, nec iustitiae ullus esset
nec bonitati locus. Et quomodo hominum inter 67
homines iuris esse vincula putant, sic homini nihil
iuris esse cum bestiis. Praeclare enim Chrysippus,

Cap. XX.

§. 66. *qui, quod sciat, non tradat ipse alteri*] Sic Spir. Erl. Vulg. *quod sciat ipse, non tradat alteri.*

Salutarem] Intelligitur Graecorum Ζεὺς Σωτήρ.

§. 67. *sic homini nihil iuris esse cum bestiis.*] Recte laudat Davis. Laert. VI, 129. Ἀρέσκει αὐτοῖς μηδὲν εἶναι ἡμῖν δίκαιον πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα διὰ τὴν ἀνομοιότητα. H. e. nullum ius intercedere homini cum bestiis, unde in has homo liberum habet arbitrium, etiam occidendi.

cetera nata esse hominum caussa et deorum; eos autem, communitatis et societatis suae; ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine iniuria. Quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet: qui id conservaret, eum iustum: qui migraret, iniustum fore. Sed quemadmodum, theatrum ut commune sit, recte tamen dici potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit: sic in urbe mundoque communi non adversatur ius, quo minus
68 suum quodque cuiusque sit. Quum autem ad tuendas conservandosque homines hominem natum esse videamus; consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam; atque, ut e natura vivat, uxorem adiungere et tollere ex ea liberos. Ne amores quidem sanctos

theatrum ut commune sit] h. e. *fac ut theatr. gesetzt, dass.* — 1. §. 68. *et tollere ex ea liberos*] Reddpi Goerenzii coniecturam ingeniosam, quum in omnibus codd. et editt. sit *et pelle*, quod facile oriri potuisse ex hoc compendio *elōllē* i. e. *et tollere* satis recte contendere videtur Goer., quod quum semper receptum esset, omnes retinuerunt, ascripto post voc. *liberos tollere*. Et fefellit fortasse librarios verbum *tollere* pro *procreare* sive *habere*. Nam qui liberos *ex* uxore procreatos ut suos agnoscebat, solebat eo vetere ritu humo tollere. Exempla huius significationis ubique sunt obvia v. c. Philipp. X, 23. *Is autem humilitatem despicere nullet cuiusquam; qui ex Fadia natullerit liberos?* Ad *velle* repetendum esset, ut ad *tollere*, *velit*, ut dicatur *velit, nolit*, quod male dictum esse omnes consentiunt. Accedit nobis Laert. VII, 121. *Πολιτεύεσθαι φασι τὸν σοφὸν, ἂν μήτι κωλύῃ — καὶ γαμήσειν — ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ παιδοποιήσασθαι.*

Ne amores quidem sanctos etc.] Intelligitur ille puerorum castus amor, qui magis ad morem Graecorum, quam Romanorum pertinet. Cfr. IV. Tusc. 34, 72. *Stoici vero et sapientem amaturum* (pueros) *esse dicunt; et amorem ipsum conatum amicitiae faciendae ex pulchritudinis specie definiunt.* Cfr. Diog. Laert. VII, 129. *καὶ ἐρασθήσεσθαι δὲ τὸν σοφὸν τῶν νέων τῶν ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐαν, ὥς φησι Ζήνων ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ βίων, καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ Ἠθικῇ.* Stob. Ecl. Eth. p. 184. *Τὸν δὲ ἔρωτά φασιν ἐπιβολὴν εἶναι φιλοποιΐας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον νέων ὡραίων· διὸ καὶ ἐρωτικὸν εἶναι τὸν σοφὸν ἐρασθήσεσθαι τῶν ἀξιεράστων ὄντων καὶ εὐφυῶν λέγουσιν.* Adeas etiam p. 169. Illis videlicet amor non fuit *συνουσίας ἀλλὰ φιλίας*. Vide Laert. VII, 130.

a sapiente alienos esse arbitrantur. Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, si quis eiusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit: alii nullo modo.

Ut vero conservetur omnis homini erga ho- XXI.
minem societas, coniunctio, caritas; et emolumen- 69
ta et detrimenta, (quae ὠφελήματα et βλάμματα appellant,) communia esse voluerunt: quorum altera prosunt, nocent altera. Neque solum ea communia, verum etiam paria esse dixerunt. Incommoda autem et commoda (ita εὐχρηστήματα et δυσχρηστήματα appello) communia esse voluerunt, paria noluerunt. Illa enim, quae prosunt aut quae nocent, aut bona sunt aut mala; quae sint paria necesse est. Commoda autem aut incommoda in eo genere sunt, quae praeposita et reiecta dicimus. Ea possunt paria non esse. Sed emolumenta communia esse dicuntur. Recte autem facta et peccata non habentur communia. Amicitiam autem adhiben- 70
dam esse censent, quia sit ex eo genere, quae

Cynicorum autem rationem] Cynici nomen habent a vita quasi canina (κυνός). Auctor sectae erat Antisthenes, Socratis discipulus. — κυνίειν σοφόν pro Stoicorum sententia testantur Laert. VII, 121. et Stob. Ecl. Eth. p. 184. Et sane, praeter Arrianum, Cynicam vitam summopere laudat Maxim. Tyr. Dissert. XX. A Stoicis nulla fere re differebant, nisi quod sordibus et impudentia gauderent, in propatulo res Veneris exercerent, in sermone decori rationem non haberent, et dialecticam, physicam disciplinasque liberales spernerent. Vide Laert. VI, 103. 104. Lactant. Div. Inst. III, 15. atque Epitom. cap. 39. denique Cic. Off. I, 35. 41. In vestitu quoque nonnulla fuit discrepantia, de qua consule Iuvenal. XIII, 121. *Dav.*

alii nullo modo] Hi sunt maxime a Panaetio inde Stoici recentiores: superiores enim omnes hac in re rigorosius iudicabant. *Goer.*

Cap. XXI.

§. 70. *ex eo genere, quae prosunt.*] Legit Lamb. *ex eorum genere, quae prosunt.* Probat hoc Orell., sed non recepit, neque recepturus erit is, qui Latine scit. Multa exempla laudavit Matthiae ad or. II. Catil. 10, 21. Simillimum est nostro loco §. 69. *commoda et incommoda in eo genere sunt, quae proposita et reiecta dicimus.* Nemo hic quicquam mutavit. Cfr. Ramshorn. p. 357.

prosunt. Quamquam autem in amicitia alii di-
p.105. cunt, aeque caram esse sapienti rationem amici ac suam: alii autem sibi cuique cariorem suam: tamen hi quoque posteriores fatentur, alienum esse a iustitia, ad quam nati esse videamur, detrahere quid de alique, quod sibi assumat. Minime vero probatur huic disciplinae, de qua loquor, aut amicitiam aut iustitiam propter utilitates ascisci aut probari. Eaedem enim utilitates poterunt eas labefactare atque pervertere. Etenim

Quamquàm — dicunt] Mirum est, neminem interpretum quidquam monuisse de coniunctivo modo cum partic. *quamquam* in oratione recta coniuncto. Praecipiunt enim grammatici partic. *quamquam* apud Ciceronem in orat. recta non coniungi cum coniunctivo. Sed haec res multas habet cautiones, et mihi haec regula ita emendanda videtur, ut ubi *quamquam* in orat. recta cum coniunctivo apud Cic. coniuncta reperiatur, quum respondeat nostrae part. *obgleich*, sequente part. *tamen*, nec ulla sententiae incertitudinis nota inveniatur, loci sint corrigendi omnes. Nam quos grammatici afferunt ita inter se dispares sunt, ut nulla prorsus iis fides haberi possit. Sed priusquam hanc rem latius exponam, dicendum est, quibus conditionibus coniunctivus apud Cic. cum part. *quamquam* coniunctus reperiatur.

1) *in orat. obliqua*, ubi quaeque part., quae alias cum indicat. tantum coniungitur, cum coniunctivo construitur, quoniam tum coniunctivus a ratione pendet, non a part.

2) ubi sententia *incertius* pronuntianda est ab auctore.

3) ubi *quamquam* est sententiam suam corrigentis, ita ut fere idem significet quod: *verum*, *tamen*, *iedòch*. Vide Zumpt. §. 341. not.

Praeter grammaticos plurimi VV. DD. hac de re disputarunt in commentariis ad Ciceronis scripta. Optime horum disputavit Ellendt. ad Cic. Brut. 30, 115. p. 86. seq. Cfr. quos ibi VV. DD. idem laudavit. Adde Matth. ad Cic. or. pro Muren. §. 20. Goerenz. in Jahn. Annal. philol. et paedag. I, 2. p. 321. Hoffmann ibid. II, 3. p. 261. Orell. in sua edit. Opp. Cic. Vol. IV. P. II. p. 313. not. 12. ad Offic. I, 2, 5. Wunder. ad orat. pro Planc. 2, 4. p. 62. seq., qui hoc in indice indicare neglexit. Goerenz. ad Legg. I, 8. Cfr. idem in Indicc. ad Legg. Acadd. Finn. Kuehner ad Tusc. V, 30. In emendandis locis facillime etiam sine MSS. emendantur ii, in quibus *a* et *e*, *o* et *a*, *i* et *u* confundi possunt. V. c. *putant* et *putent*; *loquor* et *loquar*; *possunt* et *possint*. Nunc videamus grammaticorum exempla. Zumpt. §. 574. affert Cic. de Or. III, 7, 27., quem locum recte interpretatus est Ellendt. l. c. Pertinet autem ex nostro schemate ad 2) Ep. ad Fam. IV, 4. extr. [leg. IV, 14, 4.] coniunctivus pertinet ad 1) ibid. XIII, 68, 1. pertinet ad 2) Verte enim *obgleich — ich wohl hören kann*. — Ramshorn, p. 596. Fin. III, 15. Ibi optt. codd. *negant* habent pro *negent*. vid. not. de Orat. III, 8. [male leg. 7, 27. vid. supra] in not. d) citat Fin. III, 21, 70, quem

nec iustitia nec amicitia esse omnino poterunt, nisi ipsae per se expetantur. Ius autem, quod ita di- 71
ci appellarique possit, id esse natura: alienumque esse a sapiente non modo iniuriam cui facere, verum etiam nocere. Nec vero rectum est, cum amicis aut bene meritis consociare aut coniungere iniuriam: gravissimeque et verissime defenditur, numquam aequitatem ab utilitate posse seiungi: et, quidquid aequum iustumque esset, id etiam honestum: vicissimque, quidquid esset honestum, id iustum etiam atque aequum fore.

locum Ellendt. loc. cit. recte mutandum censet. Lege pro *dicant*: *dicunt*. de Senect. 13, 44. hic optt. codd. habent *caret* pro *careat*. de Or. II. init. pertinet ad 2) Verte: *obwohl sie glauben mochten*. Brut. 30, 115. Vid. Ellendt. Emendatum est diu *quum* pro *quamquam*. — Aug. Grotef. §. 315. repetiit ex Ramshorn. Cic. de Fin. III, 15. *negent*. Vid. supra. — Veniamus ad eos, qui inter criticos coniunctivum defendere student, quorum princeps est Matthiae l. c., qui haec affert exempla: pro Muren. §. 20. *Atque haec, quamquam praesente L. Lucullo loquar, tamen — publicis literis testata sunt omnia*. Ern. susp. prob. Spalding. ad Quinctil. Procem. §. 18. *loquor*. Recte. Saepe enim *loquor* et *loquar* in MSS. confunduntur, ut simpliciter *or* et *ar*. Orat. II, 1. in. Vid. supr. III, 7, 27. vid. supra Brut. 30, 115. Vid. supr. Orat. 55, 183. Verte: *Iedoch — kann — scheinen*. Pertinet ad 1) pro Planc. 3, 8. *quamquam sim ingressus* emendavit e codd. Wunder in *sum ingressus*. Goer. tria vitia commisit, primum quod orationis obliquae exempla confudit cum rectae; deinde quod depravata exempla attulit; denique, quod ubi coniunctivus pendet a sententia, exempla proposuit, quae recte explicavit omnia Ellendt. Ego praeterea haec exempla notavi, in quibus omnibus coniunctivus dubitanter decernit Brut. 2, 8. or. in Vatin. 3, 9. 14, 33. pro Milon. 26, 70. Philipp. IV, 5, 11. VI, 1, 3. Ep. ad Fam. I, 2, 6. V, 21, 10. Ep. ad Att. I, 19. XVI, 3. Nubem autem illam exemplorum et a me et ab aliis excitatorum si diligenter consideraveris, videbis ad tria illa praecepta, ad quae accedit quartum corrigendi, posse et debere referri omnia.

nec iustitia nec amicitia esse — poterunt] Sic scripsit ex editt. vett. Orell., quum Goer. ex codd. retinuerit *nec iustitiae nec amicitiae*, quos nominativos idem pro dativis habet, ut referantur ad *utilitates* hoc sensu: *utilitates nec in iustitia nec in amicitia ullae esse possunt*. Sed non ita dicit Cicero. Aperte autem his verbis nova materies incipit. Orti sunt plurales numeri ex verbis *poterunt* et *expetantur*. Nam etsi multa substantiva abstracta plurali numero reperiuntur; *iustitia* tamen quum non possit in partes secari, non pluraliter potest dici.

§. 71. *aequum iustumque esset*] Brem. notat syntaxin *sit* postulare. At idem nihil monuit ad vv. II, 11, 34. Cfr. Wopkens

72 Ad easque virtutes, de quibus disputatum est, dialecticam etiam adiungunt et physicam: easque ambas virtutum nomine appellant: alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, neve unquam captiosa probabilitate fallamur, eaque, quae de bonis et malis didicerimus, ut tenere tuerique possimus. Nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse. Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ars ab his ea, quae tollit haec, virtus nominata est.

XXII. Physicae quoque non sine caussa tributus idem
73 est honos: propterea quod, qui convenienter naturae victurus sit, ei proficiscendum est ab omni mundo atque ab eius procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis et malis vere iudicare, nisi omni cognita ratione naturae et vitae etiam deorum, et utrum conveniat necne, natura hominis cum universa: quaeque sunt vetera praecepta sapientium, qui iubent *tempori parere*, et *sequi deum*, et *se noscere*, et *nihil nimis*. Haec sine physicis quam vim habeant, (et habent maximam), videre nemo potest. Atqui etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat, haec una cognitio potest tradere. Nec vero pietas adversus deos, nec, quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturae intelligi potest.

74 Sed iam sentio, me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet. Verum admirabilis compositio disciplinae incredibilisque rerum traxit ordo, quem, per deos immortales! nonne miraris? Quid enim aut in natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius, aut in operibus manu factis tam compositum tamque compactum et co-

Lectt. Tull. p. 34. et 126. Refertur imperfectum ad id tempus, quo primum hanc sententiam protulerunt Stoici.

agmentatum inveniri potest? Quid posterius priori non convenit? Quid sequitur, quod non respondeat superiori? Quid non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si unam literam moveris, labent omnia? Nec tamen quidquam est, quod moveri possit. Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis! qui, quum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus, vereque omnia ista nomina possideat, quae irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appel- 75
labitur rex, quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit: rectius magister populi, (is enim dictator est) quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister fuit: rectius dives, quam Crassus, qui, nisi eguis- p.106.
set, numquam Euphratem nulla belli caussa transire voluisset. Recte eius omnia dicentur, qui scit uti solus omnibus. Recte etiam pulcher appellabitur: animi enim lineamenta sunt pulchriora, quam corporis; recte solus liber, nec dominationi cuiusquam parens, neque obediens cupiditati. Re- 76
cte invictus, cuius etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula iniici nulla possint: neque exspectet ultimum tempus aetatis, ut tum denique

Cap. XXII.

§.74. *si unam literam moveris*] Sic scripsit Ern. de coniectura Marklandi, quae confirmatur a meo cod. Guelferbyt. Recte Ern. contulit infra IV, 19, 53. *Et ais, si una litera commota sit, fore, tota ut labet disciplina.* Compara Tusc. IV, 5, 10. *intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si unum aliquod effugerit.* Secuti sunt Ernestium Schuetz et Orell. Vulg. *si ullam.* Bas. om. *ullam.*

§. 75. *is enim dictator est*] Sic bini illi Goer. Vulg. *is enim est dictator.* — De *Magistro populi* vid. Varro IV. Lat. Ling. c. 14. *ut est summa populi Romani dictator, a quo is quoque magister populi appellatus.* Similiter *magister pecoris* dicitur. Cfr. II. Legg. 3, 9. *Goer.*

Crassus] De huius immensa pecuniae cupiditate vide Cic. Parad. VI.

§. 76. *neque exspectet* etc.] Respicitur his illud Solonis dictum ap. Herodot. I, 32. Cfr. supr. II, 27, 87.

iudicetur, beatusne fuerit, quum extremum vitae diem morte confecerit: quod ille unus e septem sapientibus non sapienter Croesum monuit. Nam si beatus unquam fuisset, beatam vitam usque ad illum a Cyro exstructum rogum pertulisset. Quod si ita est, ut neque quisquam, nisi bonus vir, et omnes boni beati sint: quid philosophia magis colendum, aut quid est virtute divinius?

M. TVLLII CICERONIS
DE
FINIBVS BONORVM ET MALORVM
LIBER QVARTVS.

Quae quum dixisset, finem ille. Ego autem, Nae I.
tu, inquam, Cato, ista exposuisti tam multa me- 1
moriter, tam obscura dilucide. Itaque aut omittamus contra omnino velle aliquid, aut spatium sumamus ad cogitandum. Tam enim diligenter, etsi minus vere, (nam nondum id quidem audeo dicere) sed tamen accurate non modo fundatam, verum etiam exstructam disciplinam non est facile perdiscere. Tum ille, Ain tandem, inquit, quum ego te hac nova lege videam eodem die accusa-

LIB. IV. Cap. I.

§. 1. *finem ille*] scil. *fecit*.

Tam enim diligenter — sed tamen] Est leve anacoluthon. Dicere debebat: *sed tam diligenter*, ut sensus sit: *etsi minus vere haec exposuisti, tamen difficile est, disciplinam tam bene fundatam exstructamque, tam accurate cognoscere, ut de ea iudicium ferre possis*. Apte contulit Davis. Ep. ad Fam. IX, 16. *Etsi non facile diiudicatur amor verus et fictus — sed ego uno utor argumento*. Cfr. Zumpt. §. 736. Plura exempla de partice. *sed tamen* post parenthesin habet Heindorf. ad Cic. N. D. I, 32, 91. Beier ad Off. I, 30, 105. p. 229. III, 26, 97. p. 365. I, 1, 2. p. 4.

hac nova lege] Vide Ascon. Pedian. p. 86. ed. Manut. Leges

tori respondere et tribus horis perorare, in hac me caussa tempus dilaturum putas? quae tamen a te agetur non melior, quam illae sunt, quas interdum obtines. Quare istam quoque aggredere, tractatam praesertim et ab aliis et a te ipso
2 saepe, ut tibi deesse non possit oratio. Tum ego, Non mehercule soleo temere contra Stoicos: non quo illis admodum assentiar, sed pudore impedior; ita multa dicunt, quae vix intelligam. Obscura, inquit, quaedam esse confiteor: nec tamen ab illis ita dicuntur de industria: sed inest in rebus ipsis obscuritas. Cur igitur easdem res, inquam, Peripateticis dicentibus, verbum nullum est, quod non intelligatur? Easdemne res, inquit? an parum disserui, non verbis Stoicos a Peripateticis, sed universa re et tota sententia dissidere? Atqui, inquam, Cato, si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit. Putabam equidem satis, inquit, me dixisse. Quare ad ea primum, si videtur. Sin aliud quid voles, postea. Immo

Pompeius duas ex S. C. promulgavit: alteram *de vi, qua nominatim caedem* (Clodii) *in Appia via factam, et incendium curiae, et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit; alteram de ambitu: poenam graviorem, et formam iudiciorum breviorem. Utraque enim lex prius testes dari, deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorari iubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur.* Cfr. Brut. 94, 324.

tempus dilaturum] Ern. recte interpretatur *dilationem daturum.*

agetur non melior, quam] Eleganter Cato ad eas causas respicit, quas Cicero magis ex oratorio artificio, quam ex rei veritate obtinebat. Dicere autem ille haec fingitur, ut causae suae confidens, et ad illa Ciceronis, *etsi minus vere*, reponens. Lambini igitur coniectura *non paulo melior* a tenore sententiaque loci aliena est. *Goer.*

§. 2. *soleo temere contra Stoicos*] scil. *dicere.*

non quo] Lambin. *non quod.* At vide Zumpt. §. 537. not. 2. Ochsner. p. 67. seq. Matth. ad or. pro Rosc. Am. 49, 141. pro leg. Manil. 24, 69. Beier. ad Fragm. or. pro Scaur. 2, 4. p. 147. Kritz. ad Sall. Catil. 34, 2. Krüger über die Attraktion. §. 105. p. 260. Praeterea notandum est, orationem sic pergere debuisse: *sed quod pudore impedior.* Vide de hoc anacoluthо Matth. ad or. pro leg. Manil. l. c. Adde Tusc. III, 22, 54. ex. Acad. II,

istud quidem, inquam, loco; nisi iniquum postulo, respondere arbitratu meo. Ut placet, inquit. Etsi enim illud erat aptius, aequum, cuique concedere.

Existimo igitur, inquam, Cato, veteres illos II.
Platonis auditores, Speusippum, Aristotelem, Xe- 3
nocratem; deinde eorum, Polemonem, Theophrastum, satis et copiose et eleganter habuisse con-

12, 37. in. de Orat. I, 18, 84. in. pro Flacc. 4, 9. in. Philipp. IX, 1, 1.

loco] i. e. *suo loco*. Sic saepe Cicero, ut IX. Ep. ad Div. 16. *etsi posuisti versus Attianos loco*. cll. III. Orat. 38, 153. II. Tusc. 11, 26. Pari ratione etiam *in locum* dicitur III. Off. 9, 2. II. N. D. 51, 128. Nihil igitur erat, cur nuperrime ad IV. Att. ep. 2. *quisque horum loco sententiam rogatus — multa disputavit, suo* adderetur.

respondere] Sic plane P. Rursus de Dav. susp. Schütz. Orell. Cet. *responde*, praeter L., qui coniecit *respondebo*. Vix dubium est, quin P. veram lectionem exhibeat, quae ad dialogi formam longe est aptior, quam vulgata *responde*, quae facile aut e compendio *respondē* oriri potuit, aut ex non intellecta part. *nisi*, quae h. l. ironicam vim habet, quam ita expresseris: *ich müsste denn etwas ungerechtes verlangen, nach meinem Willen zu antworten*. Vide Zumpt. §. 526. Veram autem esse hanc interpretationem, ostendunt quae sequuntur, ubi multum frustra laborarunt interpretes, quorum coniecturas nolo repetere, sed simpliciter, quid rei sit, explicabo. Coniungenda esse putarunt intpp. verba *aequum cuique concedere*, unde emendare vult Goer. ita: *etsi illud erat aptius, aequum unicuique concedere*, hoc sensu: *Etsi ratio a me proposita erat aptior, ad concedendum unicuique nostrum, quod aequum esset*. Hoc si ita esset, recte omitteretur *enim*, quod om. Marsus, M. L. G. (transponunt *illud enim* P. Cr.) Recte vulgatam ita explicavit Orell.: etsi erat aptius illo modo respondere, aequum tamen est, (*est* autem non, ut Orell. visum est, excidisse putandum est post *aequum*. Potest enim recte omitti.) aequum tamen ipse censeo, cuique (in levioribus eiusmodi rebus) concedere. Ut *unicuique* de Goer. susp. legatur, quia nusquam *quisque* de duobus dicatur, necesse non est. Est enim universalis sententia; verte: *einem ieden*, ut in illa formula *suum cuique tribuere, einem ieden das Seinige geben*.

Cap. II.

§. 3. *Speusippum*] Speusippus philosophus, Platonis ex sorore erat nepos, annos octo Platonicae scholae praefuit. Scripsit eius vitam Diog. Laert. IV, 1.

Xenocratem] Xenocrates Chalcedonensis, Platonis discipulus, florebat circa Ol. 110. Scripsit libros περὶ ἀρετῆς, quos commemorat Diog. Laert. IV, 12., ubi eius vita narratur.

eorum Polemonem] Putat Goer. omissum esse *discipulos*, ut saepe fiat. Sed h. l. hoc refugio non est opus, nam pendet genitivus *eorum* a v. *auditores*, quod est repetendum.

stitutam disciplinam, ut non esset caussa Zenoni, quum Polemonem audisset, cur et ab eo ipso, et a superioribus dissideret: quorum fuit haec institutio; in qua animadvertas velim, quid mutandum
5 putes; nec exspectes, dum ad omnia dicam, quae
p.107.a tib dicta sunt: universa enim illorum ratione
4 cum tota vestra confligendum puto. Qui quum viderent, ita nos esse natos, ut et communiter ad eas virtutes apti essemus, quae notae illustresque sunt, iustitiam dico, temperantiam, ceteras generis eiusdem; (quae omnes similes artium reliquarum, materia tantum ad meliorem partem et tractatione differunt;) easque ipsas virtutes viderent nos magnificentius appetere et ardentius; habere etiam insitam quamdam vel potius innatam cupiditatem scientiae, natosque esse ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque ge-

quid mutandum putes] Sic Spir. Erl. Vulg. *putes mutandum.* *universa — pute.*] Sensus est: *opponenda in universum Stoica disciplina illi Academicorum et Peripateticorum est, atque ita de illa iudicium ferendum.*

§. 4. *ceteras generis eiusdem*] Vulg. *ceterasque* editur. Sed secuti sumus Spir. Erl. *que* ex frequenti auctoris usu ignorantes. Cfr. III. Off. 10, 9. *honores, divitiae, voluptates, cetera generis eiusdem.* IV. Tusc. 31, 66. et infra V. Fin. 7, 18., ubi aeque *que* delenda fuit. *Goer.*, quem sequuntur Orell. et Nobbe. Plura exempla habet Kritz. ad Sall. Catil 15, 1. 43, 2. Intelliguntur autem binae reliquae virtutes cardinales *sapientia* et *fortitudo.*

quae omnes — differunt] *Similes* inde dicit maxime Cic. *virtutes artibus*, quod utraeque sunt *commentationis et exercitationis*, cfr. III, 15, 50. atque utraeque proxime ad animum referuntur: unde etiam artes Stoici in virtutibus ipsis numerabant. At *materiâ* praestant virtutes, quippe quibus *constantia vitae* elaboranda sit, vide l. l. artibus res externas fere earumque causas spectantibus. Inde illae quoque ratione et via, qua tractantur, ab his distinguuntur. *In meliorem partem*, pari ratione, qua *in bonam, in optimam partem*, dicitur, hoc sensu: *virtutes, ab ipsarum parte, meliore materia utuntur.* Goer., qui haec parenthesis signo notavit, quum verbis *easque ipsas virtutes viderent*, orationis filum retipiatur, ubi part. *que* respondet part. *et.*

insitam quamdam vel potius innatam] Recte h. l. Ern. ad verborum *insitam* et *innatam* discrimen attendere iubet. *Insitam* est *in natura acceptam*; sed cum h. v. interdum de iis dicatur, quae ita firmiter haerent, ut in naturam rei transisse videantur; explicandi causa cetera addita sunt. Quod si tenueris, defendi inde

neris humani, eaque in maximis ingeniis maxime elucere: totam philosophiam tres in partes diviserunt. Quam partitionem a Zenone [esse] retentam videmus. Quarum quum una sit, qua mores conformari putantur; differo eam partem, quae quasi stirps est huius quaestionis. Qui sit enim finis bonorum, mox. Hoc loco tantum dico, a veteribus Peripateticis Academicisque, qui, re consentientes, vocabulis differebant, illum locum, quem civilem recte appellaturi videmur, (Graeci πολιτικόν,) graviter et copiose esse tractatum. 5

Quam multa illi de republica scripserunt! quam III.
multa de legibus! quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt! Primum enim ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, tum definientes, tum partientes: ut vestri etiam: sed vos squalidius; illorum, vides, quam niteat oratio. Deinde ea, quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis! quam splendide! de iustitia, de forti- 6

verba videbis III. Off. 21, 4. *vel potius Euripides*, quae, ut spuria, cancellis nuperrime inclusa sunt; cum auctoris ibi sensus sit, *vel ut rectius Euripidem capitalem dicam, quippe qui Eteoclem tam capitalia loqui fecerit. Goer.*

[*esse*] *retentam videmus.*] Inclusi verb. subst. *esse*, quod hoc ordine exhibent Spir. et Erl., quum vulg. post *retentam* legatur, qua hexametri fit clausula, quam vitavit Cic. Vide Zumpt. §. 787. p. 565. ed. v. Recte Orell.: „fortasse delendum v. *esse*, ut vitetur hexametri exitus." — Profecta erat haec partitio a Platone, cfr. I. Acadd. 5, 19.

§. 5. *qua mores conformari putantur*] Fragm. Cic. de Fat. init. „*quia pertinet ad mores, quod ἦθος illi vocant, nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus: sed decet, augentem linguam Latinam, nominare moralem.*" Unde nostri philosophi usurparunt vocabulum *Moral.*

illum locum] Sic. Spir. Erl. vulg. *eum.* Rectius *illum* putat Goer., ut de re remotiore et modo in transitu monenda dictum.

Cap. III.

in orationibus] Sic vulgata, quam Orell. contra Goer., qui de coniectura scripsit *rationibus*, quod *orationes* nec de quibusque scriptis, nec de philosophicis dicerentur, et quod turbatus ordo esset, quum *orationes bene dicendi* iungi nequeat, ita defendit,

tudine, de amicitia, de aetate degenda, de philosophia, de capessenda republica, de temperantia; nec more hominum acu spinas vellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia

ut artes scripta diceret ἐσωτερικά, orationes ἐξωτερικά. Cfr. infra V, 5, 12. seq. *Orationes bene dicendi* non est coniungendum, sed ordo est *exempla bene dicendi*. Vulgaris ordo esset: *quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla bene dicendi in orationibus reliquerunt?* Sed ut oppositio melius servaretur, scripsit auctor ita, ut est in editt. et codd.

§. 6. *nec more hominum acu spinas vellentium, ut Stoici etc.*] Sic scripsit Orell. de coniectura Heinrichii ad Cic. fragm. or. pro Scaur. §. 20. p. 168. ed. Beier., ipso probante. Vulgata lectio est *de temperantia, de fortitudine, hominum de spinas vellentium, ut Stoici* etc. quacum consentiunt optimi codd. Spir. Erl. Palat. 1. et Crat. in marg. Om. insuper Spir. et Erl. negligentia scribae vv. *de amicitia*. At quum viderent scribae *de spinas vellentium* nihil esse, scripserunt alii *de spinis vell.* Cod. Bas. *vellentium de spinis*. Cod. Guelferbyt. habet: *de spinis valentium* cum nota supra versum: alii *volentium* pro *valentium*. Sed vix probabitur exemplis, dictum esse a Romanis *valere de re* h. e. *in Betreff einer Sache;* dixerint potius *a re valere*. Si exempla ostenderent, posse dici *valere de re*, fortasse veram iudicare possemus esse scripturam *de spinis valentium*, ita ut intelligantur Stoicorum spinae disserendi i. e. spinosae disputationes, quas obiicit auctor Stoicis de Fin. IV, 28, 79. Peripateticis Tuscul. Disp. IV, 5, 9. At unde accusativus ille *spinas* in optimis scriptis servatus? Vix potest dubitari, quin acu rem tetigerit sagaciter Heinrich. conliciens *acu spinas vellentium*. Facile enim potuisse *de* et *acu* a scribis confundi, non minus recte idem docuit: finge enim, scriptum fuisse *clei*, habetis *de*. Ita recte pendet accusat. *spinas* a v. *vellere*. Ductus est autem Heinrich. ad illam egregiam coniecturam simili loco fragmenti laudati, ubi est: *nec acu quaedam enucleata argumenta conquiram*, ad quem locum Cramer notavit haec: „Proverbialis locutio, qualis illa: *ad acunculam usque* in L. 1. C. Th. *de repud.*“ Quibus Heinr. addit: „Apud Ciceronem uno tantum loco adhuc exstabat *acus*, in Miloniana, [cap. 24.] ubi est *vulnus acu punctum*. Sed satis nota sunt illa apud Plautum, *rem acu tangere*, et *acum invenire:* ad quorum similitudinem de minuta et nimia quadam diligentia novatum hoc est aptissime, *rem acu enucleare*. Delitescit tertia acus alicubi apud Ciceronem, quam a nemine dum inventam demonstrabo. De Fin. B. et M. IV, 3, 6. nuper Goerenz. edidit acceptum a Marso: *nec more hominum vellentium spinas, ut Stoici, nec ossa nudantium*. Sed libri impressi scriptique habent, *hominum de spinas vellentium*. Undenam illud *de*, propagatum per libros? Spinas tenues, cuti infixas, acu evelli, quis nescit? Corrige *nec more hominum acu spinas vellentium*. Vox *acu* in praepositionem corrumpi potuit pluribus modis: qua quidem de re admonere peritos non est necesse.“ Cui Beier. haec: „Acu rem tetigit V. D. Nam *ossa nudare* ab anatomis tralatum i. e. q. μικρολογεῖν.“ — Voces *nec more*, a Marso repositae, etiamsi coniectura tantum

ornate vellent, enucleate minora dicere. Itaque quae sunt eorum consolationes! quae cohortationes! quae etiam monita et consilia, scripta ad summos viros! Erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicendi exercitatio duplex. Nam quidquid quaeritur, id habet aut generis ipsius sine personis temporibusque, aut, iis adiunctis, facti aut iuris aut nominis controversiam. Ergo in utroque exercebantur: eaque disciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam. Totum 7
genus hoc et Zeno et ab eo qui sunt, aut non potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt. Quamquam scripsit artem rhetoricam Cleanthes; Chrysippus etiam: sed sic, ut, si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Itaque vides, quo modo loquantur. Nova verba fingunt: deserunt usitata. At quanta conatur! mundum hunc omnem oppidum esse nostrum. Vides, quantam

esset, optima illa quidem, extrusae sunt per miseram repetitionem vv. *de fortitudine*, quae originem suam debent vocabulo *temperantiae*, quae virtutes scilicet coniunguntur ubique. At haec vv. ferri nequeunt. — In v. *philosophia* ne haereas cum Ern., recte docet Goer., philosophiam Ciceroni saepe ethicam i. e. doctrinam de finibus bonorum dici.

id habet — controversiam.] Haec accurate tractantur II. Orat. 15, 65. seqq.

§. 7. *ab eo qui sunt*] Ern. *profecti* addi voluit. At Bremi laudavit II. Orat. 38, 160. *Erat* (Critolaus) *ab isto Aristotele.* Tusc. II, 3, 7. *qui sunt ab ea disciplina.* Heusing. ad Offic. III, 33, 3. et Burmann. ad Quinctil. Instt. IV, 2, 1. Sic enim Graecos quoque praep. ἀπὸ uti, vid. Schaefer. Melett. Critt. p. 27. — „nec offendere debere *potuerunt* (ad quod idem Ern. *consequi* excidisse suspicatur,) cfr. Bentley. ad Horat. Od. I, 26, 10. et Heins. ad Ovid. Met. VIII, 883." *Goer.*

Chrysippus] De Chrysippi rhetorica vide I. Orat. 11, 50.

At quanta conatur!] Sic scripsit Orell. ex P. ut volebant D. et Ern. Vulgata *conantur* orta est e praecedd. *loquantur — — fingunt; deserunt.* At quae nunc dicuntur, ad unum Zenonem pertinent; sicut mox item Orell. pro *agas* scripsit e P. Iu. Cr. Dav. Sch. 2. *agat.*

oppidum esse etc.] Goer. dicit infinitivum esse ex admirantis ironia positum. At h. l. infinitivus pendet ex vv. *quanta conatur* h. e. quanta efficere conatur; vel *hoc efficere conatur, mundum hunc omnem* etc. unde exclamandi signum sustuli.

rem agat: ut, Circeiis qui habitet, totum hunc mundum suum municipium esse existimet. — Incendit igitur eos, qui audiunt. — Quid? ille incendat? Restinguet citius, si ardentem acceperit. Ista ipsa, quae tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem, a te quidem apte ac rotunde: quippe; habes enim a rhetoribus. Illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi! quam tantam volunt esse, ut beatum per se efficere possit. Pungunt, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis: quibus etiam qui assentiuntur, nihil com-
p.108. mutantur animo, et iidem abeunt, qui venerant: res enim fortasse verae, certe graves, non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius.

IV. Sequitur disserendi ratio cognitioque naturae.
8 Nam de summo bono mox, ut dixi, videbimus, et ad id explicandum disputationem omnem conferemus. In iis igitur partibus duabus nihil erat, quod Zeno commutare gestiret. Res enim praeclare se habent, et quidem in utraque parte. Quid enim ab antiquis ex eo genere, quod ad disserendum valet, praetermissum est? qui et definierunt plurima: et definiendi artes reliquerunt: quodque est definitioni adiunctum, ut res in partes dividatur, id et fit ab illis, et, quemadmodum fieri oporteat, traditur. Item de contrariis: a quibus ad genera formasque generum venerunt. Iam argumenti, ratione conclusi, caput esse faciunt ea, quae perspicua dicunt: deinde ordinem sequuntur:

Circeiis] *Circeii* urbs erat cum promontorio Veteris Latii, subiecta Pomptinae paludi.

quippe;] Vide Ramshorn. p. 562. Goer. laudat Cic. pro Milon. 18, 47. Brem i or. pro Caecin. 19.

Pungunt, quasi aculeis, interrog.] Cfr. Cic. Parad. Prooem. §. 2.

Cap. IV.

§. 8. *faciunt ea*] *faciunt* h. l. *est statuunt*. Cfr. I. N. D. 30, 88. *Age et his vocabulis deos esse fateamur, quibus a nobis nominantur.* Hoc si vidisset Brem., *esse* delendum non censuisset.

deinde ordinem sequuntur] Ratio contextorum haec est: „*Ar-*

tum, quid verum sit in singulis, extrema conclusio est. Quanta autem ab illis varietas argumen- 9
torum, ratione concludentium, eorumque cum captiosis interrogationibus dissimilitudo! Quid, quod pluribus locis quasi denuntiant, ut neque sensuum fidem sine ratione, nec rationis sine sensibus exquiramus, atque eorum alterum ab altero separemus? Quid? ea, quae dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis instituta sunt et inventa? De quibus etsi a Chrysippo maxime est elaboratum, tamen a Zenone minus multo, quam ab antiquis. Ab hoc autem quaedam non melius quam veteres: quaedam omnino relicta. Quumque 10
duae sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi: hanc posteriorem et Stoici et Peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt; hi omnino ne attige-

gumentum ratione conclusum est συλλογισμός, cuius maior propositio *caput* auctori vocatur; alias *primum* appellat II. Acad. 21, 67. seq. Haec *perspicua*, πρόδηλα, continere debet, i. e. τὰ αὐτόθεν ὑποπίπτοντα ταῖς τε αἰσθήσεσι καὶ τῇ διανοίᾳ, cfr. Sext. Emp. VIII. adv. Logic. II. p. 141. In propositione deinde minore *ordinem* sequebantur: id est accurate eam cum maiore cohaerentem, et ex ea consequentem volebant; unde Graece συνημμένον, ἑπόμενον, συνταχτικόν (λῆμμα) appellatur. Conclusio denique, quod in utraque propositione (auctor dicit *in singulis*, ἑκατέροις,) sumtum erat, verum esse colligit. *Goer.*

§. 9. *captiosis interrogationibus*] Hae sunt Stoicorum vid. c. 3, 7. ex.

atque eorum] Sic cum codd. Mars. Iu. Cr. G. Orell. — *atque ut eorum* P. V. M. Ern. Sch. At *ut* quum a pluribus codd. absit, verisimilius est a scribis additum esse, quam omissum.

tradunt et docent] *tradere* est historici more rem enarrare; *docere* rationum argumentorumque pondera addere.

ab illis instituta sunt et inventa?] Codd. omnes *instituta sunt, inventa sunt?* quorum ultimum ne glossema esse videatur, Goer. explicat: *sic instituta sunt, ut ipsorum inventores sint.*

Ab hoc] scil. *Chrysippo.*

veteres] *instituerunt* nempe.

§. 10. *illi*] Peripatetici; *hi* Stoici. Hac pronominum permutatione usus est, ut per *hic* melius sequentia cum antecedentibus coniungerentur. Nam de Stoicis plurimus auctori est sermo. — „Causam artis Topicae, a Stoicis relictae, hanc putabis, quod eam Aristoteles ad oratoriam, non ad disserendi artem accommodasset.“ *Goer.*

runt quidem. Nam e quibus locis, quasi thesauris, argumenta depromerentur, vestri ne suspicati quidem sunt; superiores autem artificio et via tradiderunt. Quae quidem res effecit, ne necesse sit, iisdem de rebus semper quasi dictata decantare, neque a commentariolis suis discedere. Nam qui sciet, ubi quidque positum sit, quaque eo veniat, is, etiam si quid obrutum erit, poterit eruere semperque esse in disputando suus Quod etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur: ars tamen dux certior, quam natura. Aliud est enim, poetarum more verba fundere; aliud, ea, quae dicas, ratione et arte distinguere.

V. 11 Similia dici possunt de explicatione naturae, qua hi utuntur et vestri: neque vero ob duas modo caussas, quod Epicuro videtur, ut pellatur mortis et religionis metus; sed etiam modestiam quamdam cognitio rerum caelestium affert his, qui videant, quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo: et magnitudinem animi, deorum opera et facta cernentibus: iustitiam etiam, quum

artificio et via] Idem valent, quod alias *ratione et via*, nisi quod h. l. artificiosa docendi ratio intelligitur. Mox sequitur *ratione et arte*.

Quae quidem res effecit, ne necesse sit] Vulg. *efficit*, scil. propter seq. praes. *sit*. Egregie vero Goer. explicat *effecit*, h. e. qua quidem re effectum est, ut iam necesse non sit.

suus] h. e. *non ab aliis pendebit*.

Quod etsi] Bas. *quodsi*. At vide ad III, 18, 59.

ars tamen dux] Sic dedi e Spir. Erl. Vulg. *ars tamen est dux*.

Cap. V.

§. 11. *hi*] Peripatetici, *vestri* Stoici. Nam horum decreta toto hoc libro comparat.

cognitio rerum caelestium] *caelestium* ignorat Gud. 1. 2. et Bas. Sed cum Physica veterum, qua de agitur, *cognitio sit rerum divinarum*, et *caelestia* auctori cuncta dicantur, quae ad eas referuntur, atque ita *humanis* crebro opponantur, cfr. Or. 34, 119., prave haec vox omissa putabitur. *Goer.* — Verbis praecedd. *sed etiam* addit Dav. *quia*; Lambin. coniecit *sed quod et*. At saepe post *sed* periodus per anacoluthon aliter conformatur. Vide Excurs. de Anacoluthis ap. Cicer.

cognitum habeas, quod sit summi rectoris ac domini numen, quod consilium, quae voluntas: cuius ad naturam apta ratio, vera illa et summa lex a philosophis dicitur. Inest in eadem explicatione 12
naturae insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus voluptas: in qua una, confectis rebus necessariis, vacui negotiis, honeste ac liberaliter possumus vivere. Ergo in hac ratione tota de maximis fere rebus Stoici illos secuti sunt, ut et deos esse et quattuor ex rebus omnia constare dicerent. Quum autem quaereretur res admodum difficilis, num quinta quaedam natura videretur esse, ex qua ratio et intelligentia oriretur, in quo etiam de animis, cuius generis essent, quaereretur: Zeno id dixit esse ignem: nonnulla deinde aliter, sed ea p.109.
pauca. De maxima autem re, eodem modo, divina mente atque natura mundum universum atque eius maximas partes administrari: materiam vero rerum et copiam apud hos exilem, apud illos uberrimam reperiemus. Quam multa ab his con- 13
quisita et collecta sunt de omnium animantium genere, ortu, membris, aetatibus! quam multa de rebus iis, quae gignuntur e terra! quam multae, quamque de rebus variis, et caussae, cur quidque fiat, et demonstrationes, quemadmodum quaeque fiant! Qua ex omni copia plurima et certissima argumenta sumuntur ad cuiusque rei naturam explicandam. Ergo adhuc, quantum equidem intelligo, caussa non videtur fuisse mutandi nominis. Non enim, si omnia non sequebatur, iccirco non erat ortus illinc. Equidem etiam Epi-

§. 12. *quinta quaedam natura*] Intelligitur Aristotelia illa ἐντελέχεια, de qua vide Tuscul. I, 10, 22. ibique Kühner.

nonnulla deinde aliter] Nempe Peripatetici mundum animosque aeternos, deumque primum motorem statuebant etc., inque his dissentiebant Stoici.

§. 13. *ab his*] *Peripateticis.*

curum, in physicis quidem, Democritium puto: pauca mutat, vel plura sane. At quum e plurimis eadem dicit, tum certe de maximis. Quod idem quum vestri faciant, non satis magnam tribuunt inventoribus gratiam. Sed haec hactenus.

VI. Nunc videamus, quaeso, de summo bono, 14 quod continet philosophiam, quid tandem attulerit, quamobrem ab inventoribus, tamquam a parentibus, dissentiret. Hoc igitur loco, quamquam a te, Cato, diligenter est explicatum, finis hic bonorum, et quis a Stoicis, et quemadmodum diceretur: tamen ego quoque exponam, ut perspiciamus, si potuerimus, quidnam a Zenone novi sit allatum. Quum enim superiores, e quibus planissime Polemo, secundum naturam vivere, summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari Stoici dicunt: unum eiusmodi, vivere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura evenirent. Hunc ipsum Zenonis aiunt esse finem, declarantem illud, quod a te dictum est, convenien- 15 ter naturae vivere: alterum significari idem, ut si diceretur, officia omnia media aut pleraque servantem, vivere. Hoc sic expositum dissimile est superiori. Illud enim rectum, quod κατόρθωμα dicebas, contingit sapienti soli: hoc autem inchoati cuiusdam officii est, non perfecti; quod cadere in nonnullos insipientes potest. Tertium autem, omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum naturam sunt, fruentem, vivere, hoc non est

Democritium] Sic Orell. e V. — Vulg. *Democritum*. Sed vereor, ut dici possit *Epicurum puto Democritum esse* pro *Epicurum eundem esse puto, qui Democritus est*. Et saepe sic nominum propriorum adiectiva cum substantivis permutantur.

Cap. VI.

§. 14. *quid tandem attulerit*] Sic codd. P. Iu. Cr. V. — *equid* M. L. seqq. Sed *quid* est *quid sit, quod.*

esse finem] Sic dedi e Spir. Erl. — Vulg. *finem esse.*

§. 15. *quae secundum naturam sunt*] *Sunt* Spir. Erl. idque

positum in nostra actione. Completur enim et ex eo genere vitae, quod virtute finitur, et ex iis rebus, quae secundum naturam sunt, neque sunt in nostra potestate. Sed hoc summum bonum, quod tertia significatione intelligitur, eaque vita, quae ex summo bono degitur, quia coniuncta ei virtus est, in sapientem solum cadit: isque finis bonorum, ut ab ipsis Stoicis scriptum videmus, a Xenocrate atque ab Aristotele constitutus est. Ita- 16
que ab his constitutio illa prima naturae, a qua tu quoque ordiebare, his prope verbis exponitur.

Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut et VII.
salva sit et in genere conservetur suo. Ad hanc rem aiunt artes quoque requisitas, quae naturam adiuvarent: in quibus ea numeretur in primis, quae est vivendi ars, ut tueatur, quod a natura datum sit; quod desit, acquirat: iidemque diviserunt naturam hominis in animum et corpus. Quumque eorum unumquodque per se expetendum esse di- p.110.
xissent, virtutes quoque utriusque eorum per se expetendas esse dicebant: quum animum quadam infinita laude anteponerent corpori, virtutes quoque animi bonis corporis anteponebant. Sed quum 17
sapientiam totius hominis custodem et procuratricem esse vellent, quae esset naturae comes et adiutrix: hoc sapientiae munus esse dicebant, ut eum tueretur, qui constaret ex animo et corpore;

dedit Goer., qui indicativum in circumlocutione recte probavit. Cfr. Zumpt §. 546. — Vulg. est *sint*.

finitur] i. e. continetur, comprehenditur. Vide supra III, 14, 46.

§. 16. *constitutio illa prima naturae*] h. e. *prima illa quaestio de iis, quae ad naturam pertinent.*

Cap. VII.

quadam infinita laude] Erl. Bas. Monac. Cr. *infinita quadam laude*, quae lectio originem debet scribis, quibus altera verborum collocatio insolentior videbatur. Nam nostris etiam temporibus offenderunt critici in hoc pronominis ad mitigandam audaciorem dictionem positi ordine. Ut de Or. I, 5, 16. *quandam incredibilem magnitudinem.* Müller. coniecit *incredib. quand. m.* Cui Orell. haec opponit exempla: ibid. cap. 19, 85. *quadam incre-*

in utroque eum iuvaret et contineret. Atque ita re primo simpliciter collocata, reliqua subtilius persequentes, corporis bona facilem quamdam rationem habere censebant. De animi bonis accuratius exquirebant: in primisque reperiebant, inesse in his iustitiae semina: primique ex omnibus philosophis a natura tributum esse docuerunt, ut ii, qui procreati essent, a procreatoribus amarentur, et id, quod temporum ordine antiquius est, ut coniugia virorum et uxorum natura coniuncta esse dicerent: qua ex stirpe orirentur amicitiae cognationum. Atque ab his initiis profecti omnium virtutum et originem et progressionem persecuti sunt. Ex quo magnitudo quoque animi existebat, qua facile posset repugnari obsistique fortunae, quod maximae res essent in potestate sapientis. Varietates autem iniuriasque fortunae facile veterum philosophorum praeceptis instituta vita supe-
18 rabat. Principiis autem a natura datis, amplitudines quaedam bonorum excitabantur, partim profectae a contemplatione rerum occultiorum, quod erat insitus menti cognitionis amor, ex quo etiam rationis explicandae disserendique cupiditas consequebatur: quodque hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps, appetensque coniunctionem hominum ac societatem, animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret aut diceret, ut ne quid ab eo fieret, nisi honeste ac decore; his initiis, ut ante dixi, tamquam seminibus, a natu-

dibili varietate. pro Milon. 37, 101. *quodam incredibili robore animi.* Ceterum plurima exempla huius pron. indef. *quidam* usus congessit Beier. ad Offic. I. p. 151.

§. 17. *in utroque eum iuvaret et contineret.*] Ita haud improbabiliter egendum esse censet Goer. ex vestigiis Spir. et Erl., in quibus est *in utroque eum iuvaret contineret.* Facile *et* post *iuvaret* excidere potuit. Vulg. est *iuvaret eum atque contin.*

§. 18. *contemplatione rerum occultiorum*] i. e. difficiliorum perspectu. Quidam codd. *occultarum*, sed hanc esse emendationem, facile intellexeris.

nisi honeste ac decore] Sic Spir. Erl. Vulg. *et decore.*

ra datis, temperantia, modestia, iustitia et omnis honestas perfecte absoluta est.

Habes, inquam, Cato, formam illorum omni- VIII.
um, de quibus loquor, philosophorum. Qua ex- 19
posita, scire cupio, quae caussa sit, cur Zeno ab hac antiqua institutione desciverit: quidnam horum ab eo non sit probatum. Quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint? an quod omne animal ipsum sibi commendatum, ut se et salvum in suo genere incolumeque vellet? an, quum omnium artium finis is esset, quid natura maxime quaereret, idem statui debere de totius arte vitae? an quod, quum animo constaremus et corpore, et haec ipsa et eorum virtutes per se esse sumendas? An vero displicuit ea, quae tributa est animi virtutibus tanta praestantia? an, quae de prudentia, de cognitione rerum, de coniunctione generis humani, quaeque ab eisdem de temperantia,

Cap. VIII.

§. 19. *illorum — philosophorum*] i. e. Peripateticorum. Sequitur nunc Stoicorum ratio.

Quodne etc.] i. e. *num propterea desciverint, quod omnem naturam conservatricem sui dixerint.*

an quod] i. e. *an propterea, quod dixerint omne animal ipsum sibi commendatum, ut se et salvum in suo genere incolumeque vellet.* Mirum in his est, quod Orell. probaverit Lamb. rationem, qui delevit *et* ante *salvum*, cui respondet *que*, ut saepe. Cfr. Ramshorn. p. 518. Vide Tusc. Disp. I, 2, 4. *et Epaminondas — Themistoclesque.* Acad. I, 12, 43. *Et breviter sane — minimeque obscure.* Cfr. Goerenz. ad Legg. I, 24. extr. Giese ad Cic. de Divin. I, 55, 126.

an, quum omnium etc.] i. e. *an quod dixerint, quum omnium artium finis eo tenderet, ut viderent, quid natura maxime quaereret, idem statui debere de totius arte vitae.* Ex hac paraphrasi apparet simul, non opus esse ut *is* et *quid* mutentur secundum Bremium in *id* et *quod*. Nam verborum *omnium artium finis is esset* sensus est: *omnes artes id spectare, quid* etc. (h. e. *finis earum hic est, ut spectent, quid* etc.) Haec si recte intellexi, vides unde pendeat *quid*. Nescio cur hoc non probet Brem., qui sensum esse dicit hunc: *artium finem esse, ut obtineant, quod naturae maxime sit consentaneum.* Artes autem non propter se inventae sunt, sed propter homines, qui iis ad vitam recte agendam utantur.

an quod, quum etc.] H. e. *an quod dixerint quum* etc. Hinc vides, male Goer. putasse *quod quum* esse coniungenda, ut alias

de modestia, de magnitudine animi, de omni honestate dicuntur? Fatebuntur Stoici, haec omnia dicta esse praeclare. Neque eam caussam Zenoni desciscendi fuisse.

20 Alia quaedam dicent, credo: magna antiquorum esse peccata, quae ille, veri investigandi cupidus, nullo modo ferre potuerit. Quid enim perversius, quid intolerabilius, quid stultius, quam bonam valitudinem, quam dolorum omnium vacuitatem, quam integritatem oculorum reliquorumque sensuum ponere in bonis potius, quam dicere, nihil omnino inter eas res iisque contrarias interesse? Ea enim omnia, quae illi bona dicerent, praeposita esse, non bona: itemque illa,
p.111. quae in corpore excellerent, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda: sumenda potius, quam expetenda; eademque omni vita, quae in una virtute consisteret: et illam vitam, quae etiam ceteris rebus, quae essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam: quumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit, tamen quaedam deesse sapientibus, tum, quum sint beatissimi: itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates repellant.

quod etsi. Ern. et Hottinger. ad II. Divin. 28. p. 235. quum non intelligerent, omnes infinitivos pendere a verbo *dixerint*, deleri iusserunt *quum*, ut coniungerentur verba *an*, *quod animo* etc.

§. 20. *praeposita esse*] H. e. *talia*, *quibus adipiscamur bona.* Vide III, 17, 56. seqq.

eademque etc.] Hanc lectionem e codd. dedit Goer. Recepit dubitanter Orell. — Vulg. est: *Eademque de omni vita — illam vitam.* At *de* abest ab optimis codd. et partic. *et* de coniectura addidit Goer. Vulgata est ab eo, qui constructionem non intellexit, quae haec est: *eademque* (quae modo enumeravi) *omni vita, quae in una virtute consisteret: sumenda esse* (quod non bis posuit, quia vulgaris ratio grammatica praedicatum, quod duobus membris est commune semel tantum poni iubet) *et illam vitam — magis expetendam non esse, sed magis sumendam.* Unde non opus est coniectura illa Davisii *sumenda potius, quam expetenda ea: denique omni vita.* Quae Orell. ita vult distinguere: *ea denique omni vita* etc.

O magnam vim ingenii caussamque iustam, IX.
cur nova exsisteret disciplina! Perge porro. Se- 21
quentur enim, quae tu scientissime complexus es, omnem insipientiam, iniustitiam, alia vitia similia esse, omniaque peccata esse paria, eosque, qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plene consecuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum vitam et improbissimorum quidquam omnino interesse: ut Plato, tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius, quam quivis improbissimus, nec beatius vixerit. Haec videlicet est correctio philosophiae veteris et emendatio. Quae omnino aditum habere nullum potest in urbem, in forum, in curiam. Quis enim ferre posset ita loquentem eum, qui se auctorem vitae graviter et sapienter agendae profiteretur: quumque idem sentiret, quod omnes, quibus rebus eamdem vim tribueret, alia nomina imponentem, verba modo mutantem, de opinionibus nihil detrahentem? Patronusne caussae, in epilogo pro 22
reo dicens, negaret esse malum exsilium, publicationem bonorum? haec reiicienda esse, non fugienda? nec misericordem iudicem esse oportere? in concione autem si loqueretur, si Hannibal ad

Cap. IX.

§. 21. *profiteretur*] Adduntur vulgo verba *nomina rerum commutantem*, quae summo iure suspecta fuerunt Manutio, Davis. Ernest., quum eadem mox his verbis dicantur *alia nomina imponentem: verba modo mutantem.* Saepe autem videmus talia glossemata in omnibus propagata esse codd. Est autem ab eo, qui ad *ita* explicationem addere vellet. Nam quam defensionem suscepit Orell., non assequor. Explicat verba ita: vera rerum vocabula recepta a consuetudine pervertere. At hoc ipsum postea auctor dicit. Quod autem putat, aequo iure suspecta esse posse verba *verba modo mutantem*, non verum est; haec enim opponuntur verbis *alia nomina imponentem.* Ego nullo pacto illa verba defenderim. Inclusit ea Goer. Delevit, ut ego, Schuetz.

§. 22. *reiicienda esse, non fugienda*] Reiiciuntur Stoicis ἀδιάφορα τῶν ἀλήπτων, fugiuntur mala. *Reiicienda* autem sunt τῶν ἀποπροηγμένων, quae auctor *reiecta* vertit. Vid. supra III, 16, 52. *Goer.*

portas venisset murumque iaculo traiecisset, negaret esse in malis capi, venire, interfici, patriam amittere? An senatus, quum triumphum Africano decerneret; QUOD EIUS VIRTUTE aut FELICITATE, posset dicere, si neque virtus in ullo, nisi in sapiente, nec felicitas vere dici potest? Quae est igitur ista philosophia, quae communi more in foro loquitur, in libello, suo? praesertim quum, quod illi suis verbis significent, in eo nihil nove-
23 tur; eaedem res maneant alio modo. Quid enim interest, divitias, opes, valitudinem, bona dicas, anne praeposita, quum ille, qui ista bona dicit, nihilo plus his tribuat, quam tu, qui eadem illa praeposita nominas? Itaque homo in primis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Laelii, Panaetius, quum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet; quod esse caput debebat, si probari posset, nusquam posuit, non esse malum dolorem: sed quid esset et quale quantumque in eo inesset alieni, deinde, quae ratio esset perferendi: cuius quidem, quoniam Stoicus

Quod eius virtute aut felicitate] Respicitur ad decreti voces *Quod enim virtute res prospere gestae sunt; diis immortalibus* etc. item *Quod enim felicitate respublica bene gesta est; et diis immortalibus honorem haberi iubemus, et — triumphum decernimus.*

in eo nihil novetur] In plurimis codd. adduntur verba *de ipsis rebus nihil mutetur.* Quae, quum absint a Gud. 2. ad uncos damnavit Goer. Quem secutus est Orell. — Ern. inclusit tantum vv. *nihil mutetur.* At mihi certissimum est, prorsus delenda esse verba, orta ex vv. *in eo nihil novetur* per interpretationem, ut §. 21.

§. 23. *anne praeposita*] Ern. *an* vult, *ne* deleta. Sufficit sane *an* simplex. At pendet haec res a codd. auctoritate, a quibus si retinetur *anne*, nihil nobis est iuris particulae *ne* delendae. Respondet *anne* nostro *oder ob.* Multa exempla collegit Matthiae ad Cic. or. pro leg. Manil. §. 57.

Q. Tuberonem] *Q. Tubero* Stoicus, P. Scipionis Africani sororis filius.

de dolore pati[illegible] [illegible] Panaetii librum haud dubie re-
[illegible]ntur, qu[illegible] [illegible]. Att. c. 5. de improbata ab
[illegible]dem ab[illegible] ἀναδείᾳ narrat. *Goer.*
qu[illegible] Vide II. Tusc. 21, 47.

fuit, sententia condemnata mihi videtur esse immanitas ista verborum.

Sed ut propius ad ea, Cato, accedam, quae X.
a te dicta sunt, pressius agamus, eaque, quae 24
modo dixisti, cum iis conferamus, quae tuis antepono. Quae sunt igitur communia vobis cum antiquis, his sic utamur, quasi concessis; quae in controversiam veniunt, de iis, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet agi subtilius et, ut ipse dixisti, pressius. Quae enim adhuc protulisti, popularia sunt: ego autem a te elegantiora desidero. A mene tu, inquam? Sed tamen enitar, et, si minus mihi multa occurrent, non fugiam ista popularia. Sed positum sit primum, 25
nosmetipsos commendatos esse nobis, primamque p. 112.
ex natura hanc habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos. Hoc convenit. Sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut nos, quales oportet esse, servemus. Sumus igitur homines: ex animo constamus et corpore; quae sunt cuiusdammodi; nosque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, haec diligere constituereque ex his finem illum summi boni atque ultimi:

immanitas] Quippe quae doloris sensus, humanae naturae consentaneos exuere omnes iubeat. In Spir. Erl. et uno cod. Ursini est *inanitas* h. e. inanis illa verborum, non rerum discrepantia, quae ad h. l. nihil facit.

Cap. X.

§. 24. *pressius agamus*] I. e. *singula diligenter considerabimus.*
popularia] H. e. *ad populi captum accommodata.*
minus mihi multa] Offenderunt critici in adiectivo *multa*, quod nullam habebat oppositionem vocis *popularia*. Unde Davis. coniecit *culta*; Goer. *nimis involuta* i. e. *obscura intellectuque* Ern. *elegantiora* intelligit; mavult tamen vocem de- te intelligit *elegantiora* Ern., quod facile ex his con- potest. Nihil ergo muto.
positum sit] H. e. *ut concessum sumamus.*
sunt cuiusdammodi] Recte haec Ern. ex Graecis *ποῖά* icat. Vide infra V, 12, 36. Iam vero animus non esse d etiam cuiusdammodi esse debet. II. Divin. 15, 34. i ipsius explicationem I. Acadd. 7, 25. seqq. *Goer.*

quem, si prima vera sunt, ita constitui necesse est, earum rerum, quae sunt secundum naturam,
26 quam plurima et quam maxima adipisci. Hunc igitur finem illi tenuerunt: quodque ego pluribus verbis, illi brevius, secundum naturam vivere, hoc his bonorum videatur extremum.

XI. Age nunc isti doceant, vel tu potius (quis enim ista melius?) quonam modo, ab iisdem principiis profecti, efficiatis, ut honeste vivere, (id est enim vel e virtute, vel naturae congruenter vivere) summum bonum sit, et quonam modo, aut quo loco corpus subito deserueritis omniaque ea, quae secundum naturam quum sint, absint a nostra potestate: ipsum denique officium. Quaero igitur, quo modo hae tantae commendationes a natura profectae subito a sapientia relictae sint.
27 Quod si non hominis summum bonum quaereremus, sed cuiusdam animantis: is autem esset nihil, nisi animus: (liceat enim fingere aliquid eiusmodi, quo verum facilius reperiamus) tamen illi animo non esset hic vester finis. Desideraret enim valitudinem, vacuitatem doloris: appeteret etiam conservationem sui earumque rerum custodiam: finemque sibi constitueret, secundum naturam vivere: quod est, ut dixi, habere ea, quae secundum naturam sint, vel omnia, vel plurima et maxima.

vera sunt] Sic Orell. scripsit e Spir. Erl. Monac. — Vulg. *sint*, sed nulla est dubitatio. Est enim i. q. *si prima vera sunt, sicut sunt* etc.

§. 26. *hoc his bonorum videatur extremum.*] Sic omnes Goer. codd. Vulg. *videtur*. At retineo ego coniunctivum, qui significat: es mag ihnen scheinen. Nam haec, ut mihi quidem videtur, coniungenda sunt cum superioribus et ita distinguenda membra, ut distinxi. Vulg. post *vivere* punctum ponitur. Verba *secundum naturam vivere* per epexegesin posita sunt. Verte locum ita: *Diese Gränze also nahmen sie an; und was ich mit mehreren Worten, jene kürzer, sagten, nämlich der Natur gemäss leben, das mag ihnen als das höchste der Güter erscheinen.* Ad verba *pluribus verbis* et *brevius* omissum est, ut fit in brevibus sententiis, verbum *dicendi*.

Cuiuscumque enim modi animal constitueris: neces- 28
se est, etiam si id sine corpore sit, ut fingimus,
tamen esse in animo quaedam similia eorum, quae
sunt in corpore: ut nullo modo, nisi ut exposui,
constitui possit finis bonorum. Chrysippus autem
exponens differentias animantium, ait alias earum
corpore excellere, alias autem animo, nonnullas
valere utraque re: deinde disputat, quod cuiusque
generis animantis statui deceat extremum. Quum
autem hominem in eo genere posuisset, ut ei tri-
bueret animi excellentiam: summum bonum id
constituit, non ut excellere animo, sed uti nihil
esse praeter animum videretur.

Uno autem modo in virtute sola summum bo- XII.
num recte poneretur, si quod esset animal, quod
totum ex mente constaret: id ipsum tamen sic, ut
ea mens nihil haberet in se, quod esset secundum
naturam: ut valitudo est. Sed id ne cogitari qui- 29
dem potest, quale sit, ut non repugnet ipsum
sibi. Sin dicit obscurari quaedam, nec apparere,
quia valde parva sint, nos quoque concedimus.
Quod dicit Epicurus de voluptate, quae minimae
sint voluptates, eas obscurari saepe et obrui. Sed
non sunt in eo genere tantae commoditates cor-
poris tamque productae temporibus tamque mul-
tae. Itaque, in quibus propter earum exiguita-
tem obscuratio consequitur; saepe accidit, ut nihil
interesse nostra fateamur, sint illa, necne sint: ut

Cap. XI.

§. 28. *Chrysippus* etc.] Haud dubie Chrysippus haec in li-
bris περὶ τελῶν scripsit: certe haec Chrysippea supra Cato III,
5, 18. sua fecerat. Ut vel inde intelligatur, Ciceronem libro III.
nunc ducem secutum esse. *Goer.*

Cap. XII.

Uno — modo] H. e. *uno tantum modo.*

§. 29. *Sin dicit obscurari quaedam*] His respondetur ad ea,
quae III, 14, 45. seq. ponebantur, et *dicit* ad Chrysippum refe-
rendum est. — Vult auctor *vim rerum corporearum ad virtutis
splendorem evanescere sic, ut nullum momentum faciat. Goer.*

in sole, quod a te dicebatur, lucernam adhibere nihil interest, aut teruncium adiicere Croesi pecuniae. Quibus autem in rebus tanta obscuratio non
p.118. sit, fieri tamen potest, ut id ipsum, quod interest, non sit magnum. Ut ei, qui iucunde vixerit annos decem, si aeque vita iucunda menstrua addatur; quia momentum aliquod habeat ad iucundum accessio, bonum sit: sin autem id non concedatur, non continuo vita beata tollitur. Bona autem corporis huic sunt, quod posterius posui, similiora. Habent enim accessionem dignam, in qua elaboretur: ut mihi in hoc Stoici iocari videantur interdum, quum ita dicant, si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, cui haec adiecta sint, nec beatiorem tamen ob eam caussam
31 fore. Hoc simile tandem est non risu potius, quam oratione eiiciendum? Ampulla enim sit, necne sit, quis non iure optimo irrideatur, si laboret? At vero gravitate membrorum et cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam ineat gratiam: nec, si ille sapiens ad tortoris equuleum a tyranno ire co-

§. 30. *in qua elaboretur*] H. e. *quam tibi conciliare studeas.*

ampulla aut strigilis accedat] Mira sane est haec rerum *minimi momenti* designatio; nisi cum vilitate usus quoque eorum necessitas iudicanda fuit. Haec enim utensilia sunt balneorum, quibus Graeci Romanique veteres ita adsueti erant, ut carere iis non possent. Iungitur sic etiam alias ampulla strigili Apul. Floridd. p. 122. ed. Bipont. *strigilem et ampullam ceteraque balnei utensilia;* apud quem etiam accuratam utriusque utensilis descriptionem vide p. 121. ad quem locum Pet. Colvium conferas, aliosque Apul. intt. *Goer.*

cui haec adiecta sint] Sic scripsit Orell. cum Mars. codd. Davis. Schuetz. — Vulg. *quo*, quod ortum est ex antiqua forma *quoi* pro *cui*.

§. 31. *Ampulla enim sit, necne*] scil. *quae ad vitam cum virtute degendam accedat.*

gravitate] Bentleius ad Tuscul. III, 1, 1. *pravitate* corrigi voluit. At hoc non opus est. Recte enim Kuehner ad eund. locum docet, pravitatem corporis fieri, quum languescat corpus et quasi quodam pondere prematur, ut membra suis aegre fungantur muneribus. Sic Graece βαρύτης σώματος. Accedit, quod corporis pravitas non potest levari, ut h. l. docetur.

nec si ille sapiens] Innuit auctor *illum* Epicuri sapientem, *qui*

gatur, similem habeat vultum, ut si ampullam perdidisset: sed, ut magnum et difficile certamen iniens, quum sibi cum capitali adversario, dolore, depugnandum videret, excitaret omnes rationes fortitudinis ac patientiae, quarum praesidio iniret difficile illud, ut dixi, magnumque praelium. Deinde non quaeremus, quid obscuretur aut intereat, quia sit admodum parvum: sed quid tale sit, ut expleat summam. Una voluptas e multis obscuratur in illa vita voluptaria: sed tamen ea, quamvis parva sit, pars est eius vitae, quae posita est in voluptate. Nummus in Croesi divitiis obscuratur: pars est tamen divitiarum. Quare obscurentur etiam haec, quae secundum naturam esse dicimus, in vita beata: sint modo partes vitae beatae.

Atqui, si, ut convenire debet inter nos, est XIII.
quaedam appetitio naturalis ea, quae secundum na- 32
turam sunt, appetens: eorum omnium est aliqua summa facienda. Quo constituto, tum licebit oti-

vel in eculeo exclamet, quam bene est! Vere autem ad hunc respici, similis locus docet, supra III, 13, 42. *An vero certius quidquam potest esse, quam illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, quum eculeo torqueatur?* quibus item tecte Epicuri sapiens petitur. *Goer.*

ut si ampullam perdidisset] Sic scribendum esse conieci ad II, 7, 21. ubi vid. not. Vulg. *et si.* Ed. Ern. *ac si*, quem sequitur Nobbe.

difficile illud, ut dixi] Sic scripsi e Spir. Erl. Vulg. *illud difficile.*

Cap. XIII.

§. 32. *Quo constituto, tum*] Bremi in nott. mscrr. *quo constituto* delere mallet, non tam propter pleonasmum, sed referre ista verba ad *tum* inepti glossematis speciem. At recte docuit Goer. *quo constituto* significare hoc simulatque constitutum erit (summa eorum omnia facta) atque sic, *tum* (i. e. *non prius*) *licebit — quaerere*, eodem iure poni, quo etiam nos dicamus *Ist dies einmal festgesetzt, dann werden sich bequem die Fragen untersuchen lassen, über* etc. Simillimus locus est in fragm. orat. pro Scaur. §. 22. *quibus rebus explicatis tum denique ad hoc horribile et formidolosum frumentarium crimen accedam.* ad quem locum confert Beier. Cic. de Or. II, 77, 315. *Hisce omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare.* Adde de Inv. I, 14, 19. *His omnibus in*

ose ista quaerere, de magnitudine rerum, de excellentia, quanta in quoque sit ad beate vivendum, de istis ipsis obscurationibus, quae propter exiguitatem vix, aut ne vix quidem appareant.

Quid, de quo nulla dissensio est? Nemo enim est, qui aliter dixerit, quin omnium naturalium simile esset id, ad quod omnia referuntur: quod est ultimum rerum appetendarum. Omnis enim est natura diligens sui. Quae est enim, quae se umquam deserat, aut partem aliquam sui, aut eius partis habitum, aut vim, aut ullius earum rerum, quae secundum naturam sunt, aut motum, aut statum? Quae autem natura suae primae institutionis oblita est? Nulla profecto, quin suam vim retineat a primo ad extre-

causa reperiri, tum denique singulae partes — considerandae sunt. Multa alia exempla habet idem l. c. et ad Offic. II, 5, 16. p. 35. De Graecis vide Matthiae Gramm. Graec. §. 566. 3. ed. II. Inversa ratione est ap. Cic. Orat. 33, 116. ex. *Tum, ut scis, explicato genere cuiusque rei, videndum est* etc.

Nemo enim est, qui aliter dixerit, quin etc.] Miror interpretes, qui saepissime in levissimis rebus haerent, hoc loco non offendisse, quo, nisi putes verba *aliter dixerit* idem significare quod *dubitaverit*, quomodo explicandum sit *quin*, haud facile dixeris. Confirmatur mea sententia loco, qui huic respondet §. 33. *constat inter omnes* etc. Dum melior afferatur constructionis expediendae ratio, acquiesco in ea, quam ipse proposui. Saepe autem factum videmus, ut Cic. particula *quin* utatur, ubi praecedentis verbi vis est dubitativa. Cfr. Ramshorn. p. 559., quem duo tantum Ciceronis exempla fugerunt Partit. orat. 14, 51. *Neque est obscurum, quin — in contrariis contraria sint sumenda.* pro Caecin. 11, 31. *controversia non erat, quin verum diceret.* Alia aliorum scriptorum exempla sint haec: Caes. de bell. Civ. III, 49. *non me fallit, quin.* Hirt. bell. Alexandr. 32. — *manifestum est quin non* Senec. Benef. VI, 7. — *quin ascenderis murum non quaeritur.* Quinctil. IV, 4, 4. — *non me fugit quin* Coelius ap. Cic. Ep. ad Fam. VIII, 14, 8. — *concedo quin* Varro de Ling. Lat. IX, 5. p. 463. ed. Speng. — *quis ignorat quin* Quinctil. XII, 7, 8. — *non decedebat infamia, quin.* Tacit. Anal. XVI, 44, 2. — *nec eo infitias quin* Frontin. de Aquaeduct. §. 72. ed. Poleni. Eadem formula eodem modo construitur apud Gell. N. A. II, 26, 7. IV, 18, 6. VII, 7, 8. XIX, 8, 5. — *dissimulari non potest quin* idem VII, 3, 40. *nihil dici potest quin — non* X, 5, 3.

naturalium] *naturalia* sunt, quae alias *secundum naturam esse* dicuntur. Cfr. §. 33.

primae institutionis] Est, quam nos dicimus ursprüngliche Einrichtung. Cfr. II. N. D. 18, 35.

mum. Quomodo igitur evenit, ut hominis natura 33
sola esset, quae hominem relinqueret, quae obli-
visceretur corporis, quae summum bonum non in
toto homine, sed in parte hominis poneret? Quo
modo autem, quod ipsi etiam fatentur constatque
inter omnes, conservabitur, ut simile sit omnium
naturalium illud ultimum, de quo quaeritur? Tum
enim esset simile, si in ceteris quoque naturis id
cuique esset ultimum, quod in quaque excelleret.
Tale enim visum esset ultimum Stoicorum. Quid 34
dubitas igitur mutare principia naturae? Quid enim
dicis, omne animal, simul atque sit ortum, applica-
tum esse ad se diligendum, esseque in se conser-
vando occupatum? Quin potius ita dicis, omne
animal applicatum esse ad id, quod in eo sit opti-
mum, et in eius unius occupatum esse custodia,
reliquasque naturas nihil aliud agere, nisi ut id
conservent, quod in quaque optimum sit? Quo
modo autem optimum, si bonum praeterea nullum
est? Sin autem reliqua appetenda sunt, cur, quod p. 114.
est ultimum rerum appetendarum, id non aut ex
omnium earum, aut ex plurimarum et maximarum
appetitione concluditur? ut Phidias potest a primo
instituere signum idque perficere; potest ab alio in-
choatum accipere et absolvere. Huic similis est
sapientia. Non enim ipsa genuit hominem, sed

conservabitur, ut] Exspectaveris acc. c. inf. constructionem. Nam *conservabitur* est *sententia obtinebitur*. Vide Excurs. de *ut* part. pro acc. c. inf. ad II, 3, 6.

naturalium] Sic scripsi, ut recte videtur suspicatus esse Orell., quum in codice Sigonii fuisset *naturarum*. Respondent haec his, quae §. 32. dixerat. Scribae autem solent adiectiva ad proxima aptare, etiamsi non quadrant. Vulgata est *naturale*, quae originem debet explicandi studio. Voluerunt enim scribae explicare, quid esset *illud ultimum*. Brevitas illa, quam sibi confinxit Goer., ut dictum esset pro *omnium naturalium naturale illud ultimum*, non est Ciceronis propria. — Dixit autem auctor *naturalia*, non bona, quoniam Stoici ea, quae *secundum naturam* essent, non in bonis, sed in ἀδιαφόροις ponebant, eaque non expetenda, sed sumenda esse statuebant. *Goer.*

§. 34. *Huic similis est sapientia*] Sic scripsi ex Spir. Erl.

accepit a natura inchoatum. Hanc ergo intuens, debet institutum illud, quasi signum, absolvere.
35 Qualem igitur natura hominem inchoavit? et quod est munus, quod opus sapientiae? quid est, quod ab ea absolvi et perfici debeat? Si nihil in eo, quod perficiendum est, praeter motum ingenii quemdam, id est, rationem: necesse est, huic ultimum esse, ex virtute vitam fingere. Rationis enim perfectio est virtus. Sin nihil, nisi corpus: summa erunt illa, valitudo, vacuitas doloris, pulchritudo, cetera. Nunc de hominis summo bono quaeritur.

XIV. Quid ergo dubitamus in tota eius natura quae-
36 rere, quid sit effectum? Quum enim constet inter omnes, omne officium munusque sapientiae in hominis cultu esse occupatum: alii (ne me existimes contra Stoicos solum dicere) eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostram potestatem, tamquam de animali aliquo loquantur: alii contra, quasi corpus nullum sit hominis, ita, praeter animum, nihil curant: quum praesertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit (neque enim id possum intel-

Vulg. *huic sapientia similis.* De periodi conformatione vide ad III, 6, 22.

Cap. XIV.

§. 36. *in tota eius natura quaerere, quid sit effectum?*] Totum sic vertes, *Wir stehen wir sonach an, mit Rücksicht auf dessen Gesammtnatur zu untersuchen, was man* (hierüber) *als erwiesen anzusehen hat. Goer.*

extra nostram potestatem] τὸ οὐκ ἐφ' ἡμῖν corpus dicitur, quippe quod a rebus accidentibus pendeat. Intelligendus est autem Epicurus cum eius sectatoribus, qui summum bonum voluptatem statuens ita loqui dicitur, *quasi animum non haberet.*

tamquam de animali aliquo loquantur] Multum se interpretes vexarunt in explicando voc. *animali*, quod quum prorsus non intellexisse videantur, videmus, unde multae illae sint coniecturae ortae. Iam in codd. erratum est. — Erl. *annali quo.* — Gud. 2. *animali quo.* — Bas. *nominali quo* — Monac. et Crat. *de inanimali aliquo*, voce Ciceronis tempore prorsus inusitata. Inde *non animali* scripsit Goer., quippe quod in Bas. *nominali* latere videretur. Scribere autem auctorem *non corpus* (Nicht-Körper) I Acadd. 11, 39. *Aut quod efficeretur, posse esse non corpus.* Cui

ligere) sed in quodam genere corporis: ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris. Quamobrem utrique idem faciunt, ut si laevam partem negligerent, dexteram tuerentur: aut ipsius animi, ut fecit Herillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium, multa praetermittentium, dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia. At vero illa perfecta atque plena eorum, qui quum de hominis summo bono quaererent, nullam in eo neque animi neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt. Vos autem, 37
Cato, quia virtus, ut omnes fatemur, altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet, et quod eos, qui sapientes sunt, absolutos et perfectos putamus: aciem animorum nostrorum virtutis splendore praestringitis. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis, in canibus; quibus tamen et dolore vacare opus est et valere. Sic igitur in homine perfectio ista in eo potissimum, quod est optimum, id

Orell. „Talia apud vett. scriptores vix reperiuntur extra casum primum et quartum.“ Ipse coniecit *de inanimato aliquo*, vocabulo vere Tulliano. Ego contra tueor vulgatam, quae ab Orellii coniectura ad sensum non recedit, modo recte explicetur. Verte: *gleich als wenn sie von einem Thiere sprächen*. Sensus est: *hi, qui summum bonum in eo genere ponunt, quod est extra nostram potestatem, ut Epicurei, qui voluptatem corporis summum bonum putant, sic loquuntur, quasi de animali aliquo, quod solo corpore constat, animum non habet, non de homine loquantur, qui compositus est ex animo et corpore. Nam animal id solum expetit, quod ad corpus refertur; homo autem id, quod ad utrumque pertinet, i. e. et ad corpus et ad animum.* His bene respondent, quae sequuntur.

ut si laevam partem negligerent] Id est, ita agunt, ac si miles ita dextrum modo latus tegere et a telorum incursu tutum praestare vellet, ut sinistrum nudum et hostium telis expositum relinqueret. *Goer.*

Herillus] Vide V, 8, 23.

curta sententia] *Curta* est *mutila, decurtata*, cfr. Orat. 51, 173. *Nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans.* Unde patet *vitiosam brevitatem* hac voce notari. Opponuntur *perfecta et plena. Goer.*

est, in virtute laudatur. Itaque mihi non satis videmini considerare, quod iter sit naturae quaeque progressio. Non enim quod facit in frugibus, ut, quum ad spicam perduxerit ab herba, relinquat et pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, quum eum ad rationis habitum perduxerit. Semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quae
38 prima dederit, ne deserat. Itaque sensibus rationem adiunxit; et, ratione effecta, sensus non relinquit. Ut si cultura vitium, cuius hoc munus est, ut efficiat, ut vitis cum omnibus partibus suis quam optime se habeat: (sed sic intelligamus: licet enim, ut vos quoque soletis fingere aliquid docendi caussa) si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa, cetera, credo, velit, quae ad colendam vitem attinebunt, sicut antea: se autem omnibus vitis partibus praeferat, statuatque nihil esse
p.115. melius in vite, quam se: similiter sensus, quum accessit ad naturam, tuetur illam quidem, sed etiam tuetur se: quum autem assumpta ratio est, tanto in dominatu locatur, ut omnia illa primae
39 naturae, huius tutelae subiiciantur. Itaque non discedit ab eorum curatione, quibus praeposita vitam omnem debet gubernare: ut mirari satis Stoicorum inconstantiam non possimus. Naturalem enim appetitionem, quam vocant ὁρμήν, itemque officium, ipsam etiam virtutem, esse volunt earum

§. 38. *Ut si cultura vitium* etc.] Oratio multis interpositis interrupta continuatur verbis *si igitur*, cui comparationi respondent vv. *similiter* etc.

cum omnibus partibus suis] Sic scripsi e Spir. Erl. Crat. — Vulg. *cum partibus suis omnibus.*

§. 39. *Stoicorum*] Sic scripsi e coniectura Goer., quum vulgo legatur *eorum*, sed nimis remotum id est, quam ut probetur. Nam toto hoc capite ipsos Stoicos allocutus est per *vos*, praeside Catone.

virtutem esse volunt earum rerum] H. e. *ad eas res pertinere, quae* etc. Hanc vere Tullianam syntaxin quum non intelligerent scribae, maxime turbarunt. In plurimis codd., quos sequitur vulg., est *virtutem tuentem esse volunt.*

rerum, quae secundum naturam sunt; quum autem ad summum bonum volunt pervenire, transiliunt omnia, et duo nobis opera pro uno relinquunt, ut alia sumamus, alia appetamus, potius, quam uno fine utrumque concludant.

At enim natura dicitis virtutem non posse con- XV.
stitui, si ea, quae extra virtutem sint, ad beate 40
vivendum pertineant. Quod totum contra est. Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia, quae leget quaeque reiiciet, unam referantur ad summam. Nam si omnino ea negligimus, in Aristonea vitia et peccata incidemus obliviscemurque, quae virtuti ipsi principia dederimus. Sin ea non negligemus, neque tamen ad finem summi boni referemus, non multum ab Herilli levitate aberrabimus. Duarum enim vitarum nobis erunt instituta capienda. Facit enim ille duo seiuncta ultima bonorum: quae, ut essent vera, coniungi debuerunt. Nunc ista separantur, ut disiuncta sint. Quo nihil potest esse perversius. Itaque contra est, ac dici- 41
tis; nam constitui virtus nullo modo potest, nisi ea, quae sint prima naturae, ut ad summam pertinentia tenebit. Quaesita enim virtus est, non quae relinqueret naturam, sed quae tueretur. At illa, ut vobis placet, partem quamdam tuetur, reliquam deserit. Atque ipsa institutio hominis si loqueretur, haec diceret: Primos suos quasi coeptus appetendi fuisse, ut se conservaret in ea natura, in qua ortus esset. Nondum autem explanatum satis erat, quid maxime natura vellet. Explanetur igitur. Quid ergo aliud intelligetur, nisi

potius] Ad *relinquunt* referendum. — Post *potius quam* saepe *ut* omittitur. Cfr. ad Attic. VII. ep. 7. *depugna potius, quam servias.* II. Tusc. 22, 52. Vide Bremi ad Cornel. Nep. Att. 1, 3. *Goer.*

Cap. XV.

§. 40. *Aristonea vitia*] Vide de Aristone supra II, 13, 43. ell. I. Legg. 13, 38. et infra §. 43. seqq.

ut ne quae pars naturae negligatur? In qua si nihil est praeter rationem, sit in una virtute finis bonorum. Sin est etiam corpus, ista explanatio naturae nempe hoc effecerit, ut ea, quae ante explanationem tenebamus, relinquamus. Ergo id est
42 convenienter naturae vivere, a natura discedere. Ut quidam philosophi, quum, a sensibus profecti, maiora quaedam ac diviniora vidissent, sensus reliquerunt: sic isti, quum ex appetitione rerum virtutis pulchritudinem adspexissent, omnia, quae praeter virtutem ipsam viderant, abiecerunt, obliti, naturam omnem appetendarum rerum ita late patere, ut a principiis permanaret ad fines: neque intelligunt, se rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducere.

XVI. Itaque mihi videntur omnes quidem illi errasse,
43 qui finem bonorum esse dixerunt *honeste vivere*. Sed alius alio magis: Pyrrho scilicet maxime, qui, virtute constituta, nihil omnino, quod appetendum sit, relinquat: deinde Aristo, qui nihil relinquere non est ausus: introduxit autem, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quodcumque in mentem incideret et quodcumque tamquam occurreret. Is hoc melior, quam Pyrrho, quod vel aliquod genus

§. 41. *ne quae*] Sic scripsit Goer. e. Spir. Erl., in quibus depravate legitur *ineque*. Vulg. *ne qua*. Vide Zumpt. §. 137. not. *nempe*] H. l. ironice intelligendum. Vide Zumpt. §. 345.

Cap. XVI.

§. 43. *qui — relinquat*] Haec tempora Ernestio non coeunt; malit igitur *reliquit*, vel certe *relinquit*. Cui Goer.: Sed *relinquat* est optativi loco; scil. *si possit*. At ne Goer. quidem causam recte indagavit. Subiunctivus eo est positus, quod haec *qui — relinquat*, causam continent, cur Pyrrho maxime erraverit, h. e. *quod nihil prorsus reliquerit appetendum*. Vide plurima exempla apud Matthiae. ad Cic. or. pro Rosc. Amer. 1, 4. *Qui* significat fere idem, quod *quum is* vel *quippe qui*.

appeteret aliquid etc.] Stoici quidem reliqui cum in rerum ἀδιαφορίᾳ, quam statuebant, tamen discrimen quoddam reliquissent, atque ita προηγμένα distinxissent, ut ad officium sibi praecipiendi viam aperirent, cfr. Excurs I. ad I. Acad. p. 77. eqq., Aristo Chius hanc quoque distinctionem sustulit. In hoc autem a

appetendi dedit: deterior, quam ceteri, quod penitus a natura recessit. Stoici autem, quod finem bonorum in una virtute ponunt, similes sunt illorum: quod autem principium officii quaerunt, melius, quam Pyrrho: quod ea non occurrentia fingunt, vincunt Aristonem: quod autem ea, quae et ad naturam accommodata et per se assumenda esse dicunt, non adiungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura et quodam modo sunt non dissimiles Aristonis Ille enim occurrentia nescio quae comminiscebatur: hi autem ponunt illi quidem prima naturae, sed ea seiungunt a finibus et a summa bonorum: quae quum praeponunt, ut sit aliqua p. 116.

Pyrrhone diversus fuit, quod, cum hic, praeter virtutem, nihil plane appetendum statueret, atque inde ἀπαθὴς audiret, (cfr. II. Acadd. 42, 131.) ille appetitionem rerum minime tolleret, (auctor dicit *nihil relinquere non est ausus*,) at iustae appetendi rationis praecepta dari posse negaret, quippe quae a temporum conditione unice penderet. Cfr. Sext. Emp. XI, 65. τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα — παρὰ τὰς διαφόρους τῶν καιρῶν εἶναι περιστάσεις. Neque esse praeferentiam, qua res a rebus naturâ distinguerentur: sed utcumque se *offerrent* et *occurrerent*, atque in animum vim suam inferrent, ita esse eas aut sumendas, aut reiiciendas. Sext. Emp. ibid. §. 67. οὐ φυσική τις γίνεται ἑτέρων παρ' ἕτερα προκρισις, κατὰ περίστασιν δὲ μᾶλλον. Neque sane illis de appetitione rerum praeceptis opus esse, sed *qui constitutionem summi boni bene intellexerit, et didicerit, quid in quaque re faciendum sit, sibi facile ipsum praecipere*, Senec. Ep. 94, 2. Haec exemplis illustrantur ad rem aptis, quae ipsa in locis laudatis conferenda sunt. His praemissis facile verba, *quodcumque in mentem incideret, et quodcumque tamquam occurreret*, et inferius *occurrentia*, intelliguntur. Nihil auctor, nisi istas διαφόρους καιρῶν περιστάσεις expressas voluit. Cum autem rebus accidentibus tum modo moveamur, si eas cum relatione ad nos nostrarumque rerum conditionem consideremus, explicatius auctor sic scripsit; licet eadem his, quibus de universa ista Aristonis sententia parum constat, obscuriora esse debeant. *Tamquam* additum est, ne *occurreret* vulgari sensu acciperetur. *Goer.*

hi autem ponunt illi quidem] Davis. suadet *illa*. At vide I. Legg. 21, 54. *Vir iste fuit ille quidem* etc. Ramshorn. p. 336. Kuehner. ad Tuscul. I, 3, 6. Orell. recepit *illa*, quo non opus est.

quae quum praeponunt] i. e. nam quum haec (prima naturae) in praepositis i. e. προηγμένοις, ut seligenda et sumenda numerant, naturae quidem convenienter facere videntur: sed idem contra male cum natura convenit, quod haec ipsa prima naturae ad beatam vitam nihil conferre statuuntur. cfr. supra §. 40. — Vulg. *proponunt*. Receperunt Goer. emendationem Orell. et Nobbe.

rerum selectio; naturam videntur sequi: quum autem negant, ea quidquam ad beatam vitam pertinere; rursus naturam relinquunt.

44 Atque adhuc ea dixi, caussa cur Zenoni non fuisset, quamobrem a superiorum auctoritate discederet. Nunc reliqua videamus: nisi aut ad haec, Cato, dicere aliquid vis, aut nos iam longiores sumus. Neutrum vero, inquit ille. Nam et a te perfici istam disputationem volo, nec tua oratio longa videri potest. Optime, inquam. Quid enim mihi potest esse optatius, quam cum Catone, omnium virtutum auctore, de virtutibus disputare? 45 Sed primum illud vide, gravissimam illam vestram sententiam, quae ducit familiam, honestum quod sit, id esse solum bonum: honesteque vivere, bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in una virtute constituunt finem bonorum: quodque dicitis, informari non posse virtutem, si quippiam, nisi quod honestum sit, numeretur, idem dicetur ab illis, quos modo nominavi. Mihi autem aequius videbatur, Zenonem cum Polemone disceptantem, a quo, quae essent principia naturae, acceperat, a communibus initiis progredientem, videre, ubi primum insisteret, et unde caussa controversiae nasceretur; non stantem cum iis, qui ne dicerent quidem sua summa bona esse a natura profecta, uti iisdem argumentis, quibus illi uterentur, iisdemque sententiis.

§. 44. *tua oratio longa videri potest.*] Sic scripsi e Spir. Erl. Gud. 2. — Vulg. *mihi* post *tua* additum legitur.

auctore] i. e. *exemplo*. cfr. II. Acad. 2, 5.

§. 45. *vide — fore*] i. e. *considera, intellige — futuram esse.*

ducit familiam] Sic scripsi e Spir. — Vulg. *famil. duc.* Locutio autem haec significat *principem esse*, quasi *patrem familiae esse*. Ter hac locutione Ciceronem usum esse notavit Muretus Varr. Lectt. IV, 17., quorum unus locus noster est, alter in Ep. ad Fam. VII, 5, 3. *Accedit etiam, quod* (Trebatius) *familiam ducit.* Tertius est or. Philipp. V, 11, 30.

numeretur] scil. *in bonis*, quod addidit textui Lamb.

disceptantem — videre] h. e. *disceptantes camparare.*

Minime vero illud probo, quod, quum docui- XVII.
stis, ut vobis videmini, solum bonum esse, quod 46
honestum sit, tum rursum dicitis, initia proponi necesse esse apta et accommodata naturae, quorum ex selectione virtus possit exsistere. Non enim in selectione virtus ponenda erat, ut id ipsum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. Nam omnia, quae sumenda quaeque legenda aut optanda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desideret. Videsne, ut, quibus summa est in voluptate, perspicuum sit, quid iis faciendum sit aut non faciendum? ut nemo dubitet, eorum omnia officia quo spectare, quid sequi, quid fugere debeant. Sit hoc ultimum bonorum, quod nunc a me defenditur. Apparet statim, quae sint officia, quae actiones. Vobis autem, quibus nihil est aliud propositum, nisi rectum atque honestum, unde officii, unde agendi principium nascatur, non reperietis. Hoc igitur quaerentes omnes, et ii, 47
qui, quodcumque in mentem veniat, aut quodcumque occurrat, se sequi dicent: et vos, ad naturam revertimini. Quibus natura iure responderit, non esse verum, aliunde finem beate vivendi, a se principia rei gerendae peti: esse enim unam rationem, qua et principia rerum agendarum, et ultima bonorum continerentur: atque, ut Aristonis esset explosa sententia, dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas, praeter virtutes et vitia, p. 117
inter quas quidquam omnino interesset, sic errare Zenonem, qui nulla in re, nisi in virtute, propensionem ne minimi quidem momenti ad summum

Cap. XVII.

§. 46. *Vobis*] referendum est ad *nascatur*. Unde non opus est, ut cum Ernest. legatur *vos*.

§. 47. *in virtute propens.*] Primus Davis. ad uncos damnavit verba *aut vitio* post *in virtute*, orta ex verbis *praeter virtutes et vitia*.

eorumve similes? quos tu non probas. Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia, non dabit; quippe qui valitudinem, vires, divitias, gloriam, multa alia, bona esse dicant, laudabilia non dicant. Et hi quidem ita non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant. Quid censes eos [esse] facturos, qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, si qui Carneadeum finem tueri volunt? Iam aut Calliphon, 50
aut Diodorus, quomodo poterunt tibi istud concedere, qui ad honestatem aliud adiungant, quod ex eodem genere non sit? Placet igitur tibi, Cato, quum res sumpseris non concessas, ex illis efficere, quod velis? Iam ille sorites, quo nihil putatis esse vitiosius, Quod bonum sit, id optabile: quod optabile, id expetendum: quod expetendum, laudabile: deinde reliqui gradus. Sed ego in hoc resisto. Eodem enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id esse laudabile. Illud vero minime consectarium, sed in primis hebes illorum, gloriatione dignam esse beatam vitam, quod non possit sine honestate contingere, ut iure quisquam glorietur. Dabit hoc Zenoni Polemo: etiam magi- 51

ita — ut] *mit der Einschränkung, dass — doch.*

§. 50. *quo nihil putatis esse vitiosius*] Cfr. II. Acad. 29, 93. *soritas — quod tu modo* (e Stoicorum mente) *dicebas esse vitiosum genus.* — Est denique in his verbis leve anacoluthon, incipiens a vv. *Iam ille sorites*, quae praedicato carent, quod fere tale est: *maxime vitiosus est.* Omisit haec propter multa interposita, et maxime propter verba: *Eodem enim modo — laudabile*, in quibus talis sententia inest.

resisto] Ludit Cic. cum Chrysippi soritas refellendi et more, et verbo, hic enim ἵστασθαι. Vide nos ad II. Acad. 29, 93. ubi *insistere* ponitur. *Goer.* In verbis *id esse optabile* et *id esse expet.* omisi e Spir. Erl. *esse*, quod recte abest in brevi et acute concluso.

consectarium] h. e. *tale, ut recte sequatur e conclusis* i. e. *breve et acute conclusum.* Cfr. supr. III, 8, 27, atque inde his *hebes* opponitur: [de genit. *illorum* v. C. F. Hermann. ad Luc. Q. H. S. C. p. 82.]

§. 51. *magister*] *Xenocrates.*

ster eius et tota illa gens et reliqui, qui, virtutem omnibus rebus multo anteponentes, adiungunt ei tamen aliquid summo in bono finiendo. Si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantumque praestat ceteris rebus, ut dici vix possit: et beatus esse poterit virtute una praeditus, carens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, praeter virtutem nihil in bonis esse ducendum: illi autem, quibus summum bonum sine virtute est, non dabunt fortasse, vitam beatam habere, in quo iure possit gloriari. Etsi illi quidem etiam voluptates faciunt interdum gloriosas.

XIX. Vides igitur, te aut ea sumere, quae non con-
52 cedantur, aut ea, quae etiam concessa te nihil iuvent. Equidem in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia nobisque dignum, et maxime, quum summum bonum quaereremus, vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi. Quis enim potest istis, quae te, ut ais, delectant, brevibus et acutis auditis, de sententia de-
p.118. cedere? Nam, quum exspectant et avent audire, cur dolor malum non sit: dicunt illi, asperum esse dolere, molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu: sed, quia nulla sit in dolore nec fraus, nec improbitas, nec malitia, nec culpa, nec turpitudo, non esse illud malum. Haec qui audierit, ut ridere non curet, discedet tamen nihilo firmior ad dolorem ferendum, quam venerat. Tu autem negas fortem esse quemquam posse, qui
53 dolorem malum putet. Cur fortior sit, si illud, quod tute concedis, asperum et vix ferendum pu-

tota illa gens] Cum Academicis Peripateticos comprehendit. *et beatus esse poterit*] Respondet particulae *et* in seqq. *nec* etc.

Cap. XIX.

§. 52. *Quis enim potest istis* etc.] Respicitur ad III, 7, 26. *exspectant*] i. e. neugierig aufsehn, voll Erwartung sein. Cfr. II. Philipp. 26, 64. *Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius.*

tabit? Ex rebus enim timiditas, non ex vocabulis nascitur. Et ais, si una littera commota sit, fore, tota ut labet disciplina. Utrum igitur tibi litteram videor, an totas paginas commovere? Ut enim sit apud illos, id quod est a te laudatum, ordo rerum conservatus, et omnia inter se apta et connexa, (sic enim aiebas) tamen persequi non debemus, si a falsis principiis profecta congruunt ipsa sibi et a proposito non aberrant. In prima igitur 54
constitutione Zeno tuus a natura recessit; quumque summum bonum posuisset in ingenii praestantia, quam virtutem vocamus, nec quidquam aliud esse bonum dixisset, nisi quod esset honestum, nec virtutem posse constare, si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset, aut peius: his propositis, tenuit prorsus consequentia. Recte dicis. Negare enim non possum. Sed ita falsa

§. 53. *an totas paginas*] Cogitandum Stoicorum disciplinae (*ὀνατήματος*) in album collatae exemplum est. Respondetur autem his et proximis ad III, 22, 74.

persequi] i. e. *plene, ab omni parte probare.* V. Verr. 70, 181. *horum nos sectam et instituta persequimur.* Ad *persequi* cogitandum est *ea.*

si — congruunt.— et a proposito non aberrant.] Sic Ascens. D. L. Ern. Goer. Orell. Omnes codd. et plurimae editt. vett. *congruent.* Praesens cum futuro quum non recte copulari posse putaret Goer., suspicatus est *congruent — aberrabunt*, quia e compendio *aberrant* h. e. *aberrabunt* facile oriri potuerit *aberrant.* Nemo grammaticorum quidquam monuit de illa consecutione temporum in enunciatis conditionalibus, ubi in protasi est *futurum* in apodosi *praesens* tempus. Primus de hac re disputavit Frider. Ellendt. in commentatione de formis enunciatorum conditionalium linguae Latinae. Regiomont. 1827. p. 19. seqq. Sed exempla, quae de hac syntaxi attulit ut certa, aliena sunt a nostro; unum quod aptum videatur Acad. II, 41, 127. *Si vero aliquid occurret, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate*, dubium est, quum in uno cod. reperiatur *occurrit*, quod probo. Aliud Ciceronis exemplum non memini. Ratio autem non obstat, quominus dici possit hoc modo, quum *praesens* significet *prorsus nihil dubium esse, quin persequi non debeamus ea, quae a falsis principiis proficiscantur, etiamsi congruant ipsa sibi; futurum* significat *quoties congruent sibi ipsa.* At quum non assint huius syntaxis alia exempla, retineo *congruunt*, sive est e codice, sive e coniectura optima.

§. 54. *aliud esse bon.*] Sic scripsi e Spir. Erl. — Vulg. *aliud bon. esse.*

sunt ea, quae consequuntur, ut illa, e quibus haec
55 nata sunt, vera esse non possint. Docent enim nos, ut scis, dialectici, si ea, quae rem aliquam sequantur, falsa sint, falsam illam ipsam esse, quam sequantur. Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere: Si illud; hoc: non autem hoc; igitur ne illud quidem. Sic, consequentibus vestris sublatis, prima tolluntur: quae sequuntur igitur: omnes, qui non sunt sapientes, aeque miseros esse: sapientes omnes summe beatos esse: recte facta omnia aequalia: omnia peccata paria. Quae quum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probantur. Sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa veritas clamabat quodam modo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.

XX. Postea tuus ille Poenulus, (scis enim Citieos,
56 clientes tuos, e Phoenicia profectos) homo igitur acutus, caussam non obtinens, repugnante natura, verba versare coepit: et primum rebus iis, quas nos bonas dicimus, concessit, ut haberentur aptae, habiles et ad naturam accommodatae: fateriqne coepit, sapienti, hoc est summe beato, commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quae bona non audet appellare; naturâ ipsâ commodata esse concedit: negatque, Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in caussa, qua tyrannum Dionysium.

§. 55. *non posse adduci, ut — nihil interesset*] Vide not. ad I, 5, 14.

Cap. XX.

§. 56. *Citieos* etc.] Diog. Laert. VII, 1. *Ζήνων Μνασέου, ἢ Δημέου, Κιττιεὺς ἀπὸ Κύπρου* (aliud enim Citium Macedoniae memoratur Liv. XLII, 51.) *πολίσματος Ἑλληνικοῦ Φοινίκων ἐποίκους ἐσχηκότος. Goer.*

versare] Goer. explicat *mutare*, ut pro Coel. 6, 13. *versare suam naturam.*

qua tyrannum Dionysium] Duae sunt h. l. notandae res, quae ad grammaticam pertinent. Primum omissa est notanda praepositio *in* repetenta ante pron. relat. *qua*. Vide Excurs. de eadem

Huic mori optimum esse, propter desperationem sapientiae: illi, propter spem, vivere: peccata autem partim esse tolerabilia, partim nullo modo, propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officii praeterirent. Iam insipientes alios ita esse, ut nullo modo ad sapientiam possent pervenire: alios, qui possent, si id egissent, sapientiam consequi. Hic loquebatur ali- 57
ter, atque omnes: sentiebat idem, quod ceteri. Nec vero minoris aestimanda ducebat ea, quae ipse bona negaret esse, quam illi, qui ea bona esse dicebant. Quid igitur voluit sibi, qui illa mutaverit? Saltem aliquid de pondere detraxisset p.119.
et paullo minoris aestimavisset ea, quam Peripatetici, ut sentire quoque aliud, non solum dicere videretur. Quid? de ipsa beata vita, ad quam omnia referuntur, quae dicitis? Negatis eam esse, quae expleta sit omnibus iis rebus, quas natura desideret: totamque eam in una virtute ponitis: quumque omnis controversia aut de re soleat aut de nomine esse; utraque earum nascitur, si aut res ignoratur, aut erratur in nomine. Quorum si neutrum est, opera danda, ut verbis utamur quam usitatissimis et quam maxime aptis, id est, rem declarantibus. Num igitur dubium est, quin, si in re ipsa nihil peccatur a superioribus, verbis illi commodius utantur? Videamus igitur sententias eorum: tum ad verba redeamus.

Dicunt appetitionem animi moveri, quum ali- XXI.
58

praepositione ad II, 13, 40. Deinde videmus attractionis genus, qua enunciatum secundarium in orat. obliqua regitur a praecedente *acc. c. infin.* Exspectatur enim *qua tyrannus Dionysius sit.* Vide Krueger über die Attraktion der latein. Sprach. §. 114.

si id egissent] h. e. *si in eo omnem operam posuissent.*

§. 57. *sententias eorum*] Peripateticorum, puta, cum quibus tum Academici quoque faciebant, Polemone principe.

Cap. XXI.

§. 58. *appetitionem animi*] ὁρμὴν puta, cui πάθος, *animi perturbatio* opponitur. Ut autem haec Stoicis *aversa a recta ra-*

quid ei secundum naturam esse videatur; omniaque, quae secundum naturam sint, aestimatione aliqua digna: eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis, esse aestimanda: quaeque secundum naturam sint, partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua saepe iam diximus, quae nec honesta, nec laudabilia dicantur: partim, quae voluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam: ex iis quae sint apta, ea honesta, ea pulchra, ea laudabilia: illa autem superiora naturalia nominantur: quae coniuncta cum honestis
59 vitam beatam perficiunt et absolvunt. Omnium autem eorum commodorum, quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona esse dicunt, quam Zeno, qui negat, longe praestantissimum esse, quod honestum esset atque laudabile: sed, si duo honesta proposita sint, alterum cum valitudine, alterum cum morbo: non esse dubium, ad utrum eorum natura nos ipsa deductura sit. Sed tamen tantam vim esse honestatis, tantumque eam rebus omnibus praestare et excellere, ut nullis nec suppliciis nec praemiis demoveri possit ex eo, quod rectum esse decreverit: omniaque, quae dura, difficilia, ad-

tione et contra naturam dicitur IV. Tusc. 6, 11., ita iidem *appetitionem ἐν τοῖς λογικοῖς ζώοις λογικὴν εἶναι καὶ συγκατάθεσιν*, perhibent, i. e. rationis edictis consentaneam. Vide Stob. Ecl. Eth. II. p. 160. cll. ibid. p. 164. Adde supra III, 7, 23. Hinc appetitio ad ea modo pertinet, quae secundum naturam sunt: atque quum *ad iudicium rationis de rebus in sensus cadentibus*, quae *animum* (das Gemüth) movent, referatur, toties ei auctor genit. *animi* distinctionis causa addit.

partim quae voluptatem habeant] In his leve est anacoluthon, quod quum non intelligerent Davis. et Ern. lacunae signa, quasi quid deesset, ad *partim* apposuerunt. Sed recte docuit Goer. verba *quae voluptatem — etiam* circumlocutionem appetitionis, *ὁρμῆς* continere, quae *διττῶς θεωρεῖται, ἐν τοῖς λογικοῖς λογικὴ οὖσα, ἐν δὲ τοῖς ἀλόγοις ἄλογος*. Vid. Stob. loco c. Hanc autem in *ἀλόγοις* in voluptate cerni. Iam auctorem proprie pergere debuisse *partem habere* appetitionem: sed hac circumlocutione usurum, leve anacoluthon admisisse, atque accommodantem orationem ad *quae nec honesta — dicantur*, scripsisse, *quae voluptatem habeant*.

versa videantur, ea virtutibus iis, quibus a natura essemus ornati, obteri posse. Non faciles illas quidem, nec contemnendas (quid enim esset in virtute tantum?) sed ut hoc iudicaremus, non esse in his partem maximam positam beate aut secus vivendi. Ad summam, ea, quae Zeno aestimanda 60
et sumenda et apta naturae esse dixit, eadem illi bona appellant: vitam autem beatam illi eam, quae constaret ex iis rebus, quas dixi, aut plurimis aut

§. 59. *obteri*] i. e. *detrahendo minui.*

Non faciles illas quidem, nec contemnendas etc.] Locus, ut mihi quidem videtur difficillimus, quem vario modo possis interpretari, et sane hoc factum esse videmus. Ne a coniecturis quidem faciendis abstinuerunt critici. Maxime certarunt, ad quid referrentur verba *non faciles illas quidem, nec contemnendas.* Goer. retulit ad virtutes illas, quibus a natura, ut ait Cicero, essemus ornati. Accusativum dicit esse per epexegesin positum, ut Tusc. I, 43, 102. *admoneor, ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem: rem non difficilem.* Sed tales accusativi nonnisi ibi poni possunt, ubi e praegressis constructionis ratio facile intelligitur, veluti in Tusc. l. c. animo obversatur verbum *dicendi*, unde acc. possit pendere; at hoc nostro loco, ubi proprie dicendum erat *non facilibus illis quidem nec contemnendis*, fieri non potest. Unde enim pendens possit cogitari accusativus? — Ernestius post *faciles res* addi iubet. At quae est constructio verborum; quod quum videret Bremius, coniecit in notis mscr. *non ut faciles illas quidem res, nec cont.* At et constructio non minus prava, nec *quae sint istae res* intelligitur. Ridet Goerenzium Orell., qui haec verba ad illa *rebus omnibus praestat* refert et explicat *cetera illa bona si tam futilia essent et contemnenda, ut Stoici volunt, quod tandem esset pretium ac meritum virtutis, sine ullo labore talia spernentis ac superantis, ubi cum honestate coniungi nequeunt?* Sed ut taceam, nimis molestam illam esse periodum, non intelligo, quomodo accusativos velit grammatica ratione interpretari. Nec explicare volunt, quid de istis bonis censeant, sed vim honestatis exponunt. Hanc autem honestatem virtutibus istis adiuvari, quae a natura datae sint. Iam quid de his virtutibus existiment exponunt. Mihi itaque nihil mutandum esse videtur, nec vero velim difficillimam istam construendi rationem probare, qua accusativi per epexegesin appositi putentur, nedum ut ab iis verbis, ad quae Orell. retulit, tam remota arbitrer. Ego plene interpungo post *posse* et ad accusativos *esse* suppleo; pendent autem haec verba, ut reliqua oratio a verbo *dicunt*. Tum recte verba *quid enim esset in virtute tantum* habent hunc sensum: *quid enim omnino esset virtutis pretium, si singulae faciles essent et contemnendae.* Verba *sed ut hoc iudicaremus* significant: *sed tales tamen esse dicunt virtutes, ut iudicari posset, non esse in his* etc. Faciliorem interpretandi rationem equidem non video.

§. 60. *ex iis rebus, quas dixi*] Haec definitio vitae beatae,

graviſsimis. Zeno autem, quod ſuam, quod propriam ſpeciem habeat, cur appetendum ſit, id ſolum bonum appellat: beatam autem vitam eam ſolam, quae cum virtute degatur.

XXII. Si de re diſceptari oportet; nulla mihi tecum, Cato, poteſt eſſe diſſenſio. Nihil eſt enim, de quo aliter tu ſentias atque ego: modo commutatis verbis ipſas res conferamus. Nec hoc ille non vidit: ſed verborum magnificentia eſt et gloria delectatus; qui ſi ea, quae dicit, ita ſentiret, ut verba ſignificant; quid inter eum et vel Pyrrhonem vel Ariſtonem interesſet? Sin autem eos non probabat: quid attinuit cum iis, quibuscum re con-
61 cinebat, verbis diſcrepare? Quid ſi reviviſcant Platonis illi, et deinceps qui eorum auditores fuerunt, et tecum ita loquantur? „Nos quum te, M. Cato,
p.120. ſtudioſiſsimum philoſophiae, iuſtiſsimum virum, optimum iudicem, religioſiſsimum teſtem audiremus, admirati ſumus, quid eſſet, cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis et malis ſentirent ea, quae ab hoc Polemone Zeno cognoverat: nominibus uterentur iis, quae prima ſpecie admirationem, re explicata riſum moverent. Tu autem, ſi tibi illa probantur, cur non propriis verbis illa tenebas? Sin te auctoritas commovebat: nobisne omnibus et Platoni ipſi neſcio quem illum anteponebas? praeſertim quum in republica princeps eſſe velles, ad eamque tuendam cum ſumma tua dignitate maxime a nobis ornari atque inſtrui poſſes. Nobis enim iſta quaeſita; a nobis deſcripta, notata, praecepta ſunt: omniumque rerum publica-

ut reliqua, est Polemonis. Cfr. Clemens Alex. Strom. II. *Πολέμων τὴν εὐδαιμονίαν αὐτάρκειαν εἶναι βουλόμενος ἀγαθῶν τῶν πλείστων καὶ μεγίστων.*

Cap. XXII.

§. 61. *Platonis illi*] i. e. *Platonis discipuli*, ut Platonis alumni infra 26, 72.

rum rectiones, genera, status, mutationes, leges etiam et instituta ac mores civitatum perscripsimus. Eloquentiae vero, quae et principibus maximo ornamento est, et qua te audimus valere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses!" Ea quum dixissent, quid tandem talibus viris responderes? Rogarem te, inquit, ut diceres pro 62
me tu idem, qui illis orationem dictavisses, vel potius paullum loci mihi, ut his responderem, dares, nisi et te audire nunc mallem, et istis tamen alio tempore responsurus essem, tum scilicet, quum tibi.

Atqui, si verum respondere velles, Cato, haec XXIII.
erant dicenda: Non eos tibi non probatos, tantis ingeniis homines tantaque auctoritate, sed te animadvertisse, quas res illi propter antiquitatem parum vidissent, eas a Stoicis esse perspectas, eisdemque de rebus hos tum acutius disseruisse, tum sensisse gravius et fortius, quippe qui primum valitudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant; non quia bonum sit valere, sed quia sit non nihilo aestimandum: neque tamen pluris, quam illis videtur, qui illud non dubitant bonum dicere. Hoc vero te ferre non potuisse,

quantum tibi ex monumentis nostris addidisses!] i. e. *Quantopere eloquentiam tuam ex scriptis nostris augere potuisses?* De Catonis autem eloquentia vide locum classicum in Praef. ad Parad.; unde facile patet, in ea hoc unum vituperandum fuisse, quod Stoicorum disserendi rationem redoluerit. *Goer.*

Cap. XXIII.

§. 62. *neque tamen pluris, quam illis videtur*] Sic e Spir. Erl. scripsit Orell., quum Goer. dedisset *pluris* [*quam*] *illis videtur*. Optime Orell. haec notavit: „Sic non sine malitia Cicero introducit respondentem Catonem, quasi is diceret: „nonnihilo quum dico, id per se intelligitur, non pluris nos aestimare ista, quam a Peripateticis fiat." Hinc facile colligit lector inanem hanc esse de verbis, non de re disceptationem. Goerenzii coniectura talis est, ut v. *quam* deleto, haec verba a Cicerone refutandi causa teriecta sint Catonianis. Quod falsum est.

Hoc vero te ferre non potuisse] Est acc. c. inf. admirantis, ius explicationem dedit Zumpt. §. 613. Intellige *mirum est*.

quod antiqui illi, quasi barbati, ut nos de nostris solemus dicere, crediderint, eius, qui honeste viveret, si idem etiam bene valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam meliorem-que et magis expetendam, quam illius, qui, aequus vir bonus, multis modis esset, ut Ennii Alcmaeo,

circumtentus morbo, exsilio, atque inopia.

Plane ut nos cum ellipsi *Dass du aber auch dies nicht ertragen konntest!* Fortasse tamen alia potest cogitari ratio, qua acc. c. inf. structura explicetur, ita ut hunc acc. c. inf. *substantive* positum putes, quasi dixerit: *O impatientiam tuam de eo, quod etc.* Tum nullo supplemento opus est. Exempla huius infinitivi exclamantis apud Cicer. haec sunt: Infra cap. 27, 76. Phil. V, 6, 16. *Sed illud os, illam impuritatem coeni fuisse, ut hos iudices legere auderet!* Ep. ad Divers. XIV, 2, 2: *te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrimis et sordibus! idque tua mea culpa, qui ceteros servavi, ut nos periremus!* Plurima exempla, quae afferunt Grammatici nostri, huc non pertinent, velut quod citat Ramshorn. p. 486 ex Cic. or. in Verr. V, 38. *O spectaculum miserum atque acerbum! ludibrio esse urbis gloriam et populi Romani nomen.* Tolle exclamandi signum post *acerbum* et colloca post *nomen*, videbis esse infinitivum appositionis. Vertas *O ein trauriger und harter Anblick, dass zum Spotte dient der Ruhm des Staates* etc. Ep. ad Fam. XIV, 1. *Me miserum! te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me indicisse.* H. e. *miser sum eo, quod — incidisti.* Pendet infin. a vv. *Me miserum*, cuius sensus talis est, ut recte sequantur acc. c. infin. *obiecti.*

quasi barbati] Sic rasi ad cutem Romulidae Ciceronis tempore avos proavosque suos appellabant. Sed haud putandum est, illa iam tempore Romanos communi more barbam posuisse: imo vel tum lautiores modo ad cutem radi se patiebantur, in quibus auctor ipse erat: reliqua pars breviore barba utebatur. Si igitur veteres Romani barbati dicantur, inde fit, quod hi *barbam alis* promittebant, quales Graeci πωγωνίας nominant. Haec certissima esse, licet a P. Manutii inde temporibus multi secus sentiant, haud pauci probant; sed nunc id non agimus. Unum modo affere liceat pro Coel. 14, 33. *Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed ista horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus.* Ubi *hac barbula* non, ut Ern. in Clave, de iuvenili lanugine dictum, sed de eleganti illa, et in artis formam redacta, qualis tum erat calamistratorum. Ceterum laudat recte Davis. pro Sext. 8, 18. et pro Muren. 12, 26. *Goer.*

Alcmaeo] *Alcmaeon* filius Amphiarai, vatis Graeci, et Eriphyles. Cui quum pater, ad bellum proficisci coactus, nequitiam in se Eriphyles aperuisset et mortis suae, quam praevidebat, vindictam reliquisset, defuncto patri obsequens matrem sustulit. Quo scelere in se admisso ad Phegeum confugit, a quo purgatum, filiamque eius Alphesiboeam duxit uxorem, cui monile matri detractum obtulit. Quum autem apud Phegeum furoris remedium

;itur antiqui non tam acute optabiliorem illam 63
putant praestantiorem, beatiorem. Stoici
n tantummodo praeponendam in seligendo,
quo beatior haec vita sit, sed quod ad na-
n accommodatior, et, qui sapientes non sint,
s aeque miseros esse. Stoici haec videlicet
unt. Illos autem id fugerat superiores: [qui
rabantur,] homines sceleribus et parricidiis
natos nihilo miseriores esse, quam eos, qui,
n caste et integre viverent, nondum perfectam
sapientiam essent consecuti.

Atque hoc loco similitudines eas, quibus illi 64
olent, dissimillimas proferebas. Quis enim
rat, si plures ex alto emergere velint, pro-
fore eos quidem ad respirandum, qui ad
m iam summam appropinquent, sed nihilo
s respirare posse, quam eos, qui sint in pro- p.121.
o? Nihil igitur adiuvat procedere et pro-
i in virtute, quo minus miserrimus sit, ante-
n ad eam pervenerit, quoniam in aqua nihil
vat: et quoniam catuli, qui iam dispecturi
caeci aeque et hi, qui modo nati; Platonem
ue necesse est, quoniam nondum videbat sa-
iam, aeque caecum animo et Phalarim fuisse.
sta similia non sunt, Cato: in quibus quamvis XXIV.
um processeris, tamen illud in eadem caussa 65
a quo abesse velis, donec evaseris. Nec enim
respirat, ante quam emersit, et catuli aeque

nvenisset, consulto oraculo se ad Acheloum contulit, ubi
r Callirrhoes Acheloi filiae amore captus ab eo poscitur. Ille
nile daturum pollicetur atque ea causa ad Alphesiboeam re-
rus illud contendit; verum a Phegei filiis est occisus. Erat
nnii Alcmaeonis tragoediae argumentum.

63. *Illos autem*] i. e. *Academicos*.

64. *Quis enim ignorat*] Respondetur his et seqq. ad III, 8.

i ad aquam iam summam appropinquent] Sic scripsi e Spir. . — Vulg. *qui ad summam iam aquam*. Iidem codd. mox *nt in profundo* pro vulg. *sunt*.

ihil igitur] Sic scripsi e Spir. Erl. — Vulg. *ergo*.

caeci, priusquam dispexerunt, ac si ita futuri semper essent. Illa sunt similia: hebes acies est cuipiam oculorum: corpore alius languescit: hi curatione adhibita levantur in dies: valet alter plus quotidie: alter videt. His similes sunt omnes, qui virtuti student; levantur vitiis, levantur erroribus. Nisi forte censes Ti. Gracchum patrem non beatiorem fuisse, quam filium, quum alter stabilire rempublicam studuerit, alter evertere. Nec tamen ille erat sapiens: quis enim hoc? aut quando? aut ubi? aut unde? sed quia studebat laudi et
66 dignitati, multum in virtute processerat. Conferam avum tuum Drusum cum C. Graccho, eius fere aequali. Quae hic reipublicae vulnera imponebat, eadem ille sanabat. Si nihil est, quod tam miseros faciat, quam impietas et scelus; ut iam omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt: non est tamen aeque miser, qui patriae consulit, et is, qui illam exstinctam cupit. Levatio igitur vitiorum magna fit iis, qui habent ad virtutem progressio-
67 nis aliquantum. Vestri autem progressionem ad virtutem fieri aiunt, levationem vitiorum fieri negant. At quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare. Quarum,

Cap. XXIV.

§. 66. *Conferam avum tuum*] Sic omissa part. *autem*, quae post *conferam* collocata vulgo reperitur, scripsi e Spir. Erl. — Fuit avus M. Livius Drusus, qui quum tribunus plebis C. Gracchi conatibus resisteret, *senatus patronus* appellatus est. Cfr. Suet. Tib. 3. Huius filia *Livia* Catonis Uticensis mater erat. Miscetur hic cum M. Druso, filio, qui Catonis eiusdem avunculus erat.

§. 67. *At quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare.*] Davis. ex uno cod., probante Ern., quem sequi velle videtur Orell., scripsit *nitantur*. Hoc autem non opus esse censet Goer., quod saepe in oratione indefinite interrogante indicativus pro subiunctivo ponatur. Simillimum nostri locum affert ex or. II. Verr. 53, 131. *Iam vero censores quemadmodum in Sicilia isto praetore creati sunt, operae pretium est cognoscere* At ibi recte Lambin. Ernest. Schuetz. Beck. Orell. ediderunt *sint*. Offic. I, 7, *Studiose exquirunt, unde verba sunt ducta.* Orell. scripsit *sunt*. Facciolato, Gernh. et Beier. *sint* hac nota egregia adiecta: „?“

quit, artium summa crescere potest, earum etiam ntrariorum summa poterit augeri: ad virtutis au-

(*sunt* nimirum si legatur) multis videntur elegantiora. Verum ä res non est tam certa, quam v. c. apud Rutil. Lupum. p. 98. d. Ruhnken.) *quid animi estis habituri, quaero:* sed discrimen rsatur inter *sint* et *sunt*, librariis ne debeatur elegantia ista, ılde timendum est." At ipse ille Orell. sibi non constitit, quum lceronis scripta emendaret. Nam II. Acad. 15, 46. scripsit *dversatur enim primum, quod parum defigunt animos et inten-unt in ea, quae perspicua sunt, ut, quanta luce ea circumfusa unt, possint agnoscere.* Equidem parenthesin illam, qua defen-ere vult Goer. *sunt*, non video. Indicativi usum in enunciatis terrogativis pendentibus si quis vult cognoscere, qualem tenuerit icero, is primum separabit eos locos, ubi literae propter simili-ıdinem, nisi accuratissime scribantur, facillime possunt permu-ari. Veluti *u* et *a*, *int* et *unt*, *im* et *um*. Nam in codd. sae-issime punctum supra *i* positum negligitur. Deinde ad periodi nformationem est attendendum, qualis nostro loco est, ubi ver-a vel formula regens postponitur verbis, quae ab iis pendent. erumque talia enunciata sunt relativa, per attractionem expli-anda, qua relativum praemittitur nomini, quod sequi debebat, ılati nostro loco *quo nituntur argumento* i. e. *argumentum, uo nituntur*. Nam summum hoc loco pondus sententiae est voce *argumenti;* hoc vult Cicero considerare quale sit. le in Caton. Mai. 8, 26. *ut ea ipsa nota essent mihi, quibus videtis me nunc uti exemplis*, quod dictum est pro *exempla, ibus videtis me nunc uti*. Cfr. Krueger über die Attraktion §. 9. Pertinet igitur formula *operae pretium est considerare* ad voc. *rgumento*, non ad enunciatum relativum *quo nituntur*, quod per e stat, si solvitur attractio. Tertium genus est eorum exemplo-um, ubi enunciationes relative interpositae adiectivam quandam otionem habent. Qua de re optime dixit Zumpt. §. 546. Quar-um genus est eorum exemplorum, ubi directa est interrogatio, ino pendere videatur, veluti Parad. III, 2, 23. *Sed tamen uaero ex te, utrum de bonis est quaerendum quid baiuli atque erarii, an quid homines doctissimi senserint.* Prorsus ut nos: ber *ich frage dich: haben wir zu fragen, was* etc. Quintum enus ex brevitatis studio est ortum, quod constat ex contracto uendi genere, ut Cic. Cat. Mai. 4, 12. *nihil admirabilius quam uomodo mortem filii tulit* i. e. *quam modus, quo tulit*. Pertinet uodammodo ad primum genus enunciatorum relativorum. Plura xempla vid. a me collecta ad eund. Cat. locum. At quum om-nia horum generum exempla proponere velle alienum sit a com-mentario, unum tantum primi generis afferam. Cic. in fragm. rat. in tog. candid. p. 523. ed. Orell. *Me qua amentia inductus t ut contemneret, constituere non possum.* Exspectatur *sit* pro t. Sed anacoluthon potius admisisse scriptorem puto, quam ita ibere voluisse. Ortum est autem ex eo, quod praemisit id, quod ıt primarium in re.

inquit] Hoc aut ad Stoicorum principem referri potest, aut rtia persona verbi, ut apud seriores Graecos φησί, sagt man, tum putari potest. Plurima exempla cum verissima interpreta-ne affert Gernhard. ad Cic. Parad. Addend. p. 320.

summa etiam contrariorum summa poterit augeri] h. e. poterit

tem summam accedere nihil potest: ne vitia quidem igitur crescere poterunt, quae sunt virtutum contraria. Utrum igitur tandem perspicuisne dubia aperiuntur, an dubiis perspicua tolluntur? Atqui hoc perspicuum est, vitia alia in aliis esse maiora: illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquaenam fieri possit accessio. Vos autem quum perspicuis dubia debeatis illustrare,
68 dubiis perspicua conamini tollere. Itaque usus eadem ratione, qua sum paullo ante usus, haerebitis. Si enim propterea vitia alia aliis maiora non sunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem vos facitis, quidquam potest accedere: quoniam perspicuum est, vitia non esse omnium paria, finis bonorum vobis mutandus est. Teneamus enim illud necesse est, quum consequens aliquod falsum sit, illud, cuius id consequens sit, non posse esse verum.

XXV. Quae est igitur caussa istarum angustiarum?

etiam summa eorum, quae his contraria sunt, augeri. *Earum* pendet ab adiectivo *contrariorum*, quod h. l. substantive ponitur: *die Gegentheile.*

perspicuisne] Ern. tacite omisit *ne*, quod vitio typographi commissum putat Orell. At fortasse offendit in *Utrum — ne*, quem pleonasmum putavit. Male. Nam *Utrum* ponitur propter duo membra, quorum alterius nobis datur electio cum interrogatione. *Ne* autem particula propter interrogationem ipsam additur. Cfr. Zumpt. §. 352. et supra II, 19, 60. *Utrum tandem censes — tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse, an meam?*

§. 68. *usus*] Sic plurimi codd., quod corruptum putant omnes critici. Unde *itaque usi* Cr. V. — „*itaque usque* e duobus codd. D. Goer. Schuetz. contra consuetudinem Tullii, qui v. *usque* nusquam sic (i. e. pro *semper*) utitur. Nam diversa sunt ad Div. XII, 19. Brut. §. 87. Ceterum sic quoque locum hunc corruptum iudico. Nullum enim commodum praebet sensum. Deberet esse vel: „Itaque pressi, oppugnati eadem ratione cet." vel: „Itaque usi eadem ratione, qua paullo ante, haerebitis." De verbis nihil coniicio. *Orell.* Nec ego aliquid coniecerim, sed defenderim vulgatam ita, ut *usus* participialiter pro *si usus fuero*, *wenn ich mich werde bedient haben* positum putem. Nam mox revolvitur auctor ad eadem, quae paullo ante brevius dixerat. Haeserunt critici in duplici v. *usus*. Unde prorsus eiecerunt verbum P. 1480. M. L. Ern. Orell. — Nobbe secutus est Goerenzium.

Gloriosa ostentatio in constituendo summo bono. Quum enim, quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valitudinis, diligentia rei familiaris, administratio reipublicae, ordo gerendorum negotiorum, officia vitae. Ipsum denique illud honestum, in quo uno vultis esse omnia, deserendum est. Quae diligentissime contra Aristonem dicuntur a Chrysippo. Ex ea difficultate illae *fallaciloquae*, ut ait Attius, *malitiae* natae sunt. Quod enim sapientia, pedem ubi poneret, non habebat, sublatis officiis omnibus: officia autem tollebantur, delectu omni et discrimine remoto; quae enim esse poterant, rebus omnibus sic exaequatis, ut inter eas nihil interesset? ex his angustiis ista evaserunt deteriora, quam Aristonis. Illa tamen simplicia: vestra versuta. Roges enim Aristonem, bonane ei videantur haec, vacuitas doloris, divitiae, valitudo? Neget. Quid, quae contraria sunt his, malane? Nihilo magis. Zenonem roges: respondeat totidem verbis. Admirantes quaeramus ab utroque, quonam modo vitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus, valeamus, aegrine simus: vacemus, an cruciemur dolore: frigus, famem propulsare possimus, necne possimus: vives, inquit Aristo, magnifice atque praeclare: quod erit cumque visum agens, num- 69 Cp. 122.

Cap. XXV.

fallaciloquae] Nonius s. v. habet *Fallaciloquentiae malitiae.* Sed hoc vix poterit defendi.

Attius] L. Attius poeta Romanus, filius libertini. Dec. Brutus hunc poetam tanti faciebat, ut templa, quae e spoliis hostibus detractis aedificaverat, carminibus Attii exornari iuberet. Mortuus est a. U. 665. valde senex. Scripsit tragoedias, quarum pauca dispersa exstant fragmenta.

§. 69. *visum agens*] Goer., ut videtur, satis infeliciter explicat ex Stratonis αἴσθησις κινοῦσα κατὰ περίστασιν. cll. Stob. Ecll. Phys. I. p. 828. et Sext. Emp. XI, 64. quaeque supra ad 16, 43. notaverit. Tu construe: *quod erit cumque visum agens numquam angere.* Verte: was dir nur belieben wird, thuend, wirst du nie dich ängstigen. De tmesi in verbis *quod erit cumque* vide Ramshorn. p. 701.

quam angere, numquam cupies, numquam time-
70 bis. Quid Zeno? Portenta dicit, nec ea ratione ullo modo posse vivi; sed distare inter honestum et turpe nimium quantum, nescio quid immensum; inter ceteras res nihil omnino interesse.
71 Idem adhuc: (audi reliqua, et risum contine, si potes.) Media illa, inquit, inter quae nihil interest, tamen eiusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia reiicienda, alia omnino negligenda, hoc est, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. At modo dixeras, nihil in istis esse, quod interesset. Et nunc idem dico, inquiet, sed ad virtutes et ad vitia nihil interesse.

XXVI. Quis istud, quaeso, nesciebat? Verum audia-
72 mus. Ista, inquit, quae dixisti: valere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam Graece προηγμένα, Latine autem *producta:* sed *praeposita* aut *praecipua* malo: sic tolerabilius et mollius. Illa autem, morbum, egestatem, dolorem, non appello mala, sed, si libet, *reiectanea.* Itaque illa non dico me expetere, sed legere; nec optare, sed sumere: contraria autem non fugere, sed quasi secernere. Quid ait Aristoteles reliquique Platonis alumni? Se omnia, quae secundum naturam sint, bona appellare; quae autem contra, mala. Videsne igitur, Zenonem tuum cum

§. 70. *Portenta dicit*] Sic scripsi e Spir. Erl. Gud. 1. Vulg. interponitur *haec esse dicit.* At facile hoc supplemento carebimus. Verte: *Was thut Zeno? er nennt es Hirngespinste.*

distare] Sic Gud. 2. et Bas., unde videtur esse, quod Spir. et Erl. *discere* exhibent. Et saepe sic *distare* pro *differre*, quod h. l. vulgata exhibet, dicitur v. c. II. Off. 4, 7. *quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu cultuque bestiarum*, ubi item scripti plerique omnes peccant. cll. I. Orat. 49, 215. ibid. II, 65, 263. Eodemque modo Lael. 20, 75. *tanta est inter eos, quanta maxima potest, morum studiorumque distantia*, dicitur.

nescio quid immensum] Haec quamquam a cod. Carrionis Antiq. Lectt. II, 12. absint, tamen nullo modo adducor, ut id cum Orell. probem. Augetur hoc additamento differentiae magnitudo, et verba talia sunt, quae vix a scriba esse putentur.

ristone verbis consistere, re dissidere: cum Aristotele et illis re consentire, verbis discrepare? Cur itur, quum de re conveniat, non malimus usitate oqui? Aut doceat, paratiorem me ad contemendam pecuniam fore, si illam in rebus praepoitis, quam si in bonis duxero; fortioremque in atiendo dolore, si eum asperum et difficilem peressu et contra naturam esse, quam si malum, diero. Facete M. Piso, familiaris noster, et alia 73
ulta, et hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim ebat? Bonum negas esse divitias; praepositum sse dicis. Quid adiuvas? Avaritiamne minuis? uod si verbum sequimur, primum longius verbum, raepositum, quam bonum. Nihil ad rem. Ne t sane: at certe gravius. Nam bonum ex quo ppellatum sit, nescio: praepositum ex eo credo, uod praeponatur aliis. Id mihi magnum videtur. aque dicebat, plus tribui divitiis a Zenone, qui as in praepositis poneret, quam ab Aristotele, qui onum esse divitias fateretur. Sed neque magnum onum et prae rectis honestisque contemnendum c despiciendum, nec magnopere expetendum: mninoque de istis omnibus verbis a Zenone mutas ita disputabat, et quae bona negarentur esse b eo, et quae mala, illa laetioribus nominibus ppellari ab eo, quam a nobis, haec tristioribus.

Piso igitur hoc modo, vir optimus, tuique, ut XXVII.
cis, amantissimus. Nos paucis ad haec additis 74
nem faciamus aliquando. Longum est enim ad mnia respondere, quae a te dicta sunt.

Nam ex iisdem verborum praestigiis et regna ata vobis sunt, et imperia, et divitiae, et tantae p. 128.

Cap. XXVI.

§. 73. *Id mihi magnum videtur.*] h. e. *magni momenti esse detur.*

appellari ab eo] Sic scripsi e Spir. Erl. Gud. 1. Vulg. *ab eo* p. Maior vis oppositionis est in lectione a nobis recepta.

quidem, ut omnia, quae ubique sint, sapientis dicatis. Solum praeterea formosum, solum bonum, solum civem: stultorum omnia contraria: quos etiam insanos esse vultis. Haec παράδοξα illi. nos mirabilia dicamus. Quid autem habent admirationis, quum prope accesseris? Conferam tecum, quam quisque verbo rem subiicias: nulla erit controversia, omnia peccata paria dicitis. Non tecum iam ita iocabor, ut eodem his de reis, quem L. Murenam, te accusante, defendi. Apud imperitos tum illa dicta sunt: aliquid ad coronae datum: nunc agendum est subtilius. 75 eata paria quonam modo? Quia nec bonum quidquam honestius, nec turpi turpius. Sed porro: nam de isto magna dissensio est: illa gumenta propria videamus, cur omnia peccata paria. Ut, inquit, in fidibus plurimis, si earum ita contenta nervis sit, ut concentum vare possit, omnes aeque incontentae sint: sic eata, quia discrepant, aeque discrepant: pari igitur. Hic ambiguo ludimur. Aeque enim tingit omnibus fidibus, ut incontentae sint: non continuo, ut aeque incontentae. C igitur ista te nihil iuvat. Nec enim, 76 avaritiam si aeque avaritias esse dixerimus, tur, ut etiam aequas esse dicamus. Ecce

Cap. XXVII.

§. 74. *quam cuique verbo rem subiicias*] *Rem* de re dici patet. Cfr. II. Fin. 4, 13.

iocabor] Sic Bas. et Vienn. Et hoc voluerunt haud dub hae codd. Spir. et Erl., in quibus est *locabor*. Quoties e et *i* in codd. confunduntur, neminem, opinor, virum doc gilet. Quare quum ab optimis codd. ea vox commendetu non tribuam cum Goer. sciolo cuidam, cui obversata ess de orat. pro Muren. 29. et 30. - Vulg. est *loquar*.

Apud imperitos] i. e. *concursui hominum tribunal circumst*

§. 75. *omnes avaritias*] Egregie pluralem numerum nom stracti vertit Goer. *alle Arten des Eigennutzes*.

sequitur] Orell. ex Cr. et V. posuit *sequetur*, quo no est. Equidem hanc correctionem dixerim. Nam non a Exact. *dixerimus* refertur v. *sequitur*, sed si *dixerimus* est *dixerimus*. Verte: denn, wenn wir auch gesagt haben

mile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator aeue peccat, si palearum navem evertit, et si auri: em aeque peccat, qui parentem, et qui servum iuria verberat. Hoc non videre, cuius generis nus navis vehat, id ad gubernatoris artem nihil ertinere? itaque, aurum paleamve portet, ad ene aut ad male gubernandum nihil interesse. t quid inter parentem et servulum intersit, inelligi et potest et debet. Ergo in gubernando ihil, in officio plurimum interest, quo in genere eccetur. Et si in ipsa gubernatione negligentia st navis eversa, maius est peccatum in auro, uam in palea. Omnibus enim artibus volumus ttributam esse eam, quae communis appellatur rudentia; quam omnes, qui cuique artificio praeunt, debent habere. Ita ne hoc modo paria quiem peccata sunt.

Urgent tamen et nihil remittunt. Quoniam, XXVIII.
quiunt, omne peccatum imbecillitatis et incon- 77
tantiae est; haec autem vitia in omnibus stultis eque magna sunt: necesse est paria esse peccata. Quasi vero aut concedatur, in omnibus stultis aeue magna esse vitia; et eadem imbecillitate et nconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cuius condemnatus est rogatione, P. Scaevolam; et quasi nihil inter res quoque ipsas, in quibus peccatur, intersit, ut, quo hae maiores minoresve sint, o, quae peccentur in his rebus, aut maiora sint ut minora. Itaque (iam enim concludatur oratio) 78
hoc uno vitio maxime mihi premi videntur tui Stoici, quod se posse putant duas contrarias sen-

folgt doch daraus nicht. Nam nullum novi exemplum, ubi in enunciati conditionalis protasi reperiatur *Fut. Exact.*, in apodosi *Praes.*

Cap. XXVIII.

§. 77. *aut concedatur*] Respondet *et* in vv. *quasi nihil* etc. Vid. Excurs. de anacoluthis ap. Cic. ad I, 6, 19.

L. Tubulum] Vide supra ad II, 16, 54.

patruelis, amore germanus: constituimus inter nos, ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa a Dipylo stadia confecimus. Quam autem venissemus in Academiae non sine caussa nobilitata spa-
2 tia, solitudo erat ea, quam volueramus. Tum Piso, Naturane nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam: ut, quum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc mo-

constituimus inter nos, ut — conficeremus] Ex vulgari dicendi ratione exspectatur infinitivus *conficere*. Nam verba, quae dicuntur *incompleta*, h. e. *ea, quae nonnisi adiecto alio verbo integram reddunt sententiam* (vid. Zumpt. §. 609.) postulant sibi simplicem infinitivum, ubi nulla fit subiecti mutatio in utroque membro, non enunciatum aliquod a part. *ut* incipiens. Sed fit interdum, ut haec vulgaris ratio commutetur cum rariore, quod cur fiat, recte ostendit idem Zumpt. §. 611. Admonendi tamen sunt tirones, ut ne talia exempla cum his coniungant, in quibus particula *ut* opus est, veluti *Admonebat me res, ut — deplorarem* Off. II, 19, 67. Nostro exemplo simillima sunt haec: Ep. ad Fam. X, 12, 6. *placuit nobis, ut statim ad Cornutum praetorem urbis litteras deferremus.* de Rep. I, 12, 18. *quum essent perpauca inter se — collocuti — placitum est — ut considerent.* Brutus ad Cic. Ep. ad Fam. XI, 1, 3. *Quum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam.* Idem ad extremam epistolam §. 9. *placitum est mihi postulare.*

vacuus] Frequentabatur Academia matutinis maxime horis ad novam vel decimam usque: hinc properare Socrates solebat, ut πληθούσης ἀγορᾶς in urbe redux esset. Ista autem postmeridiana ambulatio a quarta, quintave hora, id est post coenam, cogitanda est. *Goer.*

a Dipylo] Claudebat porta Dipylon Ceramicum. Cfr. Plutarch. Sulla p. 460. E. *πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμεικόν*; vocaturque olim portae Thriasiae. vid. eund. Plutarch. Pericl. p. 168. E. *παρὰ τὰς Θριασίους πύλας, αἳ νῦν Διπυλον ὀνομάζονται.* Ex quo quidem Plutarchi loco duplex error apud Barthelemyum Voyage du jeune Anacharsis t. II. cap. 7. init. notandus est, ubi eadem porta Dipyle appellatur; quippe quae Anacharsidis tempore *Thriasiae*, et serius constanti nomine Dipylon vocitaretur.

Academiae — spatia] *Spatia* loca quaevis dicuntur, ubi spatiari quocumque modo licet. Sic *Academiae spatiis* est Orat. 3, 12.

veor. Venit enim mihi Platonis in mentem: quem accepimus primum hic disputare solitum: cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo, cuius ipsa illa sessio fuit, quam videmus. Equidem etiam curiam nostram Hostiliam dico, non hanc novam, quae mihi minor esse videtur, posteaquam est maior; solebam intuens, Scipionem, Catonem, Laelium, nostrum vero in primis avum cogitare: tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine caussa ex his memoriae ducta sit disciplina. Tum Quintus, Est plane, 3
Piso, ut dicis, inquit. Nam me ipsum huc modo venientem convertebet ad sese Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos versabatur: quem scis quam admirer, quamque eo delecter. Me

§. 2. *Speusippus*] Philosophus, Platonis ex sorore nepos, annos octo Platonicae scholae praefuit.

cuius ipsa illa sessio fuit, quam videmus.] Sic scripsi e Spir. Erl. — Ern. *illa ipsa.* — Goer. *ipsius illa* e codd. Oxonn. E. §. et Bas. Sed nescio quo iure; *ipsa illa* est *eben dieser Sitz, den wir sehen.* cfr. cap. 2, 4. *ipsum illum locum — sedemque viderim.* Retinui igitur illam scripturam, quam receperunt P. Cr. V. M. L. Schuetz, Orell. — *Exedram* autem hanc *sessionem* fuisse, patet ex §. 4.

Hostiliam dico] Ad haec intelligenda notandum est, veterem Curiam Hostiliam (nominatam a Tullo Hostilio, in foro ab eo ad comitium exstructam) in Clodii funere combustam, ex Senatus decreto per Faustum, Sullae filium, in maius splendidiusque fuisse refectam. Hinc simul haud parvus ἀναχρονισμός aperitur, quem facile computabis, si L. Ciceronem 685. mortuum, deflagrationem autem veteris Hostiliae ad 701. pertinere, videris. Sed haec, Platonis exemplo, dialogorum scriptores sibi quasi iure licere existimant. *Goer.*

ex his memoriae ducta sit disciplina.] Innuit artem memoriae, inventam a Simonide, perfectam a Metrodoro; de qua vide II. Orat. 86. et 87. *Goer.*

§. 3. *Coloneus ille locus*] Erat enim Sophocles Κολωνόθεν. cfr. Lessingii Vita Sophoclis p. 15. Ipse autem Colonus, vicus paucis stadiis ab Academia remotus. — Verba praecedd. *me convertebat ad sese* de prospectu accipi commode possunt, qui ad Academiam ex urbe accedentibus in eundem locum patebat, in colle positum, ut vox ipsa monet: quem prospectum in ipsa Academia arborum, quibus eius horti consiti erant, umbra praepediebat.

[illegible]

Pomponius. At ego, quem vos, ut [illegible]
[illegible]
Phaedro, quem nunc dico, ut [illegible]
[illegible]
[illegible] si cupiam: [illegible]
[illegible] in tabulis nostri familiares, sed [illegible]
[illegible] et in [illegible] habent.

II. Hic ego, Pomponius quidem, inquam,
4 iocari videtur, et fortasse suo iure. Ita e
Athenis collocavit, ut sit paene unus ex A
id etiam cognomen videatur habiturus. Eg
tibi, Piso, assentior, usu hoc venire, ut
aliquanto et attentius de claris viris locorum

Oedipodis] Sermo est de elegantissima [illegible] plena Sophoclis fabula, quae Oedipus Coloneus inscribi[illegible] [illegible]xime vero de eius initio. Vide, quae de hac fabula di[illegible] Cat. Mai. 7, 22. — De Graeca autem *Oedipodis* ter[illegible] quae sequitur, vide Bremi de Fat. 13. p. 59.

insectari] Per risum nempe et iocum puta: tum eni[illegible] in lingua verba graviora ponuntur, oris quippe vultusque mitigandi. Proprium autem verbum consulte positum vide[illegible]

Phaedro] De *Phaedro* Epicureo vide XIII. ad Div. [illegible] I. N. D. 33, 93.

si cupiam] h. e. *etiam si cupiam*

Cap. II.

§. 4. *usu hoc venire*] Sic scripsi e vestigiis codd. Sp[illegible] in quibus errore omisso voc. *usu*, scriptum est *venire*. *hoc evenire*. *Goer.* cum vulg. Vide quae dixi in Excur[illegible] cer. Cat. Mai. ad cap. 8 Formulam *usu evenire*, qua[illegible] Latina (vid. Orell. in Addend. ad Wolf. Praelectt. Tusc[illegible] ad I, 30, 73. ed. Orell. p. 350. seqq.) ortam esse ex m[illegible] lecto Dat. *usu* pro *usui*, (vide Zumpt. §. 87.) mihi m[illegible] verisimile eo, quod in nonnullis locis codd. vere habent *usu*, ut pro Cluent. §. 53. ad Fam. III, 8. vid. Or[illegible] Scribae *usu* pro ablativo acceperunt et ut *accidendi* noti[illegible] gis efferrent, scripserunt *evenire* pro *venire*. Potest tame[illegible] etiam ex illa scribarum correctione explicari. Nam fac[illegible] permutantur, si non satis distincte literae pictae sunt, si *usui venire*. *Usu venire* est *usui se offerre*, *accidere*.

cogitemus. Scis enim me quodam tempore
apontum venisse tecum, neque ad hospitem
devertisse, quam Pythagorae ipsum illum
am, ubi vitam ediderat, sedemque viderim.
autem tempore, etsi multa in omni parte
enarum sunt in ipsis locis indicia summorum
rum: tamen ego illa moveor exedra. Modo
fuit Charmadas: quem videre videor, (est
nota imago) a sedeque ipsa tanti ingenii
uitudine orbata desiderari illam vocem puto.
Piso, Quoniam igitur aliquid omnes, quid 5
ius noster, inquit? an eum locum libenter in-
, ubi Demosthenes et Aeschines inter se de-
are soliti sunt? Suo enim quisque studio ma-
e ducitur. Et ille, quum erubuisset, Noli,
uit, ex me quaerere, qui in Phalericum etiam
cenderim: quo in loco ad fluctum aiunt decla-
re solitum Demosthenem, ut fremitum assue-
ret voce vincere. Modo etiam paullum ad dex- 11
m de via declinavi, ut ad Pericli sepulcrum
ederem. Quamquam id quidem infinitum est
hac urbe: quacumque enim ingredimur, in ali-
historia vestigium ponimus.

Tum Piso, Atqui, Cicero, inquit, ista studia, 6
ad imitandos summos viros spectant, ingenioso-

exedra] Cfr. Vitruv. V, 11. *Constituuntur in porticibus exe-
e spatiosae, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores,
quique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint.*
t haud dubie *exedrae* eaedem fere, quae *hemicyclia*, de qui-
ad I. Legg. 3, 10. egimus; nisi sola magnitudine ab his dif-
bant: certe aeque semicirculi forma fuerunt. *Goer.*

Charmadas] Carneadis auditor. Cfr. Huelsemann. ad Academ.
p. 460. Hinc semper fere in codd. scribitur ex errore *Car-
des.*

§. 5. *Pericli*] Sic scribi voluit Goer. e vestigiis Gud. 2., in
est *Pericii*. Recepit veram illam formam Schuetz. Secutus
Orell. Vide ad II, 35, 116. Sic II. de Or. 23, 93. *omnes
retinebant illum Pericli succum.*

in aliqua historia vestigium ponimus] Sic Erl. Spir. — Vulg.
aliquam historiam. Utrumque bonum. Res e codd. auctoritate
det. *Historia* autem est *res memorabilis.*

rum sunt; sin tantummodo ad indicia veteris memoriae cognoscenda, curiosorum. Te autem hortamur omnes, currentem quidem, ut spero, ut eos, quos novisse vis, etiam imitari velis. Hic ego, Etsi facit hic quidem, inquam, Piso (ut vides) ea, quae praecipis: tamen mihi grata tua est hortatio. Tum ille amicissime, ut solebat, Nos vero, inquit, omnes omnia ad huius adolescentiam conferamus, ut primisque ut aliquid suorum studiorum philosophiae quoque impertiat, vel ut te imitetur, quem amat; vel ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatius. Sed utrum hortandus es nobis, Lael, inquit, an etiam tua sponte propensus es? Mihi quidem Antiochum, quem audis, satis belle videris attendere. Tum ille timide, vel potius verecunde, Facio, inquit, equidem: sed audistine modo de Charmada? Rapior illuc. Revocat autem Antiochus: nec est praeterea, quem audiamus.

III. 7 Tum Piso, Etsi hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire, quum hic adsit, (me autem dicebat) tamen audebo te ab hac Academia nova ad veterem illam vocare; in qua, ut dicere Antiochum audiebas, non ii soli numerantur, qui Academici vocantur, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor, ceteriique, sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad eos igitur converte te, quaeso. Et

§. 6. *currentem quidem*] Ex proverbio dictum est τὸν τρέχοντα ὀτρύνειν. Erasm. Adag. ed Gryn. p. 594. II. ad Q. Fr. ep. 14. *Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed meliorem currentem nunc quidem. Goer.*

grata tua est hortatio] Sic scripsi e Spir. Erl. — Vulg. *grata est hortatio tua.*

Cap. III.

§. 7. *hoc — non poterit sic abire.*] Cfr. XIV. Att. ep. 1. *ad summam, non posse istaec sic abire.* Nos similiter: das wird nicht so abgehen können. *Sic est οὕτως*, tam leviter, tam inulte, impune.

Crantor] Philosophus scholae Academicae, Platonis discipulus.

orum enim scriptis et institutis quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his p.126. oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac, quam omnium artium officina, profecti sunt. Atque ego, Scis me, inquam, istud idem sentire, 8 Piso: sed a te opportune facta mentio est. Studet enim meus audire Cicero, quaenam sit istius veteris, quam commemoras, Academiae de finibus bonorum, Peripateticorumque sententia. Censemus autem facillime id explanare posse, quod et Staseam Neapolitanum multos annos habueris apud te, et complures iam menses Athenis haec ipsa tecum ex Antiocho videamus exquirere. Et ille ridens, Age, age, inquit, (satis enim scite me nostri sermonis principium esse voluisti) exponamus adolescenti, si quae forte possumus. Dat enim id vobis solitudo. Quod si quis deus diceret, numquam putarem, me in Academia, tamquam philosophum, disputaturum. Sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim. Mihi, inquam, qui te ipsum rogavi? Tum, Quintus et Pomponius quum idem se velle dixissent, Piso exorsus est. Cuius oratio, attende quaeso, Brute, satisne videar Antiochi complexa esse sententiam: quam tibi,

institutis] „*instituta* sunt exercitia in philosophia tractanda, explicanda aliisque tradenda. Celebratur enim ratio, qua philosophiae magistri, prae primis Peripatetici, usi, iuvenes discendi studios exercitabant, familiariter cum iis conversantes, ut ingenia eorum acuerent scientiaque philosophandi instruerent. Lael. 4, 15. Brut. 31, 119. extr.“ *Beier.* ad Offic. I, 1. init.

ex hac, tamquam omnium etc.] Sic scripsi e Spir. Erl. — Alg. *ex hac, tamquam ex.* At cfr. cap. 6, 17. *quasi capite* et Not. Excurs. de praepositionibus altero membro orationis omissis.

§. 8. *Staseam*] De Stasea Peripatetico vide infra 25, 75. et Orat. 22, 104.

qui fratrem eius Aristum frequenter audieris, maxime probatam existimo. Sic est igitur locutus.

IV. Quantus ornatus in Peripateticorum disciplina 9 sit, satis est a me, ut brevissime potuit, paullo ante dictum. Sed est forma eius disciplinae, sicut fere ceterarum, triplex. Una pars est naturae: disserendi altera: vivendi tertia. Natura sic ab iis investigata est, ut nulla pars caelo, mari, terra, (ut poetice loquar) praetermissa sit. Quin etiam, quum de rerum initiis omnique mundo locuti essent, ut multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent: maximam materiem ex rebus per se investigatis ad rerum occultarum cognitionem attu- 10 lerunt. Persecutus est Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras. Theophrastus autem stirpium naturas omniumque fere rerum, quae e terra gignerentur, caussas atque rationes; qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum. Disserendique ab iisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et tamen, ut in omnibus rebus, quidquid 11 ex utraque parte dici posset, expromeret. Quum autem tertia pars bene vivendi praecepta quaereret,

fratrem eius Aristum] De Aristo, Bruti magistro videl. Acad. 8, 12. *nam Aristum* (Brutus) *Athenis audivit aliquamdiu*, cum tu (Varro) *fratrem Antiochum*. Plutarch. in vit. Brut. p. 984. a. hunc Bruti φίλον καὶ συμβιώτην vocat, eumque virum dicit τὰ μὲν ἐν λόγοις ἕξει πολλῶν φιλοσόφων λειπόμενον, εὐταξίᾳ δὲ καὶ πραότητι τοῖς πρώτοις ἐναμιλλον. *Goer.*

Cap. IV.

§. 9. *locuti essent, ut*] *ut* significat *ita ut*.
materiem] Sic scripsi de coniectura. Vid. supra ad III, 18, 61.
per se investigatis] h. e. *quales suapte ipsarum natura essent*.
§. 10. *Arcesilas*] Philosophus Academicus, Polemonis discipulus ex Pitane civitate Aeolica ortus.

ea quoque est ab iisdem non solum ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Omnium fere civitatum, non Graeciae solum, sed etiam Barbariae, ab Aristotele mores, instituta, disciplinas; a Theophrasto leges etiam cognovimus: quumque uterque eorum docuisset, qualem in republica principem esse conveniret, pluribus praeterea conscripsisset, qui esset optimus reipublicae status: hoc amplius Theophrastus, quae essent in republica rerum inclinationes et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcumque res postularet. Vitae autem degendae ratio maxime quidem illis placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum: quae quia deorum erat vitae simillima, sapiente visa est dignissima, atque his de rebus et splendida est eorum et illustris oratio.

V. 12 p. 127.

De summo autem bono, quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικόν appellabant; alterum limatius, quod in

§. 11. *conscripsisset*] Sic dedit Orell. e Spir. Erl. — Vulg. *quum scripsisset.*

hoc amplius Theophrastus] III. Legg. 6, 14. *Theophrastus habitavit, ut scitis, in eo genere rerum* i. e. *politicarum.* Magnum autem librorum eius numerum recenset Diog. Laert. V, 45. ad res civiles spectantium. Ex quibus hoc loco Cicero maxime quatuor illos Theophrasti libros innuere videtur, Πολιτικοὶ πρὸς τοὺς καιρούς inscriptos. *Goer.*

rerum inclinationes] Sic scripsi e Spir. Erl. — Vulg. *incl. rer.*

Cap. V.

§. 12. *unum populariter scriptum* etc.] De duplici Aristotelicorum scriptorum, ἐξωτερικῶν et ἀκροαματικῶν, genere, praeter alios, eleganter, ut solet, eruditeque egit nuper Wyttenbach. in Epist. ad Heusdium, quae huius specimini critico in Platonem praemissa legitur p. XLVI. seqq. Laudat vir egregius Ammonii, Hermiae filii, Comment. ad Aristotelis Categorias p. 4., qui scripta Aristotelis sic distinguit, *ut essent, vel συντακτικά, id est, opera composita, descripta, absoluta ad editionem aliorumque cognitionem: vel ὑπομνηματικά, (quae Latine dicuntur commentariensia aut commentaria,) quae nondum ad editionem conformata, tantummodo adversaria et materiam scribendi libri continerent. Goer.*

limatius] h. e. tenui filo et subtili disputatione res pertextae,

commentariis reliquerunt: non semper idem dicere videntur: nec in summa tamen ipsa aut varietas ei ulla, apud hos quidem, quos nominavi, aut inter ipsos dissensio. Sed quum beata vita quaeratur, idque sit unum, quod philosophia spectare et quo qui debeat: sitne ea tota sita in potestate sapientis, an possit aut labefactari aut eripi rebus adversis, in eo nonnumquam variari inter eos et dubitari videtur. Quod maxime efficit Theophrasti de beata vita liber: in quo multum admodum fortunae datur. Quod si ita se habeat, non possit beatam praestare vitam sapientia. Haec mihi videtur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio, quam virtutis vis gravitasque postulat. Quare teneamus Aristotelem et eius filium Nicomachum: cuius accurate scripti de moribus libri, dicuntur illi quidem esse Aristoteli: sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius. Theophrastum tamen adhibeamus ad pleraque, dummodo plus in virtute teneamus, 13 quam ille tenuit, firmitatis et roboris. Simus igitur contenti his. Namque horum posteri, meliores

quum in popularibus scriptis i. e. in ἐξωτερικοῖς, crasso filo narrationibusque ad communem captum accommodatis agendum sit.

reliquerunt] Indicat, commentarios ab Aristotele et Theophrasto non editos, sed post eorum mortem vulgatos.

in quo multum admodum fortunae datur.] Aristoteles cum Academicis, externa bona, eaque corporis, συμπληρωτικὰ τῆς κατὰ φύσιν τελειότητος, sed beatam vitam sine istis consistere posse statuit supra IV, 18, 49. Quod si Antiochi Ascalonitae verbis expresseris, *beatam* sine his concedebat, sed non *beatissimam*, infra 24, 71. At Theophrastus, cum fortuna adversa, cum dolore cruciatuque corporis coniungi beatam vitam nullo modo posse putavit. Cfr. infra 26, 75. Atque ita etiam reliqua loca capienda sunt I. Acad. 9, 33. V. Tusc. 8, 24. 25. Hinc iure I. Acad. 10, 35. *nervos virtutis incidisse*, et constanter praeceptis suis egisse dicitur, si illam sententiam laudasset, vitam regi fortuna, non sapientia. Vide V. Tusc. l. l. *Goer.*

Aristoteli] Sic Erl., quod damnavit iniusta Goer., qui cum vulgatis exemplaribus retinet *Aristotelis*. Vide ad II, 35, 116. Defendit hunc genit. Ellendt. ad Brut. 7, 29. p. 26. b. seq.

patri similis] Goer. mavult *patris*, et poterat sane facile unus alterum *s* in *similis* prius *s* obliterari. At res valde est dubia. Vide, quae dixerit Ochsner. in Ecl. Cic. p. 197. et Excurs. meum ad nostrum locum de constructione adiectivi *similis* et *dissimilis*.

i quidem, mea sententia, quam reliquarum phi-
sophi disciplinarum: sed ita degenerant, ut ipsi
se nati esse videantur. Primum Theophrasti
trato physicum se voluit. In quo etsi est magnus,
men nova pleraque et perpauca de moribus.
uius Lyco et oratione locuples, rebus ipsis ieiu-
ior. Concinnus deinde et elegans huius Aristo:
d ea, quae desideratur a magno philosopho,
ravitas in eo non fuit. Scripta sane et multa et
olita: sed nescio quo pacto auctoritatem oratio
on habet. Praetereo multos, in his doctum ho- 14
inem et suavem, Hieronymum: quem iam cur
eripateticum appellem, nescio. Summum enim
onum exposuit vacuitatem doloris. Qui autem de
mmo bono dissentit, de tota philosophiae ratione
issentit. Critolaus imitari voluit antiquos: et qui-
em est gravitate proximus, et redundat oratio.
ttamen is quidem in patriis institutis manet. Dio-
orus, eius auditor, adiungit ad honestatem vacui-
atem doloris. Hic quoque suus est: de summo-
ue bono dissentiens, dici vere Peripateticus non
otest. Antiquorum autem sententiam Antiochus
oster mihi videtur persequi diligentissime: quam
amdem Aristotelis fuisse et Polemonis docet.

Facit igitur Lucius noster prudenter, qui au- VI.
ire de summo bono potissimum velit. Hoc enim 15
onstituto, in philosophia constituta sunt omnia.
am ceteris in rebus sive praetermissum, sive igno-
tum est quippiam, non plus incommodi est, quam

§. 13. *Theophrasti Strato*] i. e. discipulus Theophrasti. Vide eo Plutarch. adv. Colot. p. 1115. a.
Lyco] Stratonis discipulus. Vide Diog. Laert. V, 58. et 65. seq.
gravitas] i. e. subtilitas, Gründlichkeit.
auctoritatem] Verte *Eindruck*.
§. 14. *voluit antiquos*] Sic scripsi e Spir. Erl. — *antiquos luit* vulg.
patriis institutis] h. e. *institutis familiae Peripateticae*. Critolaum autem in Peripatetica de finibus bonorum sententia perstisse, patet ex eius *libra*. Cfr. Tusc. V, 17, 51.

quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut, quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, quam intelligitur, quod sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est conformatioque omnium officiorum.

16 Est igitur, quo quodque referatur: ex quo, id quod omnes expetunt, beate vivendi ratio in-
p.128. veniri et comparari potest. Quod quoniam in quo sit, magna dissensio est; Carneadia nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur vidit, non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae. Negabat igitur ullam esse artem, quae ipsa a se proficisceretur. Etenim semper illud extra est, quod arte comprehenditur. Nihil opus est exemplis hoc facere longius. Est enim perspicuum, nullam artem ipsam in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud, quod propositum sit arti. Quoniam igitur, ut medicina valitudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia: necesse est, eam quoque ab aliqua re esse constitutam et pro-
17 fectam. Constitit autem fere inter omnes, id, in quo prudentia versaretur, et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturae esse oportere, et tale, ut ipsum per se invitaret et alliceret appetitum animi; quem ὁρμήν Graeci vocant. Quid

Cap. VI.

§. 16. *Ille*] scil. *Carneades*, qui intelligendus est ex adiectivo *Carneadia*. Sic de Divin. II, 14, 31. *quale Pherecydeum illud — qui quum aquam ex puteo vidisset haustam, terrae motum dixit futurum.* Ex *Pherecydeum* repete *Pherecydes*, unde est pron. *qui*. Vide Ruhnken. ad Vellei. Paterc. p. 16.

ut medicina valitudinis] Aristot. Ethic. ad Nicom. c. I. Ἰατρικῆς μὲν γὰρ ὑγίεια, ναυπηγικῆς δὲ πλοῖον.

autem sit, quod ita moveat itaque a natura in primo ortu appetatur, non constat, deque eo est inter philosophos, quum summum bonum exquiritur, omnis dissensio. Totius enim quaestionis eius, quae habetur de finibus bonorum et malorum, (quum quaeritur, in his quid sit extremum, quid ultimum,) fons reperiendus est, in quo sunt prima invitamenta naturae. Quo invento, omnis ab eo, quasi capite, de summo bono et malo disputatio ducitur.

Voluptatis alii primum appetitum putant, et VII.
primam depulsionem doloris: alii censent primum
adscitum non dolere, et primum declinatum do-
lorem. Ab his illa, quae prima secundum natu- 18
ram nominant, proficiscuntur: in quibus numerant
incolumitatem conservationemque omnium partium,
valitudinem, sensus integros, doloris vacuitatem,
vires, pulchritudinem, cetera generis eiusdem: quo-
rum similia sunt prima in animis, quasi virtutum
igniculi et semina. Ex his tribus quum unum ali-
quod sit, quo primum natura moveatur vel ad
appetendum, vel ad repellendum, nec quidquam
omnino, praeter haec tria, possit esse: necesse
est omnino officium aut fugiendi aut sequendi ad
eorum aliquod referri; ut illa prudentia, quam ar-
tem vitae esse diximus, in earum trium rerum ali-
qua versetur, a qua totius vitae ducat exordium.

Cap. VII.

§. 18. *Ab his illa*] Sic scripsi de nescio cuius coniectura apud Orell. — Vulg. *alii*, quod refert Goer. ad ascitus, qui sequuntur. At antequam mihi non persuadebitur *ascitus* esse substantivum quartae declinationis, id quod ex hoc certe loco nemo probare poterit, in quo vv. *non dolere* pro substantivo *indolentia*, neutro genere posita sunt, unde *adscitum* et *declinatum* pro infinitivo gen. neutro, omisso verbo substant. *esse*, accipienda, *primum* autem pro adverbio, non adducor, ut vera mihi videatur illa lectio *alii*, quod saepe confunditur in MSS. cum *illi* vel *illa* (vid. not. ad Caton. Mai. 6, 24. p. 63.) Mox §. 19. sequitur *omne officium referunt aut ad voluptatem, aut ad non dolendum, aut ad prima illa secundum naturam obtinenda.*

quanti quaeque earum rerum est, in e
ctum est aliquid. Summum autem
retur, vivendi rationem ignorari r
quo tantus error consequitur, ut
se recipiant, scire non possin
rerum finibus, quam intellig
norum extremum et malor
est conformatioque omniu
16 Est igitur, quo qu
id quod omnes expetu
p.128. veniri et comparari p
sit, magna dissensi
benda divisio est.
uti solet. Ille i
sent adhuc phi
quot omnino
igitur ullam
sceretur.
arte com ... superiores tres erant,
facere ... quarum est una sola defensa, e
tem ... Nam voluptatis caussa facere o
ipsa ... si nihil consequamur, tamen i
igi ... ilium ita faciendi per se expetend
r ... et solum bonum sit, nemo dicit
... quidem doloris ipsam per se qui
... expetendis putavit, ne si etiam
... At vero facere omnia, ut adipi

§ 19. *adipiscendi, etiam si non adipiscare.*] Verba *etiam* ... in huiuscemodi argumentatione fere necessaria add ... Stephani et P. 2480, quae *adipiscendorum* hab ... §. 20. ter idem effertur.

§ 20. *ne si etiam evitare posset.*] h. e. ne tum quidem ... evitare dolorem posset, hac doloris evitationem per s ... expetendis putavit. Sic explicat hunc locum Gernhard. ... Parad. p. 320. contra Goerenzii contortam int ... qua ex *quisquam* repetendum sit *aliquis*, quod ... haud raro ad v. *posse* intelligatur, ut sensus sit: ne tu ... vel vitationem putare quisquam posset. Sic enim b ... dicturum: absurdum esse, si vel putare quis veli ... posse. Orell. altiorem putat latere corruptelam ... sententia requiratur, *etiamsi evitari non poss*

naturam sunt, etiam si ea non
sse et honestum et solum per se
olum bonum, Stoici dicunt.
sunt simplices de summa bo- VIII.
ntentiae: duae sine patrono, 21
nctae autem et duplices ex-
tres omnino fuerunt: nec
rum naturam videas, esse
ptas adiungi potest ad
Dinomachoque placuit:
doro: aut prima natu-
n Academicos et Pe-
uoniam non possunt
ntia nota esse de-
esse: quoniam ad
arebit, nati sumus.
em fere dici solent, quae
uoniam igitur et de voluptate
o, et de honestate, in qua una omne
retur, cum Catone est disputatum: pri-
contra voluptatem dicta sunt, eadem
contra vacuitatem doloris; nec vero 22

. l. bis. At V. D. deceptus est ipsis his locis. tia est: *ne vitationem quidem doloris esse in re- tiamsi eam obtinere possimus*, h. e. *etiamsi non btinere*, ut *non doleas*. In binis illis priori- iva est sententia, quia difficilia illa sunt ad adi- h. l. pro *ne — quidem* ponitur, quia praecessit unde facile intelligitur, quomodo *ne* explicetur. ecedit negatio, *ne* apud Ciceronem non ponitur n. Vide Gernhard. l. c.

Cap. VIII.

ma bonorum] Sic II. Acad. 42, 129. *bonorum et* ponitur.

ic Schuetz. et Orell., ut lib. II. §. 35. — *Calli-*

naiora] Sic scripsi de coniectura necessaria. Vide

ur — doloris] Haec plurimis interpretibus suspe- d eandem sententiam continere visa sunt, quam praecedentia. Goer. Ciceronis quidem esse putat, editione petita, manca tamen et curtata ea. horum librorum recensione prolegomena. De elo-

19 Ex eo autem quod statuerit esse, quo primum natura moveatur, existet recti etiam ratio atque honesti, quae cum aliquo uno ex tribus illis congruere possit, ut honestum sit, facere omnia aut voluptatis caussa, etiam si eam non consequamur, aut non dolendi, etiam si id assequi nequeas, aut eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi, etiam si non adipiscare. Ita fit, ut, quanta differentia est in principiis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt aut ad voluptatem, aut ad non dolendum, aut
20 ad prima illa secundum naturam obtinenda. Expositis iam igitur sex de summo bono sententiis, triam proximarum hi principes; voluptatis, Aristippus; non dolendi, Hieronymus; fruendi rebus iis, quas primas secundum naturam esse diximus, Carneades, non ille quidem auctor, sed defensor, di-
p.129. serendi caussa fuit. Superiores tres erant, quae esse possent: quarum est una sola defensa, eaque vehementer. Nam voluptatis caussa facere omnia, quum, etiam si nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi per se expetendum et honestum et solum bonum sit, nemo dicit. Nevitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, ne si etiam evitare posset. At vero facere omnia, ut adipiscamur

§. 19. *adipiscendi, etiam si non adipiscare.*] Verba *etiam — adipiscare* in huiuscemodi argumentatione fere necessaria addidit Orell. e Cd. Stephani et P. 2480, quae *adipiscendorum* habet. Infra quoque §. 20. ter idem effertur.

§. 20. *ne si etiam evitare posset.*] h. e. ne tum quidem quisquam, si evitare dolorem posset, hac doloris evitationem per se in rebus expetendis putavit. Sic explicat hunc locum Gernhard. in Addend. ad Cic. Parad. p. 320. contra Goerenzii contortam interpretationem, qua ex *quisquam* repetendum sit *aliquis*, quod pronomen haud raro ad v. *posse* intelligatur, ut sensus sit: ne tum quidem, si vel vitationem putare quisquam posset. Sic enim belle Ciceronem dicturum: absurdum esse, si vel putare quis velit, dolorem vitari posse. Orell. altiorem putat latere corruptelam, quum negativa sententia requiratur, *etiamsi evitari non posset dolor*, si

uae secundum naturam sunt, etiam si ea non
ssequamur, id esse et honestum et solum per se
xpetendum, et solum bonum, Stoici dicunt.

Sex igitur hae sunt simplices de summa bo- VIII.
orum malorumque sententiae: duae sine patrono, 21
uattuor defensae. Iunctae autem et duplices ex-
ositiones summi boni tres omnino fuerunt: nec
ero plures, si penitus rerum naturam videas, esse
otuerunt. Nam aut voluptas adiungi potest ad
onestatem, ut Calliphonti Dinomachoque placuit:
ut doloris vacuitas, ut Diodoro: aut prima natu-
ae, ut antiquis: quos eosdem Academicos et Pe-
ipateticos nominamus. Sed quoniam non possunt
mnia simul dici, haec in praesentia nota esse de-
ebunt, voluptatem semovendam esse: quoniam ad
naiora quaedam, ut iam apparebit, nati sumus.
De vacuitate doloris eadem fere dici solent, quae
de voluptate. Quoniam igitur et de voluptate
cum Torquato, et de honestate, in qua una omne
bonum poneretur, cum Catone est disputatum: pri-
mum, quae contra voluptatem dicta sunt, eadem
fere cadunt contra vacuitatem doloris; nec vero 22

supra §. 19. et h. l. bis. At V. D. deceptus est ipsis his locis. Nam h. l. sententia est: *ne vitationem quidem doloris esse in rebus expetendis, etiamsi eam obtinere possimus*, h. e. *etiamsi non difficile sit, id obtinere*, ut *non doleas*. In binis illis prioribus rebus negativa est sententia, quia difficilia illa sunt ad adipiscendum. *Ne* h. l. pro *ne — quidem* ponitur, quia praecessit negativa oratio, unde facile intelligitur, quomodo *ne* explicetur. Quod si non praecedit negatio, *ne* apud Ciceronem non ponitur pro *ne — quidem*. Vide Gernhard. l. c.

Cap. VIII.

§. 21. *de summa bonorum*] Sic II. Acad. 42, 129. *bonorum et malorum summa* ponitur.

Calliphonti] Sic Schuetz. et Orell., ut lib. II. §. 35. — *Calliphoni* cett.

quoniam ad maiora] Sic scripsi de coniectura necessaria. Vide ad I, 4, 10.

Quoniam igitur — doloris] Haec plurimis interpretibus suspecta fuerunt, quod eandem sententiam continere visa sunt, quam habent proxime praecedentia. Goer. Ciceronis quidem esse putat, sed ex prima editione petita, manca tamen et curtata ea. Vide de duplici horum librorum recensione prolegomena. De elo-

alia sunt quaerenda contra Carneadiam illam sententiam. Quocumque enim modo summum bonum

cutione Ciceronia nihil esse quod dubites, ostendit idem Goer. Nam unam illam formulam *cadunt contra*, quae ἄπαξ εἰρημένον est, ut dicunt, apud Ciceronem, excusari eo, quod consulto sic scripsisse auctor putandus sit, ut ambiguitatem dictionis *cadunt in*, quam Gud. 1. exhibeat, vitaret. Sed, id quod in tali re est gravissimum, sententiarum nexus accurate est et lente considerandus, quod h. l. neglexerunt facere VV. DD. Argumenta potius, quo suspectum redderent locum, externa possunt dici, quae sunt haec: Primo intempestivam putat Goer. Stoicae sententiae commorationem, quum inferius et ex ordine a verbis, *Restat Stoici* ad eam respiciatur. Deinde eandem rem iisdem verbis misere repetitam *de vacuit. dolor. — quae de voluptate*, et, *quae de vol. — vacuit. dolor.*; denique *primum* illud, quod per se nihil sit, nisi ad haec supervacanea *alterum* aliquod, aeque supervacaneum, de Stoicis iudicium excidisse statuas. Conferri praeterea iubet §. 22. Speciosa haec sunt argumenta, ad suspicionem movendam aptissima, quae facile nos possunt fallere, nisi interiora quaeramus, quibus vehementer labefactari videbimus Goerenzii argumenta. Incipiamus a particula *igitur*, quae usurpatur post digressionem longiorem, quam, nisi esset a Cicerone, vix scriba intrusisset hoc loco. Ostendit autem ea, annecti haec superioribus, et refertur ad vv. *Sed quoniam*, ut, si ea dematur, Ciceronem ita scripturum fuisse suspiceris: *Sed quoniam non possunt omnia simul dici, ea praetereamus, de quibus iam est dictum.* Haec omnia autem, quae a verbis *Sed quoniam* usque ad finem §. leguntur, ea de causa dixit, quod, ut videmus, si de aliqua disciplina philosophica exponit, reliquarum sectarum sententias paucis repetit, quo appareat singularum discrimen in constituendis summi boni finibus. Quod cur hoc loco facere nolit, pluribus argumentis eloquitur, singulas percurrens scholas. Primum *Epicuri* sententiam, *voluptatem* summum bonum esse, indignam dicit, quae repetatur; deinde *Hieronymi* sententiam, *vacuitatem doloris* summum bonum esse eadem de causa esse reiiciendam, qua Epicuri sententiam. Iam, dum ad tertiam progredi vult sententiam *Carneadis*, *frui principiis naturalibus* esse extremum, addit alteram causam, cur de voluptate nolit dicere, quippe de qua iam dixerit; quibus ὡς ἐν παρόδῳ adiicit, se nec de *honestate* dicturum, de qua item dixerit; nusquam autem hoc aptius annectere potuit, quam hoc loco. Solet autem Cicero id saepe facere, ut si qua sunt cognata sibi, de eo etiam loquatur, quod proprie non pertinet ad rem, de qua est sermo. Altero enim loco, ubi de honestate loquitur, recurrit ad causas exponendas, cur hoc loco dicere nolit de reliquis philosophorum scholis. Nimirum, quum modo de Peripateticis et Academicis disputasset, de Stoicis nunc non disputat, quod hi ab illis non differant in rebus, sed tantum in verbis. Otiosum enim fuisset, eadem repetere. *Primum* denique posuit, quod plures sunt scholae, de quibus est disputaturus. Respondet huic adverbio enunciatum hoc: *Nec vero* etc. ut saepe. Vide ad I, 6, 17. Haec autem proprie coniungenda erant cum illis: *eadem fere* etc. Nam tertia haec est sententia philosophica, quam tangit. Sed, ut saepe fit, parenthesi

sic exponitur, ut id vacet honestate: nec officia, nec virtutes in ea ratione, nec amicitiae constare possunt. Coniunctio autem cum honestate vel voluptatis, vel non dolendi, id ipsum honestum, quod amplecti vult, efficit turpe. Ad eas enim res referre quae agas, quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicas esse; altera versetur in levissima parte naturae, obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. Restant Stoici, qui quum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt. Hos contra singulos dici est melius. Sed nunc, quod agimus. De illis, quum volemus. Democriti autem securitas, quae est animi tam- 23
quam tranquillitas, quam appellavit εὐθυμίαν, eo separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas ea ipsa est beata vita. Quaerimus autem, non quae sit, sed unde sit. Iam explosae eiectaeque sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Herilli, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendae omnino non fuerunt. Nam quum omnis haec quaestio de finibus et quasi de extremis bonorum et malorum ab eo proficiscatur, quod dicimus naturae esse aptum et accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur: hoc totum et ii tollunt, qui in rebus iis, in quibus nihil, quod aut honestum aut turpe sit, negant esse ullam caussam, cur aliud alii anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant interesse: et Herillus, si ita sensit, nihil esse bonum, praeter scientiam, omnem consilii capiendi

annectuntur ea, quae ad enunciatum primarium pertinent. Vide Ramshorn. p. 704. c. His ita expositis videor mihi docuisse, locum nulla ex parte esse corruptum.

dicas] Sic e Gud. secundo, prob. Goer., Schuetz. — *dicat* ceteri, quod ortum est ex eo, quod *una* nominativo casu positum putarunt scribae et congruere volebant cum vv. *altera versetur*. *Una* est ablativus, ut dicunt, absolutus, ita solvendus, *in quarum una*, *bei deren einer*; *una* refertur ad *rem*.

caussam inventionemque officii sustulit. Sic, exclusis sententiis reliquorum, quum praeterea nulla esse possit, haec antiquorum valeat necesse est. Ergo instituto veterum, quo etiam Stoici utantur, hinc capiamus exordium.

IX. Omne animal se ipsum diligit, ac simul ac
24 ortum est, id agit, ut se conservet, quod hic ei
p. 130. primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conservet, atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Hanc initio institutionem confusam habet et incertam, ut tantummodo se tueatur, qualecumque sit. Sed nec quid sit, nec quid possit, nec quid ipsius natura sit, intelligit. Quum autem processit paullum, et, quatenus quidquid se attingat ad seque pertineat, perspicere coepit, tum sensim incipit progredi seseque agnoscere, et intelligere, quam ob caussam habeat eum, quem diximus, animi appetitum: coeptatque et ea, quae naturae sentit apta, appetere, et propulsare contraria. Ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in eo, quod naturae est accommodatum. Ita finis bonorum exsistit, secundum naturam vivere, sic affectum, ut optime affici possit ad naturamque
25 accommodatissime. Quoniam autem sua cuiusque animantis natura est, necesse est, finem quoque omnium hunc esse, ut natura expleatur. Nihil enim prohibet, quaedam esse et inter se animalibus reliquis, et cum bestiis homini communia, quo-

Cap. IX.

§. 24. *simul ut ortum est*] Sic cum cod. uno Lambin. in marg. 1584. Gruter. Ern. Schuetz. Orell. — *simul et* codd. plurimi et Goer. Sed *et* non potest adhiberi, nisi ubi enunciatum aliquod duas partes continet. Vide ad IV, 12, 31. — *ut* et *et* autem saepe in libris confunduntur.

omnem vitam] h. e. *vitam ab omni parte.*

institutionem] Sic dedi e Spir. Erl. Crat. in marg., ut infra c. 13, 32. — *constitutionem* vulg., quae correctio videtur esse aurium gratia facta, ut ne vv. *initio inst.* iuxta ponerentur.

niam omnium est natura communis. Sed extrema illa et summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta et dispertita sunt, et sua cuique propria, et ad id apta, quod cuiusque natura desiderat. Quare quum dicimus, omnibus animalibus 26
extremum esse, secundum naturam vivere; non ita accipiendum est, quasi dicamus, unum esse omnium extremum: sed, ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versetur, scientiam autem suam cuiusque artis esse: sic commune animalium omnium secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa communis, et quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis, quas natura alit, auget, tuetur: in quibus videmus, ea, quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae ad vivendum crescendumque valeant, et suo genere perveniant ad extremum:

§. 26. *ut in aliqua scientia versetur*] scil. *commune illud*, *τὸ κοινόν*. Hoc qui non intellexerunt, mutarunt in *versentur*, quod ad *artes* retulerunt.

et suo genere perveniant ad extremum] Vexavit hic locus multum interpretes, qui periodi conformationem non intellexerunt. Putarunt enim verbis *et suo genere perveniant* finem contineri, unde Ern. correxit *ut suo genere*, damit sie etc. — Brem. suspicatus est *et ut suo gen.*, quod verum est ad sensum, nec tamen necessarium, quod reponatur. Mirum hoc probasse Beier. ad Cic. Off. I, 4, 11. Vol. I. p. 24. collato de Finib. IV, 7. §. 16. (et 8. §. 19.) *Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut et salva sit et in genere conservetur suo.* Rectissime autem hunc locum ab omnibus coniecturis defendit Reinhold. Klotz. Quaestt. Tullian. Lips. ap. Schwickert. 1830. p. 67. seq. Ostendit enim fugisse viros doctos rationem dicendi, qua relativum, si alio casu est repetendum, omittitur, ut hoc loco, ubi, si propriam dictionem retinuisset, scripsisset auctor: *quae ad vivendum crescendumque valeant, et quibus (und wodurch) suo genere perveniant ad extremum.* Afferam nunc exempla Graeca, quae ad hanc dicendi rationem illustrandam attulit Klotz. p. 69. Lucian. Gall. §. 28. p. 302. seq. ed. Fritzsch. sic e libris legendum censet Klotz.: *Τὸ δεξιὸν τοίνυν ὅτῳ ἂν ἐγὼ ἀποσπάσαι παράσχω καὶ ἔχῃ* (pro *καὶ ὅσις ἔχῃ*), *ἐς ὅσον ἂν βούλωμαι ἀνοίγειν τε ὁ τοιοῦτος πᾶσαν θύραν δύναται καὶ ὁρᾶν τὰ πάντα οὐχ ὁρώμενος αὐτός*, quicum conferre iubet Homer. Odyss. II, 113. seq. *μητέρα σὴν ἀπόπεμψον, ἄνωχθι δέ μιν γαμέεσθαι τῷ, ὅτεῳ τε πατὴρ κέλεται, καὶ*

ut iam liceat una comprehensione omnia complecti; non dubitantemque dicere, omnem naturam

(ὅστις scil.) ἀνδάνει αὐτῇ. Alterum profert ex eiusdem Lucian. Alexandr. §. 19. p. 233. ed. Fritzsch. ἐκεῖθεν οὖν τὸ ἐνδόξιμον λάβοὶν ὁ Ἀλέξανδρος προλέγει πᾶσι τοῖς ἀφικομένοις ὡς μαντεύσεται ὁ θεὸς ὁητήν τινα ἡμέραν προειπών, ἐκέλευσε δὲ ἕκαστον οὗ δέοιτο ἄν καὶ (ὅ scil.) μάλιστα μαθεῖν ἐθέλοι, ἐς βιβλίον ἐγγράψαντα καταβάψαι etc., qui locus consimilis sit ei, qui legatur apud Platon. Sympos. p. 201. B. ed. H. Steph. ἀνκοῦν ὡμολόγηται, οὗ ἐνδεής ἐστι καὶ (ὅ scil.) μὴ ἔχει, τοῦτον ἐρᾶν. Plura exempla habet Matthiae Gramm. Graec. maior. §. 428. 2. 474. d. Hermann. ad Viger. p. 707. Miror Beiero ad Cicer. Off. l. c. mutare voluisse nostrum locum, quum idem ad Offic. I, 42, 151. T. I. p. 299. optime viderit, posse hoc modo, quo nos explicuimus, locum defendi. Nam ipse plura citat, quae ad nostra pertineant, veluti de Finib. III, 7, 25. *nisi statuerit, nihil esse quod interesit aut* (*quo* scil.) *differat aliud ab alio.* Vide ibi notam. Offic. locus ita se habet: *Quibus autem artibus aut prudentia maior inest aut* (*e quibus* np.) *non mediocris utilitas quaeritur.* Idem Beier. ad Off. II, 6, 21. *cui fidem habent et* (*quem*) *bene rebus suis consulere arbitrantur*, citat 7, 23. *quem pertulit civitas paretque* (*et qui paret*) *cum maxime mortuo.* 10, 37. extr. *quae qui in utramque partem despiciunt et* (*quos*) *aliqua ampla et honesta res obiecta* (animo) *totos — ad se rapit.* Cfr. Cic. in Verr. IV, 5, 9. *quo et omnes utimur, et* (*quod*) *non praebetur a populo.* Male Ernest. suspicatur aut: *quod et omnes* aut: *quod eo omnes.* Insigne exemplum addere liceat e Vitruv. V, 4, 7. ed. Schneider. *concentus, quos natura modulavit, Graeceque* (*et qui Graece*) *συμφωνίαι dicuntur.* Klotz. l. c. unum tantum Latinum exemplum affert ex Cic. de Fin. I, 9, 31. *Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult summumque malum dolorem.* At vide ad eum loc. notam.

non dubitantemque] Hunc locum male tractatum ab interpretibus, egregie defendit idem Klotz. l. c. p. 70. Nam quum Goerenzius negasset, dici posse *liceat non dubitantem dicere* sed dicendum esse *dubitanti* (vide Zumpt. §. 601.) affert Klotz. hos locos: Tusc. Disp. I, 38, 91. *Quare licet etiam mortalem esse animum iudicantem aeterna moliri, non gloriae cupiditate, quam sensurus non sit, sed virtutis, quam necessario gloria, etiam si tu id non agas, consequatur.* et lib. Tuscul. disput. IV, 32, 68. *Haec laetitia quam turpis sit satis est diligenter attendentem penitus videre.* Voluit scil. Goer. Dativum *dubitanti.* Cfr. Offic. I, 26, 92. *Haec praescripta servantem licet magnifice animoseque vivere.* II, 19. *Licet tamen opera prodesse multis, beneficia potentem, commendantem — vigilantem.* Cfr. Ramshorn. p. 424. not. 2. et Krueger. *über die Attraktion* der latein. Spr. §. 137. seqq. Recte autem explicat utriusque constructionis differentiam l. c. p. 71. his verbis: Ibi *accusativo* locus est casui, ubi participium vel adiectivum aptius cum infinitivo coniungitur, ita ut dicatur, quem ad modum illud, quod verbo significatur, fiat factumve sit: tum autem *eidem* casui, qui est subiecti, ad quod referatur, quum illud participium magis cum persona ea, quo est referendum, cohaeret, quasi quaedam proprietas. Hinc sequi non soluin tole-

esse conservatricem sui, idque habere propositum, quasi finem et extremum, se ut custodiat in quam optimo sui generis statu: ut necesse sit, omnium rerum, quae natura vigeant, similem esse finem, non eumdem. Ex quo intelligi debet, homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere: quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente. Haec igitur 27
nobis explicanda sunt: sed si enodatius, vos ignoscetis. Huius enim aetati, et huic, nunc hoc primum fortasse audienti, servire debemus. Ita prorsus, inquam. Etsi ea quidem, quae adhuc dixisti, quamvis ad aetatem recte isto modo dicerentur.

Exposita igitur, inquit, terminatione rerum ex- X.
petendarum, cur ista se res ita habeat, ut dixi, deinceps demonstrandum est. Quamobrem ordiamur ab eo, quod primum posui. Quod idem reapse primum est, ut intelligamus, omne animal se ipsum diligere. Quod quamquam dubitationem non habet, (est enim infixum in ipsa natura, comprehenditurque suis cuiusque sensibus, sic, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur), tamen, ne p.131.
quid praetermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. Etsi qui potest intelligi 28
aut cogitari, esse aliquod animal, quod se oderit?

randum esse nostro loco accusativum casum, verum etiam anteferendum dativo, quum iste accusativus aperte cum verbo aptius cohaereat. Idem fit apud Graecos v. c. Xenoph. Cyrop. II, 1, 15. *Ἔξεστι δ' ὑμῖν, εἰ βούλεσθε, λαβόντας ὅπλα — εἰς τὸν αὐτὸν ἡμῖν κίνδυνον ἐμβαίνειν.* Cfr. Matthiae Gramm. Gr. max. § 536. p. 1054. — Deinde quod idem Goer. dicit, debuisse Ciceronem copula (*que*) certe abstinere, id recte Klotzio multo minus ferendum esse videtur, quum haec duo inter se excipiantur *ut liceat una comprehensione omnia complecti* atque *non dubitantem dicere*. Et quod quis possit suspicari, Goerenzium ideo reposuisse *non dubitanterque*, quia hoc loco requiratur adverbium, id ipse Ciceronis exemplo cavet, ne quis credat. Ita enim de Divin. I, 55, 125. *Quin etiam hoc non dubitans dixerim.* Participii solvendi per particulas *ohne zu* v. c. *non dubitans dixerim* ich möchte es, ohne zu zweifeln sagen, exempla exhibet Ramshorn. p. 472. 2. — Secutus est Goerenz. Orell. — Vulgata lectio est *non dubitemque.*

Res enim concurrent contrariae. Nam quum appetitus ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus quum id sua causa faciet; et oderit se, et simul diliget: quod fieri non potest. Necesse est quidem, si quis ipse sibi inimicus est, eum, quae bona sunt, mala putare: bona contra, quae mala: et quae appetenda, fugere: et quae fugienda, appetere: quae sine dubio vitae sunt eversio. Neque enim, si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quaerant, aut, ut ille apud Terentium, qui *decrevit tantisper se minus iniuriae suo gnato facere*, (ut ait ipse) *dum fiat miser*, inimicus
29 ipse sibi putandus est. Sed alii dolore moventur, alii cupiditate: iracundia etiam multi efferuntur; et quum in mala scientes irruunt, tum se optime sibi consulere arbitrantur: itaque dicunt, nec dubitant, *Mihi sic usus'est: tibi ut opus'st facto, face:* velut, qui ipsi sibi bellum indixissent: cruciari dies, noctes torqueri vellent: nec vero sese ipsi accusarent ob eam causam, quod sese male suis rebus consuluisse dicerent. Eorum enim haec est querela, qui sibi cari sunt, seseque diligunt. Quare,

Cap. X.

§. 28. *ipse sibi*] Sic Beier. Offic. T. I. p. 247. ut in fine huius §. Cfr. Ochsner. Eclog. Cic. p. 34. Recepit Orell. — Ern. *sibi ipse.*

apud Terentium] Heaut. Timor. I, 1, 95.

inimicus ipse sibi putandus est.] Est in his anacoluthon, ortum ex interpositis verbis *qui* etc., quibuscum auctor ea coniunxit, quae ad enunciatum primarium pertinent ita: *inimici ipsi sibi putandi sunt*, relata ad tertium voc. *est*.

§. 29. *itaque dicunt, nec dubitant*] Offendit in his Goer., coniicitque *nec dubitantes*, vel *dicere nec dubitant*. At primum exemplis opus est, quibus confirmetur haec dicendi ratio *nec dubitantes*, ut *nec opinantes*; deinde *dicere nec dubitant* pro *dicere ne dubitent quidem* non est Latinum. Orell. coniecit *nec dubitanter*. Sed omnibus his coniecturis supersedere nos posse, docuit Klotz. l. c. p. 75. vertens ita: *also behaupten sie und zweifeln auch nicht*, vel: *also behaupten sie, ohne auch nur zu zweifeln.*

Mihi sic usus est] Terent. Heaut. Tim. I, 1, 28. Apud eum tamen alius obtinet verborum ordo.

quotiescumque dicetur male quis de se mereri sibique esse inimicus atque hostis, vitam denique fugere: intelligatur, aliquam subesse eiusmodi caussam, ut ex eo ipso intelligi possit, sibi quemque esse carum. Nec vero id satis est, neminem esse, 30 qui ipse se oderit: sed illud quoque intelligendum, neminem esse, qui, quo modo se habeat, nihil sua censeat interesse. Tolletur enim appetitus animi, si, ut in iis rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores simus, item in nobismetipsis, quemadmodum affecti sumus, nihil nostra arbitrabimur interesse.

Atque etiam illud, si quis dicere velit, perab- XI.
surdum sit: ita diligi a sese quemque, ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipsum, qui sese diligat. Hoc quum in amicitiis, quum in officiis, quum in virtutibus dicitur, quomodocumque dicitur, intelligi tamen, quid dicatur, potest; in nobismet autem ipsis ne intelligi quidem, ut propter aliam quampiam rem,

male quis de se mereri] Sic scripsi e Spir. Erl. — *male de se quis mereri* vulg.

inimicus atque hostis] Sic distingues, ut ille se oderit, hic sibi bellum indixerit. *Goer.*

§. 30. *intelligendum*] Sic omisso *est*, quod additum reperitur in vulg., Spir. Probat hoc recte Goerenz.

quemadmodum affecti sumus] Sic scripsit Goer. e Spir. Erl. et Gud. 1. — Vulg. *simus*, quod recepit Orell., reiecit Beier. ad Off. I. p. 52. Sed quum haec periphrasin contineant pro *affectum animi nostri*, *Gesinnung*, retineo indicativum, ut fecit Orell. I. Legg. 9, 27. *oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur.* Pauci libri eo loco *simus* habent. Vide not. ad Fin. IV, 24, 67. in.

Cap. XI.

in nobismet autem ipsis ne intelligi quidem, ut propter] Sic scripsit Orell. cum vulgatis. Goerenz. *in nobismet autem ipsis intelligi qui potest, quod propter* etc. Contra latinitatem et barbare *quod* post *intelligi* posuit. Vulgata lectio a Manutio est, qui eam non ex coniectura, sed e cod. aliquo dedisse videtur. Scribae nimirum, qui nescirent *ne intelligi quidem potest ut* significare: *ne cogitari quidem potest, quomodo* etc. h. e. *ne verisimile quidem videtur, nos amare propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem*, mutarunt *ut* in *quod*, quae par-

verbi gratia, propter voluptatem, nos amemus. Propter nos enim illam, non propter eam nosmet-
31 ipsos diligimus. Quamquam quid est, quod magis perspicuum sit, non modo carum sibi quemque, verum etiam vehementer carum esse? Quis est enim, aut quotus quisque, cui, mors quum appropinquet, non

refugiat timido sanguen, atque exalbescát metu?

etsi hoc quidem est in vitio, dissolutionem naturae tam valde perhorrescere: quod item est reprehendendum in dolore. Sed quia fere sic afficiuntur omnes, satis argumenti est, ab interitu naturam abhorrere: idque quo magis quidam ita faciunt, ut iure etiam reprehendantur, hoc magis intelligendum est, haec ipsa nimia in quibusdam futura non fuisse, nisi quaedam essent modica natura. Nec vero dico eorum metum mortis, qui, quia privari se vitae bonis arbitrentur, aut quia quasdam post mortem formidines extimescant, aut si metuant, ne cum dolore moriantur, idcirco mortem fugiant: in parvis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando his ludentes minamur praecipitaturos alicunde, extimescunt. Quin etiam ferae, inquit Pacuvius, quibus

p.132. *abest ad praécavendum intélligendi astútia,*

32 iniecto terrore mortis, horrescunt. Quis autem de ipso sapiente aliter existimat? Qui, etiam quum

ticula tolerabilior iis videbatur post verbum *intelligere*, quam ut. Nescio autem, cur Goerenzius dubitet, num in tali connexu ut pro *quomodo* ponatur.

§. 31. *refugiat timido* etc.] Est versus Ennii, ut refert Priscian. l. VI. p. 194. Bas. 1545. *ut ait Ennius, refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.* Apud Cicer. III. de Or. 59, 218. hic versus cum quinque eum praecedentibus legitur.

modica] h. e. *modo circumscripta, quae certum suum modum sequuntur.*

in parvis] h. e. *inter parvos.* Sic nihil opus est, ut cum Davisio corrigas *parvi* pro *in parvis.*

iniecto terrore mortis] Sic Spir. Erl. — Vulg. *sibi iniecto terrore mortis.*

reverit esse moriendum, tamen discessu a suis
ue ipsa relinquenda luce moveatur. Maxime
em in hoc quidem genere vis est perspicua na-
ae, quum et mendicitatem multi perpetiantur,
ivant: et angantur appropinquatione mortis con-
ti homines senectute: et ea perferant, quae Phi-
tetam videmus in fabulis: qui quum cruciaretur
ferendis doloribus, propagabat tamen vitam
upio sagittarum; configebat *tardus celeres, stans*
antes, ut apud Accium est, pinnarumque con-
tu corpori tegumenta faciebat. De hominum 33
ere, aut omnino de animalium loquor; quum
orum et stirpium eadem paene natura sit. Sive
m, ut doctissimis viris visum est, maior aliqua
ssa atque divinior hanc vim ingenuit: sive hoc
fit fortuitu: videmus ea, quae terra gignit, cor-
ibus et radicibus valida servari; quod contingit
imalibus sensuum distributione et quadam com-
ctione membrorum. Qua quidem de re quam-
am assentior iis, qui haec omnia regi natura
tant; quae si natura negligat, ipsa esse non pos-
t: tamen concedo, ut, qui de hoc dissentiunt,
istiment quod velint, ac vel hoc intelligant, si
ando naturam hominis dicam, hominem dicere
: nihil enim differt. Nam prius a se poterit
isque discedere, quam appetitum earum rerum,
ae sibi conducant, amittere. Iure igitur gravis-
i philosophi initium summi boni a natura pe-
erunt, et illum appetitum rerum ad naturam

§. 32. *in fabulis*] scil. *ferre*. Hermannus in Dissertat. de Aeschyli
locteta p. 10. Opuscul. T. III. p. 121. versus Attii ita con-
uit:

Vitám sagittarum aúcupio propáginat.
Confígit tardus céleres, stans volátiles.
Pro véste pinnis mémbra textis cóntegit.

imus versus servatur in Censorini fragmento cap. 14. p. 149.
aucupio sagittarum] h. e. *aucupio per sagittas effecto.*
§. 33. *a se poterit quisque discedere*] h. e. *totus alius fieri,
s mutari.* Cfr. Brut. 79, 273. *nescio quomodo discessu meo
cessit a sese.*

accommodatarum ingeneratum putaverunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.

XII. Deinceps videndum est, quoniam satis apertum
34 est, sibi quemque natura esse carum, quae sit hominis natura. Id est enim, de quo quaerimus. Atqui perspicuum est, hominem e corpore animoque constare, quum primae sint animi partes, secundae corporis. Deinde id quoque videmus, ita figuratum corpus, ut excellat aliis, animumque ita constitutum, ut et sensibus instructus sit, et habeat praestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quaedam vi rationis et cognitionis et scientiae virtutumque omnium. Nam quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam, et cognitionem habent facidiorem. Itaque ab his ordiamur.
35 Corporis igitur nostri partes, totaque figura, et forma, et statura, quam apta ad naturam sit, apparet: neque est dubium, quin frons, oculi, aures et reliquae partes, quales propriae sunt hominis, intelligatur. Sed certe opus est ea valere et vigere, et naturales motus usumque habere, ut nec ullius quid eorum, nec aegram debilitatumve sit. Id enim natura desiderat. Est etiam actio quaedam corporis, quae motus et status naturae congruentes tenet: in quibus si peccetur distortione et depravatione quadam ac motu statuve deformi, ut, si ad manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro fugere plane se ipse, et, exuens hominem ex homine, naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quaedam, et flexi fractique motus, quales protervorum hominum aut mollium esse solent, con-

Cap. XII.

§. 34. *perspicuum est* etc.] Cfr. Aristot. I. Polit. 5. τὸ δὲ ζῷον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ὧν τὸ μὲν ἄρχον φύσει, τὸ δὲ ἀρχόμενον.

tra naturam sunt: ut, etiam si animi vitio id eveniat, tamen in corpore immutari hominis natura videatur. Itaque e contrario moderati aequabilesque habitus, affectiones, ususque corporis, apta esse ad naturam videntur. Iam vero animus non esse solum, sed etiam cuiusdam modi debet esse, ut et omnes partes suas habeat incolumes, et de virtutibus nulla desit. Atqui in sensibus est sua cuiusque virtus, ut ne quid impediat, quominus suo sensus quisque munere fungatur in iis rebus celeriter expediteque percipiendis, quae subiectae sunt sensibus. 36 p. 133.

§. 36. *cuiusdam modi esse debet*] Vide ad IV, 10, 25.

ut ne] In hac particularum coniunctione explicanda multi multa laborarunt. Quin etiam dissertationes de iis composuerunt, veluti I. W. Wagner. Nordhusae., quae dissertatio typis est repetita in Seebod. Archiv. für Philol. 1827. III, 4. Cfr. Fickenscher in Schulztg. 1828. II. nr. 76. p. 619. Omnium autem minime probanda est sententia Beieri ad Cic. Lael. ed. mai. 26, 99. p. 161., qui post negativa verba praecise *ut ne* pro *ut caveatur ne* dici censet. Negat ergo dici posse, verbi gratia, *ut ne accidat, cavendum est.* At ita ipse Cicero dixit Ep. ad Fratr. I, 1, 13. *caveamus, ut ne — dicatur.* Liv. XXXIV, 17, 8. *cavendum, ut ne.* Celsus III, 19. p. 158. l. 11. ed. Almel. *verendum, ut ne.* Diomedes Grammat. lib. III. de formis declin. *praecavendum, ut ne.* Pro quo Cic. in Lael. 21, 9. dixit *una cautio atque provisio, ut ne*, ubi non opus est quaesita illa Beieri explicatione, ut verba *ut ne* etc. epexegesin faciant hanc: *nempe, ut caveatur, ne.* Mihi formulae huius origo haec videtur esse. Habet scriptor in animo sententiam affirmativam, quam quum videt perspicuitatis causa negative proferendam, addit negativam particulam *ne* v. c. Cic. Ep. ad Fam. X, 14. extr. *In illam igitur curam incumbe, mi Planci, ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatur.* Dicere in animo habuit *in illam curam incumbe, ut omnis scintilla teterrimi belli deleatur.* Sed dum haec cogitat, sentit, rem gravius esse proferendam, et id quidem negativa sententia optime efficitur, unde oritur illa adiectio per particulam *ne.* Non est igitur falsum, quod quidam putant, fortiorem fieri sententiam, si *ut ne* pro simplici *ne* ponatur. Inde factum est, ut alii scriptores, quorum non tam vehemens est ac gravis, quam Ciceronis oratio, rarius has particulas coniungant. Vide Zumpt. §. 347. Cfr. Schwab. ad Phaedrum. IV, 24, 14. Melius, quam reliqui Grammatici, rem consideravit August Grotefend Gramm. latin. §. 539., nisi quod, ut id leviter tangam, errat eo, quod Tacitum hac formula usum negat, apud quem reperitur ea Histor. IV, 58. *precor veneror*que, *ut, si vobis non fuit cordi, me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis.*

XIII. Animi autem, et eius animi partis, quae princeps est, quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: unum earum, quae ingenerantur suapte natura, appellanturque non voluntariae: alterum earum, quae in voluntate positae magis proprio nomine appellari solent: quarum est excellens in animorum laude praestantia. Prioris generis est docilitas, memoria: quae fere omnia appellantur uno ingenii nomine: easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum: quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, et reliquas eiusdem generis. Et summatim quidem haec erant de corpore animoque dicenda. Quibus quasi informa-
37 tum est, quod hominis natura postulet. Ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur, omniaque et in animo et in corpore perfecta velimus esse, ea nobis ipsa cara esse propter se, et in his esse ad bene vivendum momenta maxima. Nam cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse, carioresque, quo perfectiores sint, et magis in suo genere laudabiles. Ea enim vita expetitur, quae sit animi corporisque expleta virtutibus: in eoque summum bonum poni necesse est, quandoquidem id tale esse debet, ut rerum expetendarum sit extremum. Quo cognito, dubitari non potest, quin, quum ipsi homines sibi sint per se et sua sponte cari, partes quoque et corporis et animi et earum rerum, quae sunt in utriusque motu et statu, sua caritate
38 colantur, et per se ipsae appetantur. Quibus ex-

Cap. XIII.

magis proprio nomine appellari solent] scil. *virtutes*. Cfr. §. 38. *prudentiam*] Hanc ne quis cum Lambino inepte inter voluntarias virtutes a Cicerone numeratam putet, recte docet Davis. *prudentiam* esse, quam Graeci φρόνησιν, id est rerum expetendarum fugiendarumque scientiam, dicunt. Cfr. Cic, Off. I, 43.

positis, facilis est coniectura, ea maxime esse expetenda ex nostris, quae plurimum habent dignitatis: ut optimae cuiusque partis, quae per se expetatur, virtus sit expetenda maxime. Ita fiet, ut animi virtus corporis virtuti anteponatur, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariae: quae quidem proprie virtutes appellantur, multumque excellunt, propterea quod ex ratione gignuntur, qua nihil est in homine divinius. Etenim omnium rerum, quas et creat natura, et tuetur, quae aut sine animo sint, aut non multo secus, earum summum bonum in corpore est: ut non inscite illud dictum videatur in sue, animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret.

Sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest XIV.
aliquid simile virtutis, ut in leonibus, in canibus, in equis: in quibus non corporum solum, ut in suibus, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. In homine autem summa omnis animi est, et in animo, rationis: ex qua virtus est: quae rationis absolutio definitur: quam etiam atque etiam explicandam putant. Earum 39
etiam rerum, quas terra gignit, educatio quaedam et perfectio est, non dissimilis animantium. Itaque et vivere vitem, et mori dicimus; arboremque et novellam, et vetulam, et vigere, et senescere. Ex quo non est alienum, ut animantibus, sic illis et p.134.
apta quaedam ad naturam putare, et aliena; earumque augendarum et alendarum quamdam cultricem esse, quae sit scientia atque ars agricolarum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, ut, quo natura ferat, eo possint ire:

§. 38. *animam — datam pro sale, ne putisceret.*] Cfr. Cic. N. D. II, 64, 160. *Sus vero quid habet praeter escam? cui quidem, ne putisceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus.* Cfr. Varro II. R. Rust. 4. et Plin. VIII. H. N. 51.

Cap. XIV.

§. 39. *eo possint ire*] Sic de Davis. coniectura Ern. Schuetz.

ut ipsae vites, si loqui possint, ita se tractandas tuendasque esse fateantur. Et nunc quidem, quod eam tuetur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus. In ipsa enim parum magna vis est, ut quam optime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur. At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quemdam habeat, per se ipsam moveatur, quid facturam putas? An ea, quae per vinitorem antea consequebatur, et per se ipsa curabit? Sed videsne accessuram ei curam, ut sensus quoque suos, eorumque omnem appetitum, et, si qua sint adiuncta ei membra, tueatur? Sic ad illa, quae semper habuit, iunget ea, quae postea accesserint: nec eumdem finem habebit, quem cultor eius habebat: sed volet secundum eam naturam, quae postea ei adiuncta sit, vivere. Ita similis erit ei finis boni, atque antea fuerat, neque idem tamen. Non enim iam stirpis bonum quaereret, sed animalis. Quid? si non sensus modo ei sit datus, verum etiam animus hominis: non necesse est, et illa pristina manere, ut tuenda? et inter haec multo esse cariora, quae accesserint? animique optimam quamque partem carissimam? in eaque expletione naturae summi boni finem consistere, quum longe multumque praestet mens atque ratio? sicque extremum omnium appetendorum, atque ductum a prima commendatione naturae, multis gradibus ascendit, ut ad summam

Orell. — *possit* vulgata est, quae orta est ex v. *natura*, ad quod retulerunt scribae hoc verbum.

§. 40. *eorumque omnem appetitum*] Sic scripsi e Spir. Erl. Cod. Mos. probante Orell. Nam opponuntur sibi *sensus suos — omnem appetitum*. — *omnium* vulg.

adiuncta ei membra] Sic scripsi e Spir. Erl. — *ei membra adiuncta* vulg. — Delevit *membra* Goer. propter sedem vagam, quam habet hoc vocabulum in mssc. Sed *membra* sunt *partes*. Unde nihil causae est, cur abiicias hanc vocem.

sicque] Sic scripsi e Spir., assentiente Erl., in quo est *sitque*. Vulg. *Sic et*, in quo *et* pro *etiam* accipiendum est, quod est contra elocutionem Ciceronianam.

perveniret: quod cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.

Quum igitur ea sit, quam exposui, forma na- XV.
turae; si, ut initio dixi, simul atque ortus esset, 41
se quisque cognosceret, iudicareque posset, quae vis et totius esset naturae, et partium singularum, continuo videret, quid esset hoc, quod quaerimus, omnium rerum, quas expetimus, summum et ultimum: nec ulla in re peccare posset. Nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura est, nec perspici nec cognosci potest. Progredientibus autem aetatibus, sensim, tardeve potius quasi nosmetipsos cognoscimus. Itaque illa prima commendatio, quae a natura nostri facta est nobis, incerta et obscura est: primusque appetitus ille animi tantum agit, ut salvi atque integri esse possimus. Quum autem dispicere coepimus et sentire, quid simus, et quid animantibus ceteris differamus, tum ea sequi incipimus, ad quae nati sumus. Quam 42
similitudinem videmus in bestiis: quae primo, in quo loco natae sunt, ex eo se non commovent: deinde suo quaeque appetitu movetur. Serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, nepas aculeis: suam denique cuique naturam esse ad vivendum ducem. Quae similitudo in genere etiam humano apparet. Parvi enim primo ortu sic iacent, tamquam omnino sine animo sint. Quum autem paullum firmitatis accesserit: et animo utuntur, et sensibus; connitunturque, ut sese erigant, et manibus utuntur; et eos agnoscunt, a quibus educantur: deinde

Cap. XV.

§. 41. *nec perspici nec cognosci potest.*] *Perspicere* ubique ad accuratam partium, *cognoscere* ad rei in universum spectatae notitiam pertinet. *Goer.*

tantum agit] Significat *nur soviel bewirkt sie.* Sic saepe apud Cicer. *tantus* ponitur.

§. 42. *et manibus utuntur*] Sic Cod. Bas. Iu. Cr. L., ut volebat Bremius; *utantur* P. V. D. Ern. Goer. Schuetz. „Sed ridiculum hoc,

aequalibus delectantur, libenterque se cum his congregant, dantque se ad ludendum: fabellarumque auditione ducuntur: deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt: animadvertuntque ea, quae domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari ali-
p.135. quid et discere: et eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina: quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vicerint, efferunt se laetitia: victi debilitantur animosque demittunt. Quorum sine
43 caussa fieri nihil putandum est. Est enim natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque caussam parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur. Sunt enim prima elementa naturae; quibus auctis, virtutis quasi carmen efficitur. Nam quum ita nati factique simus, ut et agendi aliquid, et diligendi aliquos, et liberalitatis, et referendae gratiae principia in nobis contineremus, atque ad scientiam, prudentiam, fortitudinem aptos animos haberemus, a contrariisque rebus alienos: non sine caussa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet, ut eam, quasi deum, ducem subsequens, ad naturae perveniat extremum. Nam, ut saepe iam dixi, in infirma aetate imbecillaque mente vis naturae quasi per

conniti ut manibus utamur;" quoniam ea in re, ut omnes scimus, nisus nullus est, sed motus dumtaxat." *Orell.* Error est scribarum, qui, quum per part. *et* coniungi viderent membra, coniunctivum reposuerunt.

§. 43. *virtutis quasi carmen*] i. e. virtutis opus perfectum, perfecta virtus. Ut enim, si plures versus coniunguntur, integrum efficitur carmen: sic, si quae bona sunt in homine innata coniunguntur et augentur, perfecta fit virtus, series virtutum. Virtus enim virtuti annexa quasi coronam efficit virtutum. Sic nullis virorum doctorum coniecturis *germen*, *cacumen*, *lumen*, opus est.

e quibus accendi philosophi ratio debet] Sensus est: *Ab his virtutis vestigiis, in pueris conspicuis, proficisci philosophus debet, et ea usque progredi, dum ad extremum* i. e. *summum bonorum finem pervenerit.* *Goer.*

caliginem cernitur. Quum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem naturae vim, sed ita, ut progredi possit longius, per se sit tamen inchoata.

XVI. 44 Intrandum est igitur in rerum naturam, et penitus, quid ea postulet, pervidendum. Aliter enim nosmetipsos nosse non possumus. Quod praeceptum quia maius erat, quam ut ab homine videretur, idcirco assignatum est deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmetipsos. Cognitio autem haec est una, nostri ut vim corporis animique norimus, sequamurque eam vitam, quae rebus ipsis perfruatur. Quoniam autem is animi appetitus a principio fuit, ut ea, quae dixi, quam perfectissima naturâ haberemus: confitendum est, quum id adepti simus, quod appetitum sit, in eo quasi ultimo consistere naturam, atque id esse summum

ita ut progredi etc.] Haec sic intellige: *non quidem per se perfectam, sed perficiendam.* Loquitur autem auctor *de natura humana.*

Cap. XVI.

§. 44. *quam ut ab homine videretur*] Goer. duas explicandi huius loci rationes affert, unam, qua ex v. *praeceptum* participium *praeceptum* repetatur, id quod probat Orell.; alteram, qua v. *ab homine*, ut alias *hoc a Terentio est* dicatur. Optime. Formula *non videtur ab homine* significat *non profectum videtur ab homine.*

nostri ut vim corporis animique norimus] Sic scripsi e coniectura Goer. optima, quam fecit e corrupta scriptura codd. Spir. et Erl. *nostri ut corporis* omisso *vim*. Vix autem alio loco stare potest voc. *vim*, quam eo loco, quo posuit Goer. Nihil est enim facilius, quam ut omitti potuerit *vim* post *ut*, hoc compendio *ut vī*. Vulg. est *ut vim nostri corp.* — Goer. vitium scribis imputat, qui ubique errent, si regens casus rectis includatur. Sic erratum esse apud Cic. Off. II, 8, 11. *multorum impunitates scelerum*, quod ex Nonio et uno de suis codd. sit reponendum pro vulg. *multorum impunita scelera*, quod mirum quomodo praetulerit Orell., quum rectissime locum explicuerit Beier., id unum oblitus docere, id quod maxime desiderat Orell., iustam esse oppositionem membrorum, quae adest in *unum* et *multorum*, modo ne cum Orell. et Goer. *multorum* adiectivum putes, quod pertineat ad *scelerum*. *Multi* sunt *multi homines*, et pendet genitivus a subst. *impunitates*, a quo deinceps pendet genit. *scelerum*; cuius loquendi generis plura exempla habet Beier. ad Off. l. c. Latius haec exposui, ut ne quis in posterum erret cum Orellio.

bonum: quod certe universum sua sponte ipsum expeti, et propter se, necesse est, quoniam ante demonstratum est, etiam singulas eius partes esse
45 per se expetendas. In enumerandis autem corporis commodis si quis praetermissam a nobis voluptatem putabit, in aliud tempus ea quaestio differatur. Utrum enim sit voluptas in iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, necne sit, ad id, quod agimus, nihil interest. Si enim (ut mihi quidem videtur) non explet bona naturae voluptas, iure praetermissa est. Sin est in ea, quod quidam volunt, nihil impedit nostram hanc comprehensionem summi boni. Quae enim constituta sunt prima naturae, ad ea si voluptas accesserit, unum aliquod accesserit commodum corporis, neque eam constitutionem summi boni, quae est proposita, mutaverit.

XVII. Et adhuc quidem ita nobis progressa ratio est,
46 ut ea duceretur omnis a prima commendatione naturae. Nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus, ut non solum quia nos diligamus, sed quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit: idcirco in his rebus summa nostra sponte moveamur. Atque ut a cor-

§. 45. *ea quaestio*] Sic scripsi e Spir. Erl. — Vulg: om. *ea*. *Sin est in ea* etc.] Primus Davis. offendit in hoc loco, qui sibi difficilis videretur et corruptus, quod quomodo vv. *in* se explicaret, nesciret. Et quum unus litem moverit, abrepti sunt in eundem casum reliqui intpp. Davis. coniecit *in eis* h. e. *in bonis naturae*; verba autem *quod quidam volunt* tamquam parenthesin accepit, ut si vertas *wie einige wollen*. Goer. scribendum censet: *Si enim est* (scil. *in primis naturae*), *ut mihi quidem videtur, nec explet bona naturae voluptas, iure praetermissa est: si non est, quod quidam volunt* etc. Bremi coniecit pro *in ea*, *inter ea*. Orell. corruptum locum clamat, antesignano Goerenzio, nec tamen, quid sibi videretur, dixit. Optime ab omni suspicione locum liberavit Klotz. l. c. p. 79. vertens: wenn die Wollust, wie mir es wenigstens vorkommt, die natürlichen Güter nicht vollzählig macht (d. h. nicht in ihre Mitte gehört), *so haben wir sie mit Recht übergangen; wann aber das (wirklich) in ihnen liegt, was Einige behaupten, so hindert dies unsere Auffassung des höchsten Gutes in nichts.*

pore ordiar, videsne, ut, si quae in membris prava aut debilitata aut imminuta sint, occultent homines? ut etiam contendant et elaborent, si efficere possint, ut aut non appareat corporis vitium, aut quam minimum appareat? multosque etiam dolores curationis caussa perferant? ut, si ipse usus membrorum non modo non maior, verum etiam p. 186. minor futurus sit, eorum tamen species ad naturam revertatur? Etenim quum omnes natura totos se expetendos putent, nec id ob aliam rem, sed propter ipsos: necesse est eius etiam partes propter se expeti, quod universum propter se expetatur. Quid? in motu, et in statu corporis nihil 47 inest, quod animadvertendum esse ipsa natura iudicet? Quemadmodum quis ambulet, sedeat, qui ductus oris, qui vultus in quoque sit: nihilne est in his rebus, quod dignum libero, aut indignum esse ducamus? Nonne odio multos dignos putamus, qui quodam motu aut statu videntur naturae legem et modum contempsisse? Et, quoniam haec deducuntur de corpore, quid est, cur non recte pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda ducatur? Nam si pravitatem imminutionemque corporis propter se fugienda putamus: cur non etiam, ac fortasse magis, propter se formae dignitatem sequamur? et, si turpitudinem fugiamus in statu et motu corporis; quid est, cur pulchritudinem non sequamur? Atque etiam valitudinem, vires, vacuitatem doloris non propter utilitatem solum, sed etiam ipsas propter se expetemus. Quoniam enim natura

Cap. XVII.

§. 47. *multos dignos*] Sic scripsi e Spir. Erl. — Vulg. *dignos multos.*

deducuntur de corpore] Recte explicat Ern. *removere homines a corpore student*, laudato Horat. I. Ep. 2, 48. *deducere corpore febres.*

propter se fugienda] Sic scripsi e Spir. Erl. pro vulg. *fugiendam.* Si enim res diversi sunt generis, neutrum etiam a Cicerone positum reperitur; vide Fin. III, 11, 39.

suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime e natura: quae tota perturbatur, si aut aegrum corpus est, aut dolet, aut caret viribus.

XVIII. Videamus animi partes; quarum est conspectus
48 illustrior: quae quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturae. Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsi requirant, et aliquid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut pompa, ludis atque eiusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero? Qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valitudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos? et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam
49 ex discendo capiant, voluptatem? Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur in iis, quae de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum suavitate videntur, aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae, qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur; ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Ita enim invitant Ulixem: (nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum)

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixe,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus?

Cap. XVIII.

§. 48. *conspectus*] Sic scripsi e Spir. Erl. — Vulg. *aspectus*. *Conspecus* est forma, quam nobis res obiiciunt: *aspectus*, qui a nobis proficiscitur. — Habet magnam huius capitis partem Ochsner. in Eclog. Cic. p. 102. seqq.

§. 49. *O decus* etc.] Versus sunt ex Homer. Odyss. M. 184. seqq. translati. Ut ostendat ὅτι φύσει φιλοκενθής ἐστιν ἄνθρωπος,

Nam nemo haec umquam est travectus caerula cursu,
Quin prius astiterit, vocum dulcedine captus;
Post, variis avido satiatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Troiae divino numine vexit;
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

Vidit Homerus, probari fabulam non posse, si p.137.
cantiunculis tantus vir irretitus teneretur. Scientiam pollicentur; quam non erat mirum sapientiae cupido patria esse cariorem. Atque omnia quidem scire, cuiuscumque modi sint, cupere curiosorum: duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae, summorum virorum est putandum.

Quem enim ardorem studii censetis fuisse in XIX.
Archimede, qui dum in pulvere quaedam descri- 50
bit attentius, ne patriam quidem captam esse senserit? Quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis? Quo studio Aristophanem putamus aetatem in litteris duxisse? Quid de Pythagora? quid de Platone aut de Democrito

καὶ πολὺς αὐτῷ κατὰ στέρνων τῆς ἀληθείας ἵμερος ἐντέτηκεν. eosdem versus adducit Sext. Empir. adv. Mathem. libr. I. §. 42.

travectus] Sic scripsi e Spir. Erl. pro vulg. *transvectus*, probante hanc formam Goer.

Cap. XIX.

§. 50. *Archimede*] Syracusanus. Celeberrimus geometra. Captis bello Punico secundo a Marcello Syracusis a. Chr. 212. a milite interfectus est. Eius sepulchrum repertum a Cicerone in Sicilia. Vide Tuscul. Disp. V. §. 64. Historiam, quam tangit Cic., narrat Liv. XXV, 31.

Aristoxeni] Aristoxenus Tarentinus, Aristotelis discipulus. Musices imprimis studiosus, unde multa in philosophiam transtulit. Supersunt eius libri tres ἁρμονικῶν στοιχείων. Cfr. Fabricii Bibl. Graec. III, 10.

Aristophanem] Intelligendus est Aristophanes grammaticus, Aristarchi illius magister, et in scriptoribus veteribus censendis ac iudicandis ipse alter Aristarchus; cfr. Diog. Laert. III, 61. ibid. X, 13.

Pythagora] *Pythagoras* Samius philosophus, discipulus Phere-

loquar, a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas? Quae qui non vident, nihil umquam magna cognitione dignum amaverunt. Atque hoc loco, qui propter animi voluptates coli dicunt ea studia, quae dixi, non intelligunt, idcirco esse propter se expetenda, quod, nulla utilitate obiecta, delectentur animi, atque ipsa scientia, etiam si incommodatura sit,
51 gaudeant. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipsi enim quaeramus a nobis, stellarum motus contemplationesque rerum caelestium, eorumque omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones quemadmodum nos moveant; et quid historia delectet, quam solemus persequi usque ad extremum: praetermissa repetimus, inchoata persequimur. Nec vero sum inscius, esse utilitatem in historia, non modo voluptatem. Quid? quum fictas fabulas, e quibus utilitas nulla
52 elici potest, cum voluptate legimus? Quid? quum volumus nomina eorum, qui quid gesserint, nota nobis esse, parentes, patriam, multa praeterea minime necessaria? quid? quod homines infimae fortunae, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique, delectantur historia? maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt, confecti senectute. Quocirca intelligi necesse est, in ipsis rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad
53 discendum cognoscendumque moveamur. Ac veteres quidem philosophi, in beatorum insulis,

cydis. Primus nomen philosophiae et philosophi induxit. Vixit circa Olymp. 60. i. a. 540. a. Chr.

§. 56. *in beatorum insulis*] Vide de his Mureti Varr. Lect. V. c. 1. Gedike ad Pindar. Carm. sel. p. 176. seqq. Cfr. Cic. in Hortensio apud Augustin. de trinit. IV, 2. *Si nobis, quum e hac vita migraverimus, in beatorum insulis immortale aevum, ut ferunt fabulae, degere liceret, quid opus esset eloquentia? — Una igitur essemus beati cognitione naturae et scientia, quae nobis etiam deorum est vita laudanda.*

fingunt, qualis natura sit vita sapientium, quos cura omni liberatos, nullum necessarium vitae cultum aut paratum requirentes, nihil aliud acturos putant, nisi ut omne tempus inquirendo ac discendo in naturae cognitione consumant. Nos autem non solum beatae vitae istam esse oblectationem videmus, sed etiam levamentum miseriarum. Itaque multi quum in potestate essent hostium aut tyrannorum; multi in custodia, multi in exsilio, dolorem suum doctrinae studiis levaverunt. Princeps 54
huius civitatis Phalereus Demetrius quum patria pulsus esset iniuria, ad Ptolemaeum se Regem Alexandream contulit. Qui quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophrastique esset auditor; multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus: sed animi cultus ille erat ei quasi quidem humanitatis cibus. Equidem e Cn. Aufidio, Praetorio, erudito homine, oculis capto, saepe audiebam, quum se lucis magis, quam utilitatis de-

fingunt, qualis natura sit vita sapientium] Orell. quum omni sensu destitutum putaret *natura*, scripsit, ut ait, e certissima coniectura Viri docti Sec. XVI. in marg. Lambin. suae, et Clerici, (probb. Davis. et Erl.) Lall. *futura*. At supersedere possumus hac coniectura; *naturâ* enim significat, *qualis natura*, i. e. *qualis proprie sapientium vita sit, non districta et occupata officiis humanis, quae turbant hanc quietam vitam contemplationi naturae intentam*. Verte *sie sinnen aus, wie das Leben der Weisen von Natur beschaffen sei*. Comparant nimirum vitam illam in beatorum insulis cum ea, quae natura est sapientium vita, nullis districta negotiis publicis.

§. 54. *Phalereus Demetrius*] Vide de hoc positu pro vulgari *Demetrius Phalereus* ad Fin. II, 1.

Alexandream] Sic scripsi e Spir. Erl. Vide Zumpt. §. 2. et Drakenborch. ad Liv. XXXI, 44, 5. — *Alexandriam* vulg.

quo erat orbatus] Haec ad ea Demetrii scripta pertinere videntur, quae politici essent argumenti, qualia plura composuit. Cfr. Diog. Laert. V, 80.

Cn. Aufidio] Vide de eo Cic. Tusc. Disp. V, 38, 112.

utilitatis] Orell. hanc scripsit notam: „Quid, quaeso hoc? quaenam oppositio inter lucem, et utilitatem? cuius denique *utilitatis* desiderium intelligit? Equidem suspicor: *quam consulatus desiderio*. Aufidius praetorius, nisi caecus fuisset, consulatum adepturus erat; sed non tam maerebat, hanc spem sibi ereptam esse,

siderio moveri diceret. Somnum denique nobis, nisi requietem corporibus et medicinam quamdam laboris afferret, contra naturam putaremus datum. Aufert enim sensus, actionemque tollit omnem. Itaque, si aut requietem natura non quaereret, aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile
p. 188. pateremur; qui etiam nunc agendi aliquid discendique caussa prope contra naturam vigilias suscipere soleamus.

XX. Sunt autem etiam clariora, vel plane perspicua, nec dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Facile est haec cernere in primis puerorum aetatulis. Quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar: tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facillime se arbitrentur naturae voluntatem posse cognoscere. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint. Quum vero paullum processerint, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint: eaque cupiditas agendi aliquid adolescit una cum

quam quod oculis captus studiis vacare libere non posset.“ At nihil opus est mutatione. Nam eam ipsam *utilitatem* dicere potuit auctor.

Cap. XX.

§. 55. *Quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar; tamen* etc.] Laxius est orationis vinculum. Quis enim proprie ita apud nos loquatur: *Denn obwohl ich fürchte, allzuweitläufig hierin zu scheinen, so gehen doch alle alten Philosophen zur Wiege zurück.* Dicendum erat proprie: tamen nec ego erubesco ad incunabula accedere, quum omnes veteres philosophi id fecerint. Est haec cogitationum brevitas, cuius similia sunt exempla talia: *ut ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur; quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio aut disciplina* (*hoc dico* haec supplenda sunt), *ne nos quidem huic uni studio penitus unquam dediti fuimus* Cic. pr. Arch. 1, 4. Vide plura exempla apud Ochsner. p. 339. et in meo commentario ad Cic.

etatibus. Itaque, ne si iucundissimis quidem nos omniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari: idque si accidat, mortis instar putemus. Quin etiam inertissimos homines, nescio 56
qua singulari nequitia praeditos, videmus tamen et corpore et animo moveri semper, et, quum re nulla impediantur necessaria, aut alveolum poscere, aut quaerere quempiam ludum, aut sermonem aliquem requirere: quumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos et sessiunculas consectari. Ne bestiae quidem, quas delectationis caussa concludimus, quum copiosius alantur, quam si essent liberae, facile sese patiuntur contineri; motusque solutos et vagos, a natura sibi tributos, requirunt. Itaque, ut quisque opti- 57
me natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si, gerendis negotiis orbatus, possit paratissimis vesci voluptatibus. Nam aut privatim aliquid gerere malunt, aut, qui altiore animo sunt, capessunt rempublicam honoribus imperiisque adiscendis, aut totos se ad studia doctrinae confe-unt. Qua in vita, tantum abest, ut voluptates consectentur: etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt: optimaque parte hominis, quae in nobis divina ducenda est, ingenii et mentis acie fruntur, nec voluptatem requirentes, nec fugientes laborem. Nec vero intermittunt aut admirationem earum rerum, quae sunt ab antiquis repertae, aut

Cat. Mai. 15, 4. p. 136. Brevitate sententiarum usus est Cicero, ne bis eadem dicere cogeretur, quod facere debebat, si propriam loquendi rationem esset secutus. Ex eo, quod omnes ante eum philosophi id fecissent, sperat, sibi quoque veniam facti datum iri.

Endymionis] Pastor a Iove in coelum raptus. Quum autem Iunonem amaret, rursus deiectus est. Eius amore Luna capta, eum in Latmi Cariae montis specu occultavit, ac saepissime cum eo conversata est. Somnus eius erat sempiternus. Vide Cicer. Tusc. Disp. I, 38, 92.

§. 56. *facile sese patiuntur*] Sic scripsi e Spir. Erl. — *facile patiuntur sese* vulg.

investigationem novarum: quo studio quoniam satiari non possunt, omnium ceterarum rerum obliti, nihil abiectum, nihil humile cogitant: tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate aut voluptate dirigunt, tamen in rebus quaerendis, explicandisque naturis aetates conterere videamus.

XXI. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum
58 esse natos. Actionum autem genera plura, ut obscurentur etiam minora maioribus. Maximae autem sunt, primum, ut mihi quidem videtur ei his, quorum nunc in ratione versamur, considera-tio cognitiove rerum caelestium et earum, quas a natura occultatas et latentes, indagare ratio potest: deinde rerum publicarum administratio, aut administrandi scientia: tum prudens, temperata, fortis et iusta ratio, reliquaeque virtutes et actiones virtutibus congruentes; quae, uno verbo complexi omnia, honesta dicimus: ad quorum et cognitionem et usum iam corroborati,
p.189. natura ipsa praeeunte, deducimur. Omnium enim rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usa augentur: nec sine caussa. In primo enim ortu inest teneritas et mollities quaedam, ut nec res videre optimas, nec agere possint. Virtutis enim beataeque vitae, quae duo maxime expetenda sunt, serius lumen apparet: multo etiam serius, ut plane, qualia sint, intelligantur. Praeclare enim

§. 57. *quoniam satiari non possunt*] Sic scripsi e coniectura pro vulg. *quum satiari non possunt*. Vide ad I, 4, 10. — Ern. qui idem vitium deprehendisse videtur, scribendum censuit *possint*. Fortasse tamen *quum — possunt* recte se habet, si vertis *wenn — sie können*.

utilitate — dirigunt] i. q. *metiuntur*. Sic II, 22, 71. *voluptate omnia dirigentes*.

Cap. XXI.

§. 58. *ut obscur.*] H. e. *ita ut*.

possint] Pluralis ad sensum positus est; nam ex vv. *in primo ortu, infantes* repetendum est.

ut plane, qualia sint, intelligantur] Est in his attractio, ex

Plato: BEATUM, CUI ETIAM IN SENECTUTE CONTIGERIT, UT SAPIENTIAM VERASQUE OPINIONES ASSEQUI POSSIT. Quare, quoniam de primis naturae commo- 59
dis satis dictum est, nunc de maioribus consequentibusque videamus.

Natura igitur corpus quidem hominis sic et genuit et formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente aetate fingeret; neque sane multum adiumentis externis et adventitiis uteretur. Animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus. Sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis, ut nihil, aut non multum adiumento ullo ad suam confirmationem indigeret. Quod autem in homine praestantissimum atque optimum est, id deseruit. Etsi dedit talem mentem, quae omnem virtutem accipere posset, ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum, et quasi instituit docere, et induxit in ea, quae inerant, tamquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit: nihil amplius. Itaque nostrum est, (quod 60
nostrum dico, artis est), ad ea principia, quae accepimus, consequentia exquirere, quoad sit id,

qua verba, quae passiva forma impersonaliter usurpantur, ad subiectum accommodantur, ut hoc loco *intelligantur* ad *duo illa* refertur, quum proprie dicendum esset: *intelligatur*. Locum simillimum habet Krueger. Ueber die Attraction. §. 162. ex Cic. de Orat. II, 60. *In quibus describuntur hominum mores et ita effinguntur, ut aut — quales sint intelligantur* etc. Alia exempla vide apud eundem.

Plato] De Legg. II. p. 59. B. φρόνησιν δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας βεβαιοῦν, εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο.

§. 59. *confirmationem*] Sic scripsit Orell. e Cd. Stephani, Iu. Cr. V., quibuscum facit Guelferbytanus meus. — Cett. *conformationem*. At recte Orell.: „Sed animus etiam ante *conformatus, confirmatione* tantum indiget ea, quam e sensibus idoneis acquirit ad actiones suas perficiendas. Idem prorsus sensus est §. 62. „aetatum, *quae iam confirmatae sunt*“ et quando in Epp. dicit Tullius, se libros de Officiis conscripsisse ad M. filii *confirmationem*. Nimis saepe hoc verbum alteri *conformatio* apud recentiores locum ut cederet, coactum est. Quid? quod e vulgata corrupta unice nata est Bremii suspicio pro *indigeret*, *indigerent* legentis, si *conformationem* retineas. Obloquitur, ut solet, Goerenzius subtilius quam verius.“

quod volumus, effectum: quod quidem pluris sit haud paullo, magisque ipsum propter se expetendum, quam aut sensus, aut corporis ea, quae diximus: quibus tantum praestat mentis excellens perfectio, ut vix cogitari possit, quid intersit. Itaque omnis honos, omnis admiratio, omne studium, ad virtutem et ad eas actiones, quae virtuti sunt consentaneae, refertur: eaque omnia, quae aut ita in animis sunt, aut ita geruntur, uno nomine honesta dicuntur. Quorum omnium quaeque sint notitiae, quaeque significentur rerum vocabulis, quaeque cuiusque vis et natura sit, mox videbimus.

XXII. Hoc autem loco tantum explicemus, haec,
61 honesta quae dico, praeterquam quod nosmetipsos diligamus, praeterea suapte natura per se esse expetenda. Indicant pueri: in quibus, ut in speculis, natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt! quanta ipsa certamina! ut illi efferuntur laetitia, quum vicerint! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! quos illi labores non perferunt, ut aequalium principes sint! quae memoria est in his bene merentium! quae referendae gratiae cupiditas! Atque ea in optima quaque indole maxime apparent: in qua haec honesta, quae intelligimus, a natura tamquam ad-
62 umbrantur. Sed haec in pueris. In iis vero aetatibus, quae iam confirmatae sunt, quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et offensione

§. 60. *quaeque sint notitiae*] Matthiae delendum censet *que*, quod probat Orell. Sed recte videtur intellexisse rem Goer., qui *quaeque* accipit pro *quaecunque*.

Cap. XXII.

§. 61. *praeterquam quod — praeterea*] Ern. *praeterea* ut superfluum delere voluit. At Schwartz. ad Horat. Tursell. p. 602. seq. plura exempla dedit coniunctarum partic. *praeterquam — praeterea*; structura Ciceroni perquam familiaris.

Sed haec in pueris.] scil. *videmus* vel *sunt*, ut omnes codd. glossam addunt *expressa*, quam quum omitteret ed. Marsi, Goer. abiecit, quem sequitur Orell. — Ern. inclusit.

turpitudinis, et comprobantione honestatis? quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiam si sua nihil intersit, non tamen diligat? Quis Pullum Numitorium, Fregellanum, proditorem, quamquam reipublicae nostrae profuit, non odit? quis urbis conservatorem Codrum, quis Erechthei filias non maxime laudat? Cui Tubuli nomen odio non est? quis Aristidem non mortuum diligit? An obliviscimur, quantopere in audiendo in legendoque moveamur, quum pie, quum amice, quum magno animo aliquid factum cognoscimus? Quid loquar de nobis, qui ad laudem et ad de- 63
cus nati, suscepti, instituti sumus? qui clamores p. 140.
vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, quum illa dicuntur:

'Ego sum Orestes.

contraque ab altero,

— 'Immo enim vero ego sum, inquam, Orestes ambo sic

Quum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi:

§. 62. *Pullum Numitorium*] Q. Numitorius Pullus quum Fregellanorum princeps esset, coniurationem, ab his contra Romanos initam, L. Opimio, praetore, hac de re inquirente, prodidit. Quo facto Fregellae, quod erat oppidum Volscorum in Latio ad ripam Liris, oppugnatae dirutaeque sunt. Hinc idem *proditor* nempe patriae suae dicitur. Cfr. II. Invent. 34. et III. Philipp. 6, 17. *cuius pater Numitoriam, Fregellanam, proditoris filiam, habuerit uxorem.* Liv. Epit. LX. L. Opimius Pr. Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit. Ascon. in orat. in L. Pison. cap. 39. *Notum est*, inquit, *Opimium in Praetura Fregellas cepisse; quo facto visus est ceteros quoque nominis Latini socios male animatos repressisse.*

Codrum] Vide Cic. Tusc. Disp. I, 48, 119.

Erechthei filias] Vide Tusc. Disp. l. c. et Apollod. III, 14, 4. Creuzer. ad Cic. N. D. III, 19. p. 576. Hieron. Columna ad Ennii fragm. p. 254. et Ioann. Meursium de Reg. Athen. II, 9.

Tubuli] Vide supra II, 16, 54. et IV, 28. 77.

§. 63. *Ego sum Orestes*] Vide supra II, 24, 79.

exitus datur] i. e. rex hucusque dubius incertusque haerens, ex utriusque indicio verum didicerat.

'Una necemúr precamur . . . . . quoties hoc agitur, quandove, nisi admirationibus maximis? Nemo est igitur, quin hanc affectionem animi probet atque laudet; qua non modo utilitas nulla quaeritur, sed contra utilitatem etiam

ambo sic Una necemur precamur] Sic haec scripsi e codd. optimorum vestigiis. Spir. enim et Erl. *ambos ergo sunanigamum* exhibent; F. Gronovii cod. *sunaneganum*; Bai. *summa negarim*. In omnibus autem codd. est *ambos*. Pro *ergo* Vienensis *igitur*. — Marsus *igitur et*. In verbo corrupto optimorum codd. *sunanigamum* vel *sunaneganum* latere particulam *sic* recte intellexit Goer.; et quod additur in omnibus codd. *ergo*, pro quo Vien. exhibet *igitur*, glossam esse particulae *sia*, quam librarii non intellexerunt esse signum capti consilii, ut nos, quum alter dixit: *das geht nicht an*, dicimus *nun so wollen wir sterben*, optime vidit Goerenz. Praeterea idem deprehendimus, si versum efficere volumus. Mihi enim non est dubium, quin tres illae sententiae poetae, quibus sua intertexuit Cicero, duo effecerint versus trochaicos octonarios, cuius prior est integer, si recte intelligimus codicum vestigia, alterius deest finis. In corruptela illa *nigamun* vel *neganum* inesse verbum *necari* idem Goer. acute animadvertit, qui ex tota depravatione haec elicuit: *ambo sic una enicarier precamur*, quod probavit Stieglitz de Pacuvii Duloreste p. 108. Inde fecit Schuetz. *ambo sic una precamur; enicarier*, quasi haec esset, ut ait Orell., Goerenzii coniectura. *Quum autem etiam exitus ab utroque flagitatur, conturbato haerenteque rege: „Ambo ergo unam necem precamur:“ quoties hoc agitur, ecquandone nisi admirationibus maximis?* Bremii haec est suspicio. Ad quam Orell.: „ingeniosa sane. Sed latet verum. Nec sine codicum auxilio quidquam profici potest.“ — Davis. ex Gronovii libro fecit *ambo ergo una necemur, precantur*. Sed verbum *precari* nunquam adducor, quin poetae esse existimem — Gruter. e cod. uno Regio et marg. Palat. quarti effinxit *ambo ergo sibi unam necem imprecantur*, quam recte malam vocat coniecturam Orell. — Vulgata lectio, quam exhibent omnes editiones et codex meus Guelferbyt. est *ambos ergo una vivere precamur*, quae est et contra optimos codd. hoc loco et supra II, 24, 79., et contra sensum. Nam scimus ex scriptorum narrationibus, summam fuisse inter Orestem et Pyladem amicitia, quae effecit, ut, quum Orestes esset interficiendus, Pylades se Orestem simularet, ut pro eo necaretur, Orestes autem Orestem se esse perseveraret. Et quum rex ignoraret, (vide Lael. 7, 9.) quis esset verus Orestes, petierunt, ut ambo una necarentur, ne unus alteri superviveret, quia utrique intolerabilis esset vita, alterutro mortuo. Tali enim in re maxima vis amicitiae cernitur. Nullo igitur pacto dubitari potest, quin optimorum codd. vestigiis sit insistendum. Versus integros hos habebis, si eximas, quae interloquitur Cicero,

'Ego sum Orestes. 'Immo enimvero ego sum, inquam Orestes; ambo sic

'Una necemúr precamur . . . . . .

Superest, ut breviter dicam de eo loco, qui nostro est similis li-

conservatur fides. Talibus exemplis non fictae 64
solum fabulae, verum etiam historiae refertae sunt, et quidem maxime nostrae. Nos enim ad sacra Idaea accipienda optimum virum delegimus: nos tutores misimus regibus: nostri imperatores pro salute patriae sua capita voverunt: nostri consules regem inimicissimum, moenibus iam appropinquantem, monuerunt, a veneno ut caveret: nostra in

bro II, 24, 79., quem supra non omni ex parte recte explicui. Nostro loco de amicitiae vi dicitur, illo autem loco disputatur, quid faceret is, qui amicitiam aut utilitate aut voluptate metiatur. Unde ibi falso locum ita interpretatus sum: *und wenn du den König nicht überzeugen könntest, dass er auch beide tödten sollte, würdest du nicht darum bitten.* Immo contrarium vult docere, nempe eos, qui amicitiam voluptate metiantur, non ut Oresten et Pyladen, si duo essent, petituros ut, nisi ambo possent vivere, ambo necarentur, sed utrumque vitam sibi optaturum esse. Recte quidem Klotzius l. c. p. 60. locum intellexit, vertens: *Oder, wenn du Orestes wärest, würdest du den Pylades widerlegen, dich anzuzeigen? und wenn du dies nicht beweisen könntest, würdest du nicht bitten, dass man auch nicht beide hinrichte?* i. e., inquit, dempta duplici negatione: *würdest du es zufrieden sein, dass man auch beide hinrichte?* i. e., pergit, *du würdest es nicht zufrieden sein.* Recte, inquam, ad sensum haec interpretatus est, sed neglexit, id quod et Goerenzio et mihi offensioni fuit, exemplis docere, Ciceronem ita loqui *precor, quominus* pro *precor, ne*, cuius equidem structurae nullum novi exemplum. Quod nisi docuerit Klotz., ego locum leviter corruptum esse clamabo, aut Ciceronem anacoluthon admisisse, quo, quum particulam regenti verbo praemisisset, oblitus erat, verbum, quod habuerat in mente, dum particula *quominus* utitur.

§. 64. *sacra Idaea*] A. u. 549., quo consules fuerunt M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus (cfr. Brut. c. 15, 6.), Livius XXIX, 14. tradit Matrem Magnam, i. e. simulacrum Cybeles, Romam advectam in aedem Victoriae in Palatio pridie Idus Aprilis a P. Cornelio Nasica esse delatam. Idem libro XXXVI, 36. proximo superiore anno P. Corn. Scipione, P. Licinio Crasso Css. idem factum esse tradit. Unde collegium seu sodalitium constitutum est, quo sodales statis diebus, quibus sacra deae fierent, quae sacra Idaea vocabantur, simul epulabantur. Cfr. Herodian. I, 1. — Mater Idaea imprimis Pessinunte in Phrygia colebatur, ubi sunt montes Ida, Berecynthus et Dindymus, unde nomina Matris deum ducuntur.

nos tutores misimus regibus] Pertinent haec ad argenteum denarium M. Lepidi, in cuius una parte turrita imago Aegypti signata est cum literis *Alexandrea*; in altera inscriptio *M. Lepidus pont. max. tutor. reg. ex S. C. Ursin.*

nostri imperatores] Intelliguntur *Decii*. Vide Fin. II, 19, 61.

regem inimicissimum] i. e. *Hannibalem*. Vid. Cornel. Nepot. in eius vita cap. 5.

republica, et, quae per vim oblatum stuprum voluntaria morte lueret, inventa est, et, qui interficeret filiam, ne stupraretur: quae quidem omnia, et innumerabilia praeterea, quis est, qui non intelligat, et eos, qui fecerint, dignitatis splendore ductos, immemores fuisse utilitatum suarum, nosque, quum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate duci?

XXIII. Quibus rebus expositis breviter (nec enim sum copiam, quam potui, quia dubitatio in re nulla erat, persecutus) sed his rebus concluditur profecto, et virtutes omnes, et honestum illud, quod ex his exoritur, et in his haeret, per se esse ex-
65 petendum. In omni autem honesto, de quo loquimur, nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum, et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum, et ipsa caritas generi humani: quae nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, et tota domus coniugio et stirpe coniungitur, serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus; tum civibus et iis, qui publice socii atque amici sunt: deinde totius complexu gentis humanae: quae animi affectio

quae — stuprum voluntaria morte lueret] Intelligitur *Lucretia*, quod ex glossa in Spir. et Erl. pro *et* est positum.

qui interficeret filiam] Intelligitur Virginia centurionis filia, quam stupro destinatam ab Appio decemviro pater in medio foro occidere maluit, quam pati, ut in foedam servitutem abduceretur. Vide Liv. II, 31.

Cap. XXIII.

sed his rebus] Revertitur *his* ad sententiam supra inchoatam, sed interruptam propter parenthesin, quae si deesset, oratio ita cohaereret *Quibus rebus expositis breviter, concluditur* etc.

quod ex his ex oritur] Vulg. *quod ex his virtutibus oritur*, sed om. *virtutibus* Spir. Erl. Gud. 2., quod a scribis, qui notionem primariam repetitam non concoquere solerent, omissum putat Goer. At contra dici potest, a scribis esse additum, quod alio casu esset repetenda vox. Id enim quum fit, non minus id solent facere scribae. Quare quum optimi codd. vocem omittant, equidem abieci.

suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem coniunctionis humanae munifice et aeque tuens, iustitia dicitur: cui adiunctae sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeque sunt generis eiusdem. Atque haec ita iustitiae propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia. Nam quum sic hominis natura generata sit, ut ha- 66
beat quoddam ingenitum quasi civile atque populare, quod Graeci πολιτικόν vocant: quidquid aget quaeque virtus, id a communitate, et ea, quam exposui, caritate atque societate humana non abhorrebit: vicissimque iustitia, ut ipsa se fundet in ceteras virtutes, sic illas expetet. Servari enim iustitia, nisi a forti viro, nisi a sapiente, non potest. Qualis est igitur omnis haec, quam dico, conspiratio consensusque virtutum, tale est illud ipsum honestum: quandoquidem honestum aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. Quibus in rebus vita consentiens virtutibusque respondens recta et honesta et constans et naturae congruens existimari potest. Atque haec coniunctio confusioque virtu- 67
tum tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. Nam quum ita copulatae connexaeque sint, p. 141.
ut omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari: tamen proprium suum cuiusque munus est, ut fortitudo in laboribus periculisque cernatur; temperantia in praetermittendis voluptatibus; prudentia in delectu bonorum et malorum; iustitia in suo cuique tribuendo. Quoniam igitur

§. 66. *quoddam ingenitum*] Sic scripsi e Spir. Erl., quum vulg. sit *quiddam innatum*, quae glossa videtur esse verbi rarioris. Sed ut *ingignere* est apud Cicer., sic *ingenitum* recte dici potest.

ut ipsa se fundet] additur vulgo *usu*, quod ignorant Spir. et Erl., quare omisi. Nam in verbo *fundandi* notio *usus* latet, unde recte potest abesse.

§. 67. *Quoniam igitur* etc.] Sic plane Monac. Oxonn. *E.* et ξ. — Bas. *quomodo*. Vulg. *Quando*, quod apud Ciceronem pro *quoniam* non ponitur. Frequenter *quoniam*, *quando* et *quomodo* a criticis male confusa sunt propter simile scribendi compendium *qm̄*. quod tribus modis legi potest. Sic mox scribe pro *quando unam*,

inest in omni virtute cura quaedam quasi foras spectans aliosque appetens atque complectens, existit illud, ut amici, ut fratres, ut propinqui, ut affines, ut cives, ut omnes denique (quoniam unam societatem hominum esse volumus) propter se expetendi sint. Atque eorum nihil est eius generis,
68 ut sit in fine atque extremo bonorum. Ita fit, ut duo genera propter se expetendorum reperiantur: unum, quod est in iis, quibus completur illud extremum; quae sunt aut animi aut corporis. Haec autem, quae sunt extrinsecus, id est, quae neque in animo insunt, neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut liberi, ut propinqui, ut ipsa patria, sunt illa quidem sua sponte cara, sed eodem in genere, quo illa, non sunt. Nec vero quisquam summum bonum assequi umquam posset, si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.

XXIV. Quo modo igitur, inquies, verum esse poterit,
69 omnia referri ad summum bonum, si amicitiae, si propinquitates, si reliqua externa summo bono non continentur? Hac videlicet ratione: quod ea, quae externa sunt, iis tuemur officiis, quae oriuntur a suo cuiusque genere virtutis. Nam et amici cultus, et parentis, ei, qui officio fungitur, in eo ipso

quoniam unam, ut exhibet Erl. quod probat Orell., ut id, quod modo reposuimus, alterum *quonitum*. Vide ad I, 4, 10.

§. 68. *quibus completur*] Sic omissa praepositione *in*, quae est vulgo ante *quibus*, P. Schuetz. Orell. — Lambinus item eam reiciendam censuit, quod post eum probavit Goer., quum nusquam apud Ciceronem reperiatur *compleri in re*; semper *compleri re*, Vid. ad III, §. 41. Cfr. Tusc. V, 14, 40. *An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata completur, si id possit omitti.* Ibi scripti quoque plures, teste Goer., *in quo*.

quo illa] Propria dicendum fuisset *in quo*; vid. Excurs. de omissa praepositione ad I, 15, 49.

Cap. XXIV.

§. 69. *ei, qui officio fungitur*] Sic scripsi de certissima Orelli coniectura pro *ei qui*, quod plurimi interpretes ineptum esse h. l. viderunt. Saepissime enim *et* et *ei* in codd. confunduntur.

prodest, quod ita fungi officio in recte factis est: quae sunt orta virtutibus. Quae quidem sapientes sequuntur, utentes tamquam duce natura.

Non perfecti autem homines, et tamen ingeniis excellentibus praediti, excitantur saepe gloria: quae habet formam honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem, undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam penitus viderent; quonam gaudio complerentur, quum tantopere eius adumbrata opinione laetentur? Quem enim deditum 70
voluptatibus, quem cupiditatum incendiis inflammatum, in iis potiendis, quae acerrime concupivisset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Hannibale victo: aut posteriorem Karthagine eversa? Quem Tiberina decursio, festo illo die, tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, quum regem Persen captum adduceret, eodem flumine invectio? Age nunc, Luci 71
noster, exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum: iam non dubitabis, quin earum compotes homines, magno animo erectoque viventes, semper sint beati: qui omnes motus fortunae mutationesque rerum et temporum leves et imbecillos fore intelligant, si in virtutis certamen venerint. Illa enim, quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita, ut sine illis possit beata vita exsistere. Ita enim parvae et exiguae sunt istae accessiones bonorum, ut, quemadmodum stellae in radiis solis, sic istae in virtutum splendore ne cernantur quidem. Atque hoc ut vere dicitur, parva esse ad 72
beate vivendum momenta ista corporis commodo-

§. 70. *Tiberina decursio*] Erat festus ille dies in honorem Fortunae celebratus VIII. Kal. Septembres quotannis tum ad ripam Tiberis pedibus, tum in flumine cymbis decursione facta. Locum nobilissimum vide apud Ovid. Fastor. VI, 775. seqq.

rum; sic nimis violentum est, nulla esse dicere. Qui enim sic disputant, obliti mihi videntur, quae ipsi egerint principia naturae. Tribuendum est igitur his aliquid, dummodo, quantum tribuendum
p.142. sit, intelligas. Est tamen philosophi, non tam gloriosa, quam vera quaerentis, nec pro nihilo putare ea, quae secundum naturam illi ipsi gloriosi esse fatebantur, et videre, tantam vim virtutis, tantamque, ut ita dicam, auctoritatem honestatis, ut reliqua non illa quidem nulla, sed ita parva sint, ut nulla esse videantur. Haec est nec omnia spernentis praeter virtutem, et virtutem ipsam suis laudibus amplificantis oratio. Denique haec est undique completa et perfecta explicatio summi boni. Hinc ceteri particulas arripere conati, suam quisque videri voluit afferre sententiam.

XXV. Saepe ab Aristotele, a Theophrasto mirabiliter
73 est laudata per se ipsa rerum scientia. Hoc uno captus Herillus scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam. Multa sunt dicta ab antiquis de contemnendis ac despiciendis rebus humanis. Hoc unum Aristo tenuit: praeter vitia atque virtutes negavit rem esse ullam aut fugiendam aut expetendam. Positum est a nostris in iis rebus, quae secundum naturam essent, non dolere. Hoc Hieronymus summum bonum esse dixit. At vero Calliphon et post eum

§. 72. *quae ipsi egerint principia*] Omnibus fere criticis suspecta visa est dictio *agere principia*, unde Lamb. *fecerint*, Grut. *elegerint*, Davis. *dederint*, Gifan. *iecerint*. Sed recte, opinor, Goer. defendit vulgatam ita, ut diceret *agere principia* dici, ut *fundamenta agere* pro Milon. 27, 75., quoniam *principia* philosophis sint *fundamentorum* loco.

Cap. XXV.

§. 73. *de contemnendis ac despiciendis rebus humanis.*] *Contemnimus* magna, metuenda, ut pericula, mortem; *despicimus* infra nos posita, ut vulgi opiniones. Sic docet Lambin. Ep. ad Muret. Vol. I. p. 399. ed. Ruhnk. Cfr. Lindemann ad Vit. Duumvir. p. 135. et inprimis Doederlein latein. Synon. T. II. p. 181. *Calliphon*] Sic Schuetz. Orell. — Vulg. *Callipho*. Vide ad II, 6, 19.

Diodorus, quum alter voluptatem adamavisset, alter vacuitatem doloris; neuter honestate carere potuit, quae est a nostris laudata maxime. Quin etiam 74
ipsi voluptarii deverticula quaerunt, et virtutes habent in ore totos dies, voluptatemque primo dumtaxat expeti dicunt: deinde consuetudine quasi alteram quandam naturam effici, qua impulsi multa faciunt nullam quaerentes voluptatem. Stoici restant. Hi quidem non unam aliquam aut alteram a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt. Atque ut reliqui fures, earum rerum, quas ceperunt, signa commutant: sic illi, ut sententiis nostris pro suis uterentur, nomina, tamquam rerum notas, mutaverunt. Ita relinquitur sola haec disciplina digna studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna Regibus.

Quae quum dixisset, paullumque institisset, 75
Quid est, inquit? satisne vobis videor pro meo

§. 74. *quaerunt — habent — dicunt*] Sic recte emendavit Lambin. e coniectura, ut videtur. Secuti sunt Ern. Orell. Vulg. *quaerant — habeant — dicant*, quos subiunctivos modos Goer. defendit ita, ut vertat: *Warum sollte nicht auch.* Sed quum ceterorum omnium sententiae simpliciter afferantur, equidem non video, cur Epicureorum tantum (hi enim sunt isti *voluptarii* homines) sententia alio modo laudetur. Saepenumero autem post *quin etiam*, hoc sensu usurpatum (ja auch), et *ut* comparativum, ut docet Orell., librarii indicativos in coniunctivos mutarunt.

alteram quandam] *quandam* addidit Goer. e Spir. Erl., vulg. abest. Goerenzium secutus est Orell.

non unam aliquam aut alteram a nobis, sed totam etc.] Omnes fere critici putarunt deesse post *alteram* substantivum aliquod, veluti *sententiam*, ut Lambin. scripsit, aut *rem*, quod e coniectura Davis. addidit Goer.; *partem* excidisse suspicatus est Bremi. Alia suspicio Davisii est *unum aliquod aut alterum*. At egregie ostendit Klotz. p. 80. seq. nihil excidisse, sed Ciceronem fortasse aliud in mente habuisse, quam quod sequitur *philosophiam*, veluti *rationes*, ut si proprie locutus esset, scripsisset: *Hi quidem non unam aliquam aut alteram a nobis, sed omnes ad se nostras rationes transtulerunt*. Nam quum partitione usus vocabulum *philosophiae* habere vellet, ad ultima haec accommodavit. Possis ex *philosophiam*, *sententiam philosophicam* repetere, modo ne in contexta inferas.

iure in vestris auribus commentatus? Et ego, Tu vero, inquam, Piso, ut saepe alias, sic hodie ita nosse ista visus es, ut, si tui nobis potestas saepius fieret, non multum Graecis supplicandum putarem. Quod quidem eo probavi magis, quia memini, Staseam Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem sane Peripateticum, aliquanto ista secus dicere solitum, assentientem iis, qui multum in fortuna secunda aut adversa, multum in bonis aut malis corporis ponerent. Est ut dicis, inquit: sed haec ab Antiocho, familiari nostro, dicuntur multo melius et fortius, quam a Stasea dicebantur. Quamquam ego non quaero, quid tibi a me probatum sit, sed huic Ciceroni nostro, quem discipulum cupio ab te abducere.

XXVI. Tum Lucius: Mihi vero ista valde probata
76 sunt; quod item fratri puto. Tum mihi Piso, Quid ergo? inquit, dasne adolescenti veniam? an eum discere ea mavis, quae quum praeclare didicerit, nihil sciat? Ego vero isti, inquam, per-

§. 75. *commentatus?*] Miram dicit Goer. locutionem *in vestris auribus commentatus*, unde in Addend. *in* delendum censet. Schuetz. coniecit *digna vestris auribus commentatus* vel *satisne videor pro meo iure vestris auribus commendatus*. „Quidam legi volunt *commoratus*. Ego nihil muto, neque ullam causam video, cur quid mutetur.“ Lamb. Vere! Nam urbanissime hoc dicit Piso, quod ego rusticius sic explico: „Videorne vobis satis arroganter vestra abusus esse patientia, qui, quasi in cubiculo, omni arbitro remoto, commentatus, eadem negligentia coram vobis sententiam meam exposuerim, quum aequum fuisset apud vos elegantiore oratione uti? *Orell.*

si tui nobis potestas saepius fieret] Sic scripsi e Spir. Erl. — *si tui copia nobis semper fieret* vulg. — *potestas* est etiam in cod. Moser. et in marg. Cratandr.; nihil tamen notavit Orell. nec, ut alias, falsi arguit Goerenzium.

Staseam Neapolitanum] vide de eo supra 3, 8. coll. I. Orat. 22, 104.

familiari nostro] Sic transposui haec e Spir. et Erl., quum vulg. sit *nostro famil.*

ab te abducere.] Sic scripsi cum Spir. et Erl. vulg. *a te*. Sed quod inauditum dicit Goer. *ab te*, id non video, quo iure pronuntiet. Nam, quod vulgo putant, nonnisi *abs te* dici, id puerile est. Nam talibus in rebus ad codd. est provocandum, non ad Broederi Grammaticam Lat. Sic supra est *ab vero abduci* III, 21, 72.

mitto. Sed nonne meministi, mihi licere probare ista, quae sunt a te dicta? Quis enim potest ea, quae probabilia videantur, non probare? An vero, inquit, quisquam potest probare, quod perceptum, quod comprehensum, quod cognitum non habet? Non est ista, inquam, Piso, magna dissensio. Nihil est enim aliud, quamobrem mihi nihil percipi p. 143. posse videatur, nisi quod percipiendi vis ita definitur a Stoicis, ut negent quidquam posse percipi, nisi tale verum, quale falsum esse non possit. Itaque haec cum illis est dissensio, cum Peripateticis nulla sane. Sed haec omittamus; habent enim et bene longam et satis litigiosam disputationem.

Illud mihi a te nimium festinanter dictum vi- 77
detur, sapientes omnes esse semper beatos. Nescio quo modo praetervolavit oratio. Quod nisi ita efficitur: quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi beatam vitam nullo modo posse putavit, vereor ne vera sint. Nam illud vehementer repugnat, eumdem et beatum esse et multis malis oppressum. Haec quo modo conveniant, non sane intelligo. Utrum igitur tibi, inquit, non placet, virtutisne esse tantam vim, ut ad beate vivendum se ipsa contenta sit? an, si id probas, ita fieri posse negas, ut ii, qui virtutis compotes sint, etiam malis quibusdam affecti beati sint? Ego vero volo in virtute vim esse quam maximam: sed, quanta sit,

Cap. XXVI.

§. 76. *quae probabilia videantur*] Additur vulgo *ei*, quod nullum sensum praebet. Debetur ei, qui ad *probabilia videantur* personam habere voluit, cui aliquid probabile videretur. Delendum censuit Orell. — Goer. in Addendis suspicatur, *quis enim potest, quae probabilia videantur, ea non probare*. Praeclara est coniectura; saepissime enim relativo scribae addunt demonstrativum pronomen.

§. 77. *Utrum — virtutisne*] *ne* a vulgata abest. Sed vide ad II, 19, 60.

alias: nunc tantum, possitne esse tanta, si quidquam
78 extra virtutem habeatur in bonis. Atqui, inquit, si Stoicis concedis, ut virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam: concedis etiam Peripateticis. Quae enim mala illi non audent appellare, aspera autem et incommoda et reiicienda et aliena naturae esse concedunt, ea nos mala dicimus, sed exigua et porro minima. Quare si potest esse beatus is, qui est in asperis reiiciendisque rebus, potest is quoque esse, qui est in parvis malis. Et ego, Piso, inquam, si est quisquam, qui acute in caussis videre soleat, quae res agatur, is es profecto tu. Quare attende, quaeso. Nam adhuc, meo fortasse vitio, quid ego quaeram, non perspicis. Istic sum, inquit, exspectoque, quid ad id, quod quaeram, respondeas.

XXVII. Respondebo, me non quaerere, inquam, hoc tempore, quid virtus efficere possit, sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. Quo igitur, inquit, modo? Quia quum a Zenone, inquam, hoc magnifice, tamquam ex oraculo, editur, Virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est. Quare, inquit? Respondet: Quia, nisi quod honestum est, nullum est aliud bonum. Non quaero iam, verumne sit: illud dico, ea, quae dicat, praeclare inter se co-

§. 78. *concedis — ut*] Exspectatur acc. c. inf. pro *ut*. Vide Excurs. ad II, 3, 6. de part. *ut* pro *acc.* c. inf. posita.

et porro] i. e. *et porro* (i. e. accuratius) *si spectes*. Ita recte particulam cum Ern. pro *atque adeo* acceperis.

Cap. XXVII.

§. 79. *efficere possit*] Sic scripsi e Spir. Erl. et omnibus Goer. codd. pro vulg. *possit eff.*

Quia, quum etc.] Est in his leve anacoluthon ortum ex confabulatione. Pergere enim debebat oratio ita: *Quia quum a Zenone hoc magnifice, tamquam ex oraculo, editur: „Virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est," nisi quod honestum est, nullum est aliud bonum.* Hoc quum non intellexissent critici, miras protulerunt coniecturas, unde Goer. *tum* pro *quum* scripsit. Alii aliter. Verum vidit Orell.

haerere. Dixerit hoc idem Epicurus, Semper beatum esse sapientem: quod quidem solet ebullire nonnumquam. Quem quidem, quum summis doloribus conficiatur, ait dicturum, Quam suave est; quam nihil curo! Non pugnem cum homine, cur tantum habeat in natura boni. Illud urgeam, non intelligere eum, quid sibi dicendum sit, quum dolorem summum malum esse dixerit. Eadem nunc mea adversum te oratio est. Dicis eadem omnia et bona et mala; quae quidem dicunt, qui numquam philosophum pictum, ut dicitur, viderunt, valitudinem, vires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium, deformitatem, morbum, debilitatem. Iam illa externa, parce tu quidem: sed haec, quum corporis bona sint eorum conficientia, certe in bonis numerabis, amicos, liberos, propinquos, divitias, honores, opes. Contra haec attende

80

81

§. 80. *hoc idem*] Verte: das nämliche. Cfr. II. Off. 1, 3. *Vellem nobis hoc idem dicere liceret.*

Quam suave est] De hoc dicto vide Tusc. Disp. V, 10, 31. 26, 73.

debilitatem.] *mala* addunt omnes codd., quod a scribis est, qui putarent, coniungi cum his sequentia *mala iam illa externa.*

§. 81. *parce tu quidem*] scil. *attulisti.*

sed haec etc.] Scripsi ita, ut Goerenzius verba rectissime distinxit, quicquid de non sensu, ut ita dicam, loquatur Orell. Ridet Cicero eos, qui externa bona summum bonum putent, et ipsos pudere, ea dicere, hoc argumento vult efficere, quod Piso non multa bona externa enumeraverit. Maiorem autem numerum eorum esse, ostendit eo, quod ad externa bona etiam ea pertineant, quae bona illa conficiant (ausmachen), veluti amici, liberi, propinqui, divitiae, honores, opes; non tantum valitudinem, vires, staturam, formam, integritatem bona esse externa. Recte rem Schuetz. intellexit, qui pro *eorum*, *bonorum* scripsit. At hoc non opus est. Nam verba *quum corporis bona sint eorum conficientia* significant ipsa: *quum corporis bona sint ea etiam, quae bona efficiant.* Recte etiam Goer. docuit membra esse inversa pro: *sed amicos, liberos, propinquos, divitias, honores, opes, haec quum corporis bona sint, quae ea conficiunt, certe in bonis numerabis.* Nescio quomodo in his tantopere haeserint intpp. Schuetz. *sed haec corporis, quum bona sint*, deleto postea *nihil.* — Lamb. *sed quum haec corporis, bona sint.* Probat Schuetzianam rationem Orell. Posterior coniectura Schuetzii haec est: *sed haec, quum bonorum sint conficientia, certe.... numerabis.*

Contra haec attende me nihil dicere: sed si etc.] Sic scripsi cum Goer., qui *sed* ex coniectura reposuit, quum Gud. 2. et Bas.

me nihil dicere: sed si ista mala sunt, in quae potest incidere sapiens, sapientem esse non esse ad beate vivendum satis. Immo vero, inquit, ad beatissime vivendum, parum est: ad beate, satis.
p.144. Animadverti, inquam, te isto modo paullo ante ponere: et scio, ab Antiocho nostro dici sic solere. Sed quid minus probandam, quam esse aliquem beatum, nec satis beatum? Quod autem satis est, eo quidquid accesserit, nimium est: et nemo nimium beatus est: et nemo beato beatior.
82 Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tres filios consules vidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem praetorem, eosque salvos reliquit, et tres filias nuptas, quum ipse consul, censor, augur fuisset et triumphasset: ut sapiens fuerit, nonne beatior, quam, ut item sapiens fuerit, qui in potestate hostium vigiliis et inedia necatus est, Regulus? Quid me istud rogas, inquam? Stoicos roga.

XXVIII. Quid igitur, inquit, eos responsuros putas? Nihilo beatiorem esse Metellum, quam Regulum.
83 Inde igitur, inquit, audiendum est. Tamen a proposito, inquam, aberramus. Non enim, inquam,

sed pro *si* exhiberet. Recte, opinor, coniecit Goer. Nam *si nihil* retineatur, quod quum omnes teneant codd., ego numquam adducar, ut abiiciam, necessario *sed si* scribendum erit. Et non mirum est, unde *sed* omiserint librarii, quippe qui, ut critici nostri, non intelligerent ex *nihil dicere* repetendum esse simplex *dicere*, ut saepe. Vulgatam autem *attende me nihil dicere* cur non Latinam censeat Orell., non video. Nam, ut dici posse putat *attende me dicere*, sic dicitur rectissime *attende me nihil dicere*. *Attende* enim respondet nostro *merke wohl*, ut sensus sit: *de bonis nihil nunc disputare me intelligito, sed de malis, in quae potest incidere sapiens*

ad beate, satis] Sic scripsi e Spir. et Erl., quum vulg. sit *ad beate vero*. Inclusit recte Orell. Cfr. supra II, 26, 82. *mihi quidem satis est, ipsis non satis.* — *Ad beate* scil. *vivendum.*

§ 82. *Q. Metellus*] Vide Tuscul. I, 35. Vellei. Pat. I, 11. Plin. H. N. VII, 45.

ut sapiens fuerit] *Ut* valet gesetzt, dass.

Cap. XXVIII.

§. 83. *aberramus*] Sic scripsit Goer. e Spir. et Erl. pro vulg. *aberravimus*. Eadem varietas est §. 85. Secutus est Orell.

quaero, quid verum, sed quid cuique dicendum sit. Utinam quidem dicerent alium alio beatiorem! iam ruinas videres. In virtute enim sola, et in ipso honesto quum sit bonum positum, quumque nec virtus, ut placet illis, nec honestum crescat, idque bonum solum sit, quo qui potiatur, necesse est beatus sit, quum augeri id non possit, in quo uno positum est beatum esse: qui potest esse quisquam alius alio beatior? Videsne, ut haec concinant? Et Hercule (fatendum est enim, quod sentio) mirabilis est apud illos contextus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus: quid sequatur, quid repugnet, vident. In geometria prima si dederis, danda sunt omnia. Concede, nihil esse bonum, nisi quod honestum sit: concedendum est, in virtute sola positam esse beatam vitam. Vide rursus retro. Dato hoc, dandum erit illud. Quod vestri non item. Tria genera bonorum. Proclivi currit oratio: ve- 84
nit ad extremum: haeret in salebra; cupit enim dicere, Nihil posse ad beatam vitam deesse sapienti. Honesta oratio: Socratica, Platonis etiam. Audeo dicere, inquit. Non potest, nisi retexueris illa: paupertas si malum est, mendicus esse beatus nemo potest, quamvis sit sapiens. At Zeno eum non beatum modo, sed etiam divitem dicere ausus est. Dolere malum: in crucem qui agitur,

§. 84. *Proclivi currit oratio*] Cfr. IV. Tusc. 18. *Incitata semel proclivi labuntur.*

haeret in salebra] *Salebra* proprie de arenis rivorum fluviorumque, quas aquarum impetus congessit, dicitur: quae in *proclivi* alveo non reperiuntur. Comparatur oratio rivo, initio proclivi et expedito cursu qui sit, deinde vero arenis et salebra remoretur.

Audeo dicere] *Audeo dicere* ex Graeco τολμῶ λέγειν imitatum est, scil. hoc convenire Platonis sententiae. Nescio cur aliud coniecerit Orell. *Aude dicere, inquit.* Alii aliud. Nihil muto.

Non potest] i. e. *non potest fieri*, ut sic iure dicere audeas. Cfr. Ochsner. p. 85., qui plura habet exempla, ubi *potest* pro *potest fieri* dicitur.

beatus esse nemo potest. Bonum liberi: miserum orbitas; bonum patria: miserum exsilium; bonum valitudo: miserum morbus; bonum integritas corporis: miserum debilitas: bonum incolumis acies: miserum caecitas. Quae si potest singula consolando levare, universa quo modo sustinebit? Sit enim idem caecus, debilis, morbo gravissimo affectus, exsul, orbus, egens, torqueatur equuleo: quem hunc appellas? Zeno: Beatum, inquit. Etiam beatissimum? Quippe, inquiet, quum tam docuerim, gradus istam rem non habere, quam
85. virtutem, in qua sit ipsum etiam beatum. Tibi hoc incredibile, quia beatissimum. Quid tuum? credibile? Si enim ad populum me vocas: eum, quia ita sit affectus, beatum numquam probabis. Si ad prudentes: alterum fortasse dubitabunt, sitne tantum in virtute, ut ea praediti vel in Phalaridis tauro beati sint: alterum non dubitabunt, quin et Stoici convenientia sibi dicant, et vos repugnantia. Theophrasti igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata vita? Tamen aberramus a proposito: et, ne longius; prorsus, inquam, Piso, si ista mala
86 sunt, placet. Nonne igitur tibi videntur, inquit, mala? Id quaeres? inquam: in quo, utrum respondebo, verses te huc atque illuc necesse est.
p.145. Quo tandem modo, inquit? Quia si mala sunt, is, qui erit in his, beatus non erit: si mala non

miserum orbitas.] Sic cum codd. Ernesti — *misera* Cett. ter. At *miserum est miserum quid, etwas Böses.*

Quippe] ironicum illud est, nostro *Ey freilich* respondens, vide supra ad IV, 3, 7.

in qua sit ipsum etiam beatum.] Verte: da auf ihr ja das Glückseeligsein selbst beruht. Sic *beatum* substantive est Tusc. Disp. V, 15, 45. *Quodsi ita est, ex bonis, quae sola honesta sunt, efficiendum est beatum.* — Graece τὸ μακάριον, i. e. τὸ μακάριον εἶναι.

§. 85. *tuum credibile*] i. e. *num putas, tuum esse credibile*, h. e. *id, quod tu dixisti?*

vel in Phalaridis tauro beati sint] Cfr. supra II, 27, 88. et Fronto Epistol. ad amic. I, 15, 8. ed. Niebuhr.

sunt, iacet omnis ratio Peripateticorum. Et ille ridens, Video, inquit, quid agas: ne discipulum abducam, times. Tu vero, inquam, ducas licet, si sequetur. Erit enim mecum, si tecum erit.

Audi igitur, inquit, Luci. Tecum enim, ut XXIX. ait Theophrastus, mihi instituenda oratio est. Omnis auctoritas philosophiae consistit in beata vita comparanda. Beate enim vivendi cupiditate incensi omnes sumus. Hoc mihi cum tuo fratre 87 convenit. Quare hoc videndum est, possitne nobis hoc ratio philosophorum dare. Pollicetur certe. Nisi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et caelestia acciperet? Cur post Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Acrionem Locros, ut, quum Socratem expressisset, adiungeret Pythagoreorum disciplinam, eaque, quae Socrates repudiabat, addisceret? Cur ipse Pythagoras et Aegyptum lustravit, et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbaro-

§. 86. *si sequetur.*] Sic Spir. Erl. — Vulg. *si sequatur.*

Cap. XXIX.

§. 87. *cur Plato — ad Archytam?*] Cfr. Cic. de Rep. I, 10, 16. *audisse te credo, Tubero, Platonem, Socrate mortuo, primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam et in Siciliam contendisse, ut Pythagorae inventa perdisceret; eumque et cum Archyta Tarentino et cum Timaeo Locro multum fuisse, et Philolai commentarios esse nactum: quumque eo tempore in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse.* Adde Valer. Max. VIII, 8. extr. 3. *Quominus miror eum* (Platonem) *in Italiam transgressum, ut ab Archyta Tarenti, a Timaeo et Arione* (legendum *Acrione. Davis.*) *et Echecrate Locris Pythagorae praecepta et instituta acciperet.* et Diog. Laert. VIII. §. 46. *Τελευταῖοι γὰρ ἐγένοντο τῶν Πυθαγορείων, οὓς καὶ Ἀριστόξενος εἶδε, Ξενόφιλός τε ὁ Χαλκιδεὺς, ἀπὸ Θρᾴκης, καὶ Φάντων ὁ Φλιάσιος, καὶ Ἐχεκράτης καὶ Διοκλῆς καὶ Πολύμναστος Φλιάσιοι· καὶ αὐτοὶ ἦσαν δὲ ἀκροαταὶ Φιλολάου καὶ Εὐρύτου τῶν Ταραντίνων.*

ut — adiungeret Pythag. discipl.] Cfr. Cic. l. c. *Itaque quum Socratem unice dilexisset, eique omnia tribuere voluisset, leporem Socratic·m subtilitatemque sermonis cum obscuritate Pythagorae et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit.*

rum pedibus obiit? tot maria transmisit? cur haec eadem Democritus? qui (vere falsone, quaereremus) dicitur oculis se privasse: certe ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit: agros deseruit incultos; quid quaerens aliud, nisi beatam vitam? quam si etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturae consequi volebat, bono ut esset animo. Ideo enim ille summum bonum, *εὐθυμίαν* et saepe *ἀθαμβίαν* appellat, id est, animum terrore liberum. Sed haec etsi praeclare, nondum tamen perpolita. Pauca enim, neque ea ipsa ab hoc enucleate de virtute quidem, dicta. Post enim haec in hac urbe primum a Socrate quaeri coepta: deinde in hunc locum delata sunt: nec dubitatum, quin in virtute omnis, ut bene, sic etiam beate vivendi spes poneretur. Quae quum Zeno didicisset a nostris: ut in actionibus praescribi solet, de re eadem alio modo. Hoc tu nunc in illo probas. Scilicet vocabulis rerum mutatis, inconstantiae crimen ille effugit, nos effugere non possumus? Ille Metelli vitam negat beatiorem, quam Reguli: praeponendam tamen: nec magis expetendam, sed magis sumendam: et, si optio esset, eligendam

88

vere falsone, quaereremus] Mirum quantum in his omnes paene intpp. haeserunt, nescientes quippe respondere imperfectum subiunctivi *möchten wir fragen*. Imperfectum ponitur, quia opponuntur mente haec: at nolumus; si aliqua quaerendi voluntatis significatio adesset, scriptum esset; *quaeramus* i. e. *haud indignum esset, si quaereremus*. — Victor. Varr. Lectt. XV, 9. deleri vult *quaereremus*. Davis. *vere falsone non quaeremus*. Goer. *vere falsone quaeramus* probante Orell.

dicitur oculis se privasse] Cfr. Cic. Tusc. Disp. V, 39, 114. *Democritus luminibus amissis, non enim amittimus, quibus nostra sponte nos privamus. Neque tu ipse dubitabis, hoc, ut tot alia, Abderitarum more huic esse viro affictum.*

§. 88. *nondum tamen perpolita.*] Sic omnes Goer. codd. praeter Monacens. et meus Guelferbyt. Vulg. *et perpolita*. Orell. ut *et* defendat, suspicatur excidisse vocabulum. Sed, ut mihi videtur, intruserunt librarii, ut saepe alias, *et* pro *etiam*.

ab hoc enucleate] Sic dedi e Spir. et Erl. — Vulg. *enucl. ab hoc.*

Metelli, Reguli reiiciendam. Ego quam ille praeponendam et magis eligendam, beatiorem hanc appello: nec ullo omnino momento plus ei vitae tribuo, quam Stoici. Quid interest, nisi quod ego 89
res notas notis verbis appello: illi nomina nova quaerunt, quibus idem dicant? Ita quemadmodum in Senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet: sic isti nobis cum interprete audiendi sunt. Bonum appello, quidquid secundum naturam est: quod contra, malum. Nec ego solus: sed tu etiam, Chrysippe, in foro, domi: in schola desinis. Quid? ergo aliter homines, aliter philosophos loqui putas oportere, quanti quidque sit? aliter doctos, et indoctos? Sed quum constiterit inter doctos, quanti res quaeque sit: (si homines essent, usitate loquerentur), dum res maneant, verba fingant arbitratu suo.

Sed venio ad inconstantiae crimen, ne saepius XXX.
dicas, me aberrare: quam tu ponis in verbis; 90
ego positam in re putabam. Si satis erit hoc perceptum, in quo adiutores Stoicos optimos habemus, tantam vim esse virtutis, ut omnia, si p.146.

nec ullo omnino momento] Sic exhibent Spir. et Erl. — Vulg. *nec ullo minimo momento.*

§. 89. *quanti quidque sit? aliter* etc.] Verba *quanti quidque sit*, ex sequentibus orta incluserunt Davis. Ern. Orell. Delevit Schuetz. Defendit Goer. rectissime. Nam, quod mox sequuntur eadem verba, id glossam non prodit. Deinde de ipsa rerum qualitate statim incipit disputare.

si homines essent, usitate loquerentur] Haec quoque Davis. et Ern. ad uncos damnarunt, quod incommode iis parenthesis interiecta visa est. Sed hanc saepe interruptius poni, docuit Goer. ad Legg. I, 7, 21., idque maxime, ab eius fronte posita, cfr. II. Acad. 22, 68. ibid. 27, 88. etc. Huc accedere singularem notionem, qua auctor vocem *homo* ponere amet, i. e. *qui humaniter sese prudenterque se ad alios accommodat.* Cfr. II. ad Att. ep. 2. *Herodes si homo esset*, 'eum (Dicaearchum) *potius legeret, quam unam literam scriberet.* ibid. IV. ep. 15. *si vis homo esse, recipe te ad nos, ad quos tempus confirmasti.* ibid. X. ep. 11. fin. *sed quoniam homo est, et nos diligit, ipse quoque a nobis diligatur.* cll. Terent. Adelph. I, 2, 27. *tu illum tuum*, (filium) *si homo esses, sineres nunc facere, quum per aetatem licet.*

ex altera parte ponantur, ne appareant quidem: quum omnia, quae illi commoda certe dicunt esse et sumenda et eligenda et praeposita, quae ita definiunt, ut satis magno aestimanda sint: haec igitur quum ego, tot nominibus a Stoicis appellata, partim novis et commentitiis, ut ista producta et reducta, partim idem significantibus: (quid enim interest, expetas an eligas? mihi quidem etiam lautius videtur, quod eligitur, et ad quod delectus adhibetur:) sed, quum ego ista omnia bona dixero, tantum refert, quam magna dicam: quum expetenda, quam valde. Sin autem nec expetenda ego magis, quam tu eligenda, nec illa pluris aestimanda ego, qui bona, quam tu, qui producta appellas: omnia ista necesse est obscurari, nec apparere, et in virtutis, tamquam in solis
91 radios incurrere. At enim, qua in vita est aliquid mali, ea beata esse non potest. Ne seges quidem igitur spicis uberibus et crebris, si avenam

Cap. XXX.

§. 90. *ne appareant quidem*] Vix haec clare intelligentur, nisi memineris, Stoicos statuisse, tantopere virtutem praestare iis, quae sumenda sint, quantopere solis lux lucernae lumini, Aegeum mare stillae muriae. Cfr. III. Fin. 14, 45. Antiochus vero hanc rem similitudine etiam aptiore, solis lumen cum stellarum lumine comparans, notabat. Cfr. supra 24, 71. Ad istas similitudines auctorem in his ponendis respexisse, dubitari iure vix potest. Nam nec stellarum, nec lucernae sic lumen, nec stilla muriae *apparebunt*, ἀφανεῖς erunt i. e. paene nihili, tam exigua iudicabuntur. Sed haec ad finem §. omni dubitationi eripiuntur. Infra 31, 93. *ut ea ne in conspectu quidem relinquantur.* *Goer.*

quam valde] scil. *expetenda.*

§. 91. *Ne seges quidem igitur*] Abest *igitur* in Gud. 1. sed scribae in hac particula altius reposita haeserunt, quod fit, ubi ea, quae praecedunt, propter arctissimum connexus vinculum non possunt divelli, ut h. l., ubi *quidem* non potest nisi una voce interposita poni. Cfr. Tusc. I, 34, 82. *Ne in animo quidem igitur sensus remanet.* Sic ibid. I, 14, 32. reposuit Orell. e codd. *quae est melior igitur in hominum genere natura.* Hic causa est, quod solennis est apud Ciceronem ordo in tali formula *quis est bonus.* de Divin. I, 15, 27. *Ille mihi videtur igitur vere augurari.* Hic positus excusatur formula *mihi videtur*, quae quasi unam notionem efficit *puto.* Giese ad h. l. addit II. Tusc. 15, 12. *Nonne verendum est igitur*, quia hic ordo solennis est, ut Particip. Fut. pass.

uspiam videris: nec mercatura quaestuosa, si in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. An hoc usquequaque aliter in vita? et non ex maxima parte de tota iudicabis? an dubium est, quin virtus ita maximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas obruat? Audebo igitur, quae secundum naturam sint, bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine, quam aliquid potius novum exquirere; virtutis autem amplitudinem quasi

cum verbo substant. coniungatur. II. in Verr. I, 32. in. *Huic homini parcetis igitur iudices.* Cupit auctor iudices ad poenam inflammare, quare verbum *parcendi* ad frontem sententiae collocat. V, 48, 126. *Hic locus est igitur unus, quo perfugiant.* de Div. II, 3, 8. *Dicendum est mihi igitur.* 64, 133. *Non potueras hoc igitur a principio, citharista dicere.* Quinto loco et in fine enunciationis invenitur III. N. D. 17, 43. *Ne Nymphae quidem deae igitur.* et §. 44. *Ne Orcus quidem deus igitur.* Voluit his in locis maxime id efferre, hos non fuisse *deos.* Ita ubique causa est, cur *igitur* non suo loco, qui est secundus in enunciato, ponatur, altiusque reiiciatur.

si avenam uspiam videris] De avena segeti nociva cfr. Plin. XVIII. H. N. 17., et quae collegere ibi intpp.

parum aliquid damni] Ern. aut *aliquid* abiiciendum censet, aut *parvi* legendum. — *Paullum aliquid* de Bremii coniectura Schuetz. — *Parvuli quid damni* Goer. vult in Addend. p. 711. Sed videtur idem primum recte comparasse Graecum ὀλίγον τι ζημίας.

Audebo igitur — bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine, quam aliquid potius novum exquirere] Davis. primus vidit, insolentius dictum esse *quam* omisso *potius*, quare legere maluit *potius quam aliquid.* Secutus est Ern. Quos reprehendit Goer. eo nomine duntaxat, quod non viderint *aliquid* dictum esse pro *aliud.* Sed ipse non vidit, eos eo potius offendisse, quod *quam* omisso *potius* diceretur, quae loquendi ratio rarissima est apud Ciceronem. Nam quae exempla attulit Davis., quum alteram coniecturam proponeret *quam aliquid prorsus*, ea ex infima sunt Latinitate hausta i. e. ex scriptoribus ecclesiasticis, apud quos quavis fere id fit pagina, ut apud Tertull., ubi sexcenta colligi possunt exempla. Ciceronis unum novi de Invent. II, 2, 5. *Quodsi in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alieno certo vellent addicere, minus in arrogantia offenderent.* Hic *quam* omisso *potius* eo defenditur, quod verbum *eligendi* praecedit, in quo latet vis comparandi. Cfr. Kritz. ad Sall. Catil. 8, 1. p. 42. et Ramshorn. p. 314. 2., cuius quod a Cicerone sumpsit exemplum N. D. III, 25, 64. *Itaque aliunde mihi quaerendum est, ut et esse deos et quales sint dii discere possim, quam quales tu eos esse vis*, huc non pertinere patet ex verissima Orellii interpretatione, qui haec per brachylogiam explicat, ut *quam* pendeat ab aliunde, quasi dixisset „*alios*

92 in altera librae lance ponere. Terram, mihi crede, ea lanx, et maria deprimet. Semper enim ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare vivere. Ergo, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est? At hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Polycratem Samium felicem appellabant. Nihil accidera̲t ei, quod nollet, nisi quod annulum, quo delectabatur, in mari abiecerat. Ergo infelix una molestia: felix rursus, quum is ipse annulus in praecordiis piscis inventus est. Ille vero, si insipiens; (quod certe, quoniam tyrannus:) numquam beatus: si sapiens, ne tum quidem miser, quum ab Oroete praetore Darei in crucem actus est. At multis malis affectus.

sane eos esse cognoscam, ac — vis." Noster locus, unde egressi sumus, si sincerus est, eo defenditur, quod *potius* bis ponendum fuisset, et comparativa sententia facile perspicitur.

§. 92. *Terram — deprimet.*] Accommodavit haec auctor ad Critolai libram V. Tuscul. 17, 51. *quaero, quam vim habeat libra illa Critolai: qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa; tantum propendere illam lancem putet, ut terram et maria deprimat.*

Ergo, si semel etc.] Sic scripsit Orell. e Spir. Erl. Cod. Mos. Cet. *Igitur.* Goer. non improbat *ergo*, modo futurum tempus sequeretur, nam qui loci excipiantur, scribis esse imputanda. At longe efficacius *praesens tempus* ponitur.

M. Crasso] De M. Crasso, ἀγελάστῳ summi illius oratoris patre cfr. III. Tusc. 15, 31. et Plin. VII. H. N. 18., qui ex hoc agnomine eum umquam risisse negat. Cfr. Douza ad Lucilii fragm. p. 20.

in mari abiecerat.] Sic cum codd. P. Iu. Cr. Goer. (ex suis omnibus) Schuetz. Orell. — *in mare* vulg. Sed egregie ostendit Goer. unum verum esse *in mari*, nam profectus navigio in altum annulum mersit Plin. XXXVII. H. N. c. 1. coll. Valer. Max. VI. cap. ult. — *in mare abiecisset* annulum, si ipse in terra continenti fuisset.

ab Oroete] Vide Victor. Varr. Lectt. II, 4. qui Herodoti et Athenaei locos affert. Cfr. Lucian. in Dial. Antisthen. et Cratet. T. I. p. 315. 317. atque in Contempl. p. 352. Maximus Tyr. Diss. XXXV. et Dion. Chrysostom. Orat. XVII. p. 251.

Darei] Sic clare ex Goerenzii codd. exhibent Erl. Gud. 1. nec diversitas ex Spir. et Bas. notatur. Gud. 2. Monac. et ξ *Dareii.* Vide Zumpt. §. 2.

Quis negat? Sed ea mala virtutis magnitu- XXXI.
dine obruebantur. An ne hoc quidem Peripateti- 93
cis concedis, ut dicant, omnium virorum bonorum, id est, sapientium omnibusque virtutibus ornatorum vitam omnibus partibus plus habere semper boni, quam mali? Quis hoc dicit? Stoici scilicet? Minime. Sed isti ipsi, qui voluptate et dolore omnia metiuntur, nonne clamant, sapienti plus semper adesse, quod velit, quam quod nolit? Quum tantum igitur in virtute ponant ii, qui fatentur se virtutis caussa, nisi ea voluptatem acciret, ne manum quidem versuros fuisse: quid facere nos oportet, qui quamvis minimam animi praestantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquantur? Quis est enim, qui hoc cadere in sapientem dicere audeat, ut, si fieri possit, virtutem in perpetuum abiiciat, ut dolore omni liberetur? Quis nostrum dixerit, quos non pudet, ea, quae Stoici aspera dicunt, mala dicere, melius esse, turpiter aliquid facere cum voluptate, quam honeste cum dolore? Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descivisse 94
videtur a Stoicis propter oculorum dolorem. Quasi p. 147.

Cap. XXXI.

§. 93. *sapientium*] Sic Goer. e Spir. Erl. Secutus est Orell. Vulg. *sapientum*, quam genitivi formam apud Ciceronem scribis tribuit Goer., quum ubique fere eadem varietas sit in codd. At Beier. ad Lael. 21, 1. exempla attulit, in quibus nulla plane e codd. affertur lectionis varietas formae *sapientum*, ut de Legg. I, 24, 62. *consulta fortium et sapientum*. Unus Lambin. habet *sapientium*. Ad Offic. III, 4. pr. laudat idem de leg. Agrar. I, 1, 1. *cogitata sapientum*. Ad Laelium conferri iubet Meyer. ad Orator. 1. §. 1. f.

qui fatentur se] Sic Spir. Erl. — Vulg. *se fatentur*, quod unum probat Goer. At vide Excurs. ad II, 22, 74. de pron. personalis positu cum verbis *dicendi*.

§. 94. *Heracleotes — Dionysius*] Erat Zenonis Zittiei discipulus, qui ob oculorum dolorem a Stoicis ad Epicurum descivit. Cfr. Cic. Acad. II, 22, 71. Athenaeus Deipn. VII, 16. Diog. Laert. VII, §. 37. 166. Cic. Tusc. II, 24. *renum* dolore id factum dicit. Non igitur sibi constitit, aut memoria lapsus est. V. Bayle Dictionar. philos. p. 1448.

92 in altera librae lance ponere. Terram, mihi crede, ea lanx, et maria deprimet. Semper enim ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare vivere. Ergo, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est? At hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Polycratem Samium felicem appellabant. Nihil acciderat ei, quod nollet, nisi quod annulum, quo delectabatur, in mari abiecerat. Ergo infelix una molestia: felix rursus, quum is ipse annulus in praecordiis piscis inventus est. Ille vero, si insipiens; (quod certe, quoniam tyrannus:) numquam beatus: si sapiens, ne tum quidem miser, quum ab Oroete praetore Darei in crucem actus est. At multis malis affectus.

eane eos esse cognoscam, ac — vis." Noster locus, unde egressi sumus, si sincerus est, eo defenditur, quod *potius* bis ponendum fuisset, et comparativa sententia facile perspicitur.

§. 92. *Terram — deprimet.*] Accommodavit haec auctor ad Critolai libram V. Tuscul. 17, 51. *quaero, quam vim habeat libra illa Critolai: qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa; tantum propendere illam lancem putet, ut terram et maria deprimat.*

Ergo, si semel etc.] Sic scripsit Orell. e Spir. Erl. Cod. Mos. Cet. *Igitur.* Goer. non improbat *ergo*, modo futurum tempus sequeretur, nam qui loci excipiantur, scribis esse imputanda. At longe efficacius *praesens tempus* ponitur.

M. Crasso] De M. Crasso, ἀγελάστῳ summi illius oratoris patre cfr. III. Tusc. 15, 31. et Plin. VII. H. N. 18., qui ex hoc agnomine eum umquam risisse negat. Cfr. Douza ad Lucilii fragm. p. 20.

in mari abiecerat.] Sic cum codd. P. Iu. Cr. Goer. (ex suis omnibus) Schuetz. Orell. — *in mare* vulg. Sed egregie ostendit Goer. unum verum esse *in mari*, nam profectus navigio in altum annulum mersit Plin. XXXVII. H. N. c. 1. coll. Valer. Max. VI. cap. ult. — *in mare abiecisset* annulum, si ipse in terra continenti fuisset.

ab Oroete] Vide Victor. Varr. Lectt. II, 4. qui Herodoti et Athenaei locos affert. Cfr. Lucian. in Dial. Antisthen. et Cratet. T. I. p. 315. 317. atque in Contempl. p. 352. Maximus Tyr. Diss. XXXV. et Dion. Chrysostom. Orat. XVII. p. 251.

Darei] Sic clare ex Goerenzii codd. exhibent Erl. Gud. 1. nec diversitas ex Spir. et Bas. notatur. Gud. 2. Monac. et *Dareii.* Vide Zumpt. §. 2.

Quis negat? Sed ea mala virtutis magnitu- XXXI.
dine obruebantur. An ne hoc quidem Peripateti- 93
cis concedis, ut dicant, omnium virorum bonorum, id est, sapientium omnibusque virtutibus ornatorum vitam omnibus partibus plus habere semper boni, quam mali? Quis hoc dicit? Stoici scilicet? Minime. Sed isti ipsi, qui voluptate et dolore omnia metiuntur, nonne clamant, sapienti plus semper adesse, quod velit, quam quod nolit? Quum tantum igitur in virtute ponant ii, qui fatentur se virtutis caussa, nisi ea voluptatem acciret, ne manum quidem versuros fuisse: quid facere nos oportet, qui quamvis minimam animi praestantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquantur? Quis est enim, qui hoc cadere in sapientem dicere audeat, ut, si fieri possit, virtutem in perpetuum abiiciat, ut dolore omni liberetur? Quis nostrum dixerit, quos non pudet, ea, quae Stoici aspera dicunt, mala dicere, melius esse, turpiter aliquid facere cum voluptate, quam honeste cum dolore? Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descivisse 94
videtur a Stoicis propter oculorum dolorem. Quasi p. 147.

Cap. XXXI.

§. 93. *sapientium*] Sic Goer. e Spir. Erl. Secutus est Orell. Vulg. *sapientum*, quam genitivi formam apud Ciceronem scribis tribuit Goer., quum ubique fere eadem varietas sit in codd. At Beier. ad Lael. 21, 1. exempla attulit, in quibus nulla plane e codd. affertur lectionis varietas formae *sapientum*, ut de Legg. I, 24, 62. *consulta fortium et sapientum*. Unus Lambin. habet *sapientium*. Ad Offic. III, 4. pr. laudat idem de leg. Agrar. I, 1, 1. *cogitata sapientum*. Ad Laelium conferri iubet Meyer. ad Orator. 1. §. 1. f.

qui fatentur se] Sic Spir. Erl. — Vulg. *se fatentur*, quod unum probat Goer. At vide Excurs. ad II, 22, 74. de pron. personalis positu cum verbis *dicendi*.

§. 94. *Heracleotes — Dionysius*] Erat Zenonis Zittiei discipulus, qui ob oculorum dolorem a Stoicis ad Epicurum descivit. Cfr. Cic. Acad. II, 22, 71. Athenaeus Deipn. VII, 16. Diog. Laert. VII, §. 37. 166. Cic. Tusc. II, 24. *renum* dolore id factum dicit. Non igitur sibi constitit, aut memoria lapsus est. V. Bayle Dictionar. philos. p. 1448.

vero hoc didicisset a Zenone, non dolere, quum doleret? Illud audierat, nec tamen didicerat, malum illud non esse, quia turpe non esset, et esset ferendum viro. Hic si Peripateticus fuisset, permansisset, credo, in sententia, quoniam dolorem dicunt malum esse. De asperitate autem eius fortiter ferenda praecipiunt eadem, quae Stoici: et quidem Arcesilas tuus, etsi fuit in disserendo pertinacior, tamen noster fuit. Erat enim Polemonis. Is quum arderet podagrae doloribus, visitassetque hominem Corniades, Epicuri perfamiliaris, et tristis exiret: mane, quaeso, inquit, Corniade noster: nihil illinc huc pervenit. Ostendit pedes et pectus. Ac tamen hic mallet non dolere.

XXXII. Haec igitur est nostra ratio, quae tibi videtur
95 inconstans: quum propter virtutis caelestem quamdam et divinam, tantamque praestantiam, ut, ubi virtus sit resque magnae et summe laudabiles virtute gestae, ibi esse miseria et aerumna non possit, tamen labor possit, possit molestia: non dubitem dicere, omnes sapientes semper beatos esse, sed tamen fieri posse, ut sit alius alio beatior.

Atqui iste locus est, Piso, tibi etiam atque etiam confirmandus, inquam. Quem si tenueris, non modo meum Ciceronem, sed etiam me ipsum
96 abducas licebit. Tum Quintus, Mihi quidem, inquit, satis hoc confirmatum videtur. Laetor qui-

quia turpe non esset, et esset ferendum viro.] Sensus est: Duplici ratione Zenonem docuisse, dolorem malum non esse; primo, quia malum nihil sit, quod non item sit turpe; dolor autem turpe non sit. Deinde, quod malum sit fugiendum; dolor autem fortiter ferendus sit viro. Complicatius haec auctor, mediis, quos schola vocat, terminis omissis. Quod quum non intelligeret Ern., suasit *esse* pro *esset*.

Corniades] Sic de optima Davisii suspicione Schuetz. et Orell. Assentitur Goer. Nam quod vulgo legitur *Carneades* id nihil est. Inter Carneadis autem et Epicuri mortem antecedunt anni 142, ut computavit Goer. Epicurus denatus est Olymp. CXXVII, 2. et Carneades Olymp. CLXII. Inde de horum familiaritate ne cogitari quidem potest. De Corniade vide Plutarch. T. II. p. 1089. C. Morall.

dem, philosophiam, cuius antea supellectilem pluris aestimabam, quam possessiones reliquorum; ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere possem, quidquid in studiis nostris concupissem: hanc igitur laetor etiam acutiorem repertam, quam ceteras; quod quidam ei deesse dicebant. Non quam nostram quidem, inquit Pomponius iocans. Sed mehercule pergrata mihi oratio tua. Quae enim dici Latine posse non arbitrabar, ea dicta sunt a te, nec minus plane, quam dicuntur a Graecis, verbis aptis. Sed tempus est, si videtur: et recta quidem ad me. Quod quum ille dixisset, et satis disputatum videretur, in oppidum ad Pomponium perreximus omnes.

Cap. XXXII.

§. 96. *Non quam nostram quidem*] h. e. *non acutiorem, quam nostram quidem.*

nec minus plane, quam dicuntur a Graecis, verbis aptis.] Haeserunt in his critici, quum putarent *plane* et *verbis aptis* idem significare. Sed recte docuit Orell. *plane* referri ad *rem*; *aptis verbis* ad verba, ut sensus sit: *et, quod ad res ipsas pertinet, clare et plane, ut a Graecis dicuntur, dicta sunt haec, et verbis etiam aptis.*

tempus est] scil. *abeundi.*

et recta quidem ad me.] scil. *via eundum est.*

EXCURSUS I.

DE PARTICULA *AN* PRO *ANNON* POSITA AD FIN. I, 2, 5.

Quum multi apud Ciceronem loci inveniantur, in quibus *an* pro *annon* positum esse videatur, quaesitum est a criticis, quid his in locis esset faciendum, ubi codicum lectio vacillaret inter *an* et *annon*. Mirum est autem, quod non attenderunt ad propriam simplicis particulae *an* naturam, quam primus indagare conatus est Vir Ill. Godofred. Hermannus in censura Gernhard. edit. Cic. Cat. Mal., quae reperitur in Diariis litterar. Lipsiens. 1819. nr. 122. seq. Hic putat particulam *an* ortam esse ex *autne*. Beierus, qui ad Cicer. Lael. excursum confecit de formulis dubitanter decernendi, compositum eam esse dicit ex *au* (i. e. *vicissim; rursus; contra*) et ex interrogativa *ne*. Difficile sane est ad dicendum, uter verum sit assecutus. Mihi quidem probabilior est sententia Hermanni. Nam vix adducor, ut credam, hanc vocalem e duarum linguarum vocibus esse compositam. At sive hanc, sive illam etymologiam probamus, id tamen intelligitur, *an* nonnisi in duplici interrogatione poni posse, et ita quidem, ut alterum eius membrum ordiatur, v. c. *Legisne hoc, an illud.* At quum saepe primum interrogationis membrum non interrogative efferatur, sed lateat in alio sententiarum vinculo, videtur *an* pro *annon* poni, ut Fin. I, 2, 4. *His igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer: cur in gravissimis rebus (non delectet eos patrius sermo, quum iidem fabellas Latinas ad verbum de Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiiciat, qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas literas oderit? Synephoe ego, inquit, potius Caecilii aut Andriam Terentii, quam*

utramque Menandri legam? A quibus tam dissentio, ut, quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem: de quo Licinius, ferreum scriptorem: verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit; rudem enim esse omnino in nostris poetis aut inertissimae segnitiae est aut fastidii delicatissimi: mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. An

Utinam ne in nemore — — —

nihilominus legimus, quam hoc idem Graecum: quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? Goerenz. putat, respondere sibi *an* et *non* pro *annon — nonne* positas. Inductus est autem in errorem eo, quod verba *an*

Utinam ne in nemore (h. e. *Ennii Medeam*, parte pro toto posita)

nihilominus legimus, quam hoc idem Graecum cum iis, quae proxime praecedunt, coniunxit. Satis autem apparet ex verbis *mihi quidem — ignota sunt*, finitam esse disputationem de contemptu Latinarum literarum, quae quasi in parenthesi posita putanda est. Redit igitur ad id, quod instituerat disputare, perversum esse, plurimos in rebus minutis, quales sint fabulae, quae delectationis causa legantur, delectari patrio sermone; in rebus autem gravissimis, qualis sit philosophia, quae, quomodo vita sit bene beateque vivenda, doceat, Latinas literas odisse. Parenthesin illam, quae est a verbis *Quis enim* usque ad verba *quibus nostra ignota sunt*, si omisisset Cicero, oratio ita conformata esset: *His igitur est difficilius satis facere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, quum iidem fabellas Latinas ad verbum de Graecis expressas non inviti legant, an*

Utinam ne in nemore

nihilominus legimus, quam hoc idem Graecum, quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? Profer eadem interrogative, habebis hanc sententiam: Estne ita, ut dixi, ut Latinas fabulas ad verbum de Graecis expressas libenter legant, an contemnunt eas? Quum autem satis certum esset, plurimos Latinis fabulis e Graecis conversis maximo opere delectari, vix opus erat, ut ex iis haec quaereret. Solet autem fieri, ut, si cum aliquo disputamus eiusque sententias ineptas esse ostendere volumus, ea etiam, quae sunt certissima, quaeramus. Hinc oritur ironia, qua nos longe aliter aliquid proferimus atque sentimus, ut, adversarium inepta locutum esse, tecte ostendamus. Unde particula *an*, si omissum est alterum membrum, semper vim habeat ironicam,

et respondet nostro *oder etwa*. Veluti h. l. sensus est: legimus profecto Latinas fabulas de Graecis expressas. Verte locum ita: *oder lesen wir etwa die, Worte*

O dass doch nicht im Hayne

nicht ebenso, als dasselbe Griechisch; was aber über das gute und glückliche Leben vom Plato gesagt worden ist, das sollen wir nicht Lateinisch erklären? Videmus igitur *an* sua vi propria non pro *annon* esse positum. Verba *quae autem — Latine* alteram efficiunt apodosin partem. Sequitur alter locus de Fin. I, 8, 27. *Fieri, inquam, o Triari, nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias. Quid enim me prohibeat Epicureum esse, si probarem, quae ille diceret, quum praesertim illa perdiscere ludus esset. Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae: maledicta, contumeliae, tum iracundiae, contentiones concertationesque pertinaces, indignae philosophia mihi videri solent.* §. 28. *Tum Torquatus, Prorsus, inquit, assentior; neque enim disputari sine reprehensione, nec sine iracundia aut pertinacia recte disputari, potest. Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim. An me, inquam, nisi te audire vellem, censes haec dicturum fuisse?* Goerenzius scripsit cum nonnullis codd. *at*. At non vidit V. D. orationem esse ex dialogica forma interruptam. *An* refertur ad init. §. 27. *Fieri, inquam, o Triari, nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias.* Quae verba, si omissis iis, quae sunt interposita, interrogative cum verbis *An me* etc. coniungis, ita se habent: Fierine ullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias, an me, nisi te audire vellem, censes haec dicturum fuisse? Haec autem per attractionem quandam annexa sunt parentheseos orta ex Triarii interlocutione: *Sed ad haec, nisi molestum est, habeo, quae velim.* Addo de Divin. II, 13, 30. *Democritus tamen non inscite nugatur, ut physicus: quo genere nihil arrogantius — — — Verum is tamen habitu exterorum et colore declarari censet haec dumtaxat, pabuli genus, et earum rerum, quas terra proferet, vel ubertatem vel tenuitatem; salubritatem etiam aut pestilentiam certis significari putat.* — §. 31. *An hoc eiusdem modi est, quale Pherecydeum illud, quod est a te dictum? qui, quum aquam ex puteo vidisset haustam, terrae motum dixit futurum.* Giese cum Hottingero, Ochsner, Ecl. Cic. p. 102. et Madwig. Epistol. crit. ad Orell. p. 76. *an* pro *annon* positum censet, sine ulla dubitandi notione. At *an* significat ironice, Democriti nugas, non esse comparandas cum Pherecydi sententia, qui quum aquam ex puteo vidisset haustam, terrae motum dixerit futurum. Verum quippe est, ex aquarum lapsu praedici posse terrae motum. Verte: *oder ist*

dies etwa von der Art, wie das des Pherecydes? Reliqui, qui citantur loci, lectionis exhibent varietatem, quae ex iis est diiudicanda, quae supra diximus de partic. *an*. Off. I, 15, 48. *Quodsi ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt.* Legendum est cum Beiero *annon*, quod *an* pro *annon* nusquam ponitur apud Ciceronem. Vide de hoc loco egregie disputantem eund. Beier. Off. T. I. p. 116. seq. Ita nunc reponendum censeo in Cat. Mai. 7, 23. *Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem — coegit in suis studiis obmutescere senectus? Annon in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit.* Ipse quum ederem Catonem, non satis ad hanc rem attendi. Nulla est enim ironia in hoc loco. Sensus enim est: *in omnibus his studiorum agitatio durabat usque ad vitae exitum.* Facile autem *non* obliterari potuit post *an*, hoc compendio scriptum *n̄* (*an n̄*). Cfr. notam ad Fin. II, 27, 88. Sic omnia exempla, si qua restant, aut interpretanda rectius sunt, aut, si corrupta sunt, ex illa norma emendanda.

EXCURSUS II.

DE DATIVO CUM VERBIS PASSIVIS.

AD FIN. I, 4, 11.

Multi sunt VV. DD. qui negent, dativum coniungi cum passivo apud Cicer. pro ablat. cum praepos. *a*. Sunt tamen plures loci, quos difficile sit emendare, nisi violenter rem agas. Duplex esse exemplorum genus recte vidit Zumpt. §. 419. not. Aut enim obtinet haec structura in temporibus simplicibus, aut in compositis. Rarissima sunt exempla in temporibus simplicibus. Offic. III, 9, 38. *Honesta enim bonis viris, non occulta quaeruntur.* N. D. II, 48, 123. *Sic dissimillimis bestiis communiter cibus quaeritur.* de Senect. 11, 38. *Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus,* aliter explicandum esse, ostendi in edit. mea, ubi eadem ratione 16, 55. *Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt.* aliter explicavi ad Attic. I, 16. sed. *in ea praesertim epistola, quam nolo aliis legi.* 19. *Huic*

teti rationi agrariae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam potentiam quaeri. Acad. II, 15, 48. *ea, quae vel dormientibus vel furiosis videntur.* in Verr. III, 16, 43. *tibi consulatus quaerebatur, Metello paternus honor et avitus negligebatur.* Catil. III, 12, 28. *Mihi quidem ipsi quid est, quod iam ad vitae fructum possit acquiri?* Differt autem haec structura a vulgari ita, ut Dativus semper levem umbram ducat dativi illius, qui commodi significationem continet. Nam formulam *res aliqua mihi quaeritur*, optime explicavit August. Grotefend. Gr. Lat. §. 18. ita: *die Sache lässt sich für mich suchen* i. e. *die Sache ist so annehmlich, dass ich sie suche* i. e. *ich suche die Sache. Videtur mihi res* significat *res visui mihi se offert.* — *Nolo librum aliis legi* est *nolo librum ab aliis ad commodum suum legi.* Non autem opus est, ut a Graecis hanc structuram petitam putes, qua ut nobis sic licuit uti Romanis. Fuit autem ante seculum hic mos, ut, quae explicare non possent, si Graecis erant similia, a Graecis repeterent, quasi illi nulla usi essent in oratione sua formanda ratione. Plurima sunt autem, quae in omnibus linguis similia reperiantur, non ab alia ad aliam translata. Sequuntur alterius generis exempla, quorum primum sit, quod occasionem dedit disputationis. Fin. I, 4, 11. vid. not. Brut. 58, 211. *Auditus est nobis Laeliae saepe sermo.* Phil. VI, 1, 1. *Audita vobis esse arbitror, quae sunt acta in senatu.* pro Flacc. 13, 31. *cuius est fere nobis omnibus nomen auditum.* pro Deiot. 6, 16. *cui Deiotari gravitas, virtus, fides non audita est.* ad Attic. XIII, 24. *Ego enim audita tibi putarem.* pro leg. Manil. 24, 71. *quicquid in hac causa mihi susceptum est — id omne me reipublicae causa suscepisse confirmo.* Phil. V, 12, 32. *Sentiet sibi bellum cum republica esse susceptum.* ad Attic. XV, 2. *id quidem sic susceptum mihi est, ut nihil sim habiturus antiquius.* Tuscul. II, 4, 10. *Est igitur ambulantibus ad hunc modum sermo ille nobis institutus.* de Rep. I, 8, 12. *his libris erit instituta et suscepta mihi de republica disputatio.* Parad. V, 1, 34. *cui vivendi via considerata atque provisa est.* in Verr. IV, 42, 91. *ita res mihi tota provisa atque praecauta est.* II. Catil. 12, 26. *mihi consultum ac provisum est.* de leg. Agrar. I, 8, 25. *praesertim quum mihi deliberatum et constitutum sit, ita gerere consulatum.* Verr. I, 16, 42. *Mihi properandum necessario est, ut omnia vobis, quae mihi constituta sunt, possim exponere.* Divin. in Caecil. 12, 40. *ut esse possent, magno studio mihi a pueritia est elaboratum.* Tusc. III, 14, 30. *quae vox declarat, iis esse haec acerba, quibus non fuerint cogitata.* IV, 15, 33. *quae si quando adepta est id, quod ei fuerit concupitum etc.* Rep. II, 29, 51. *Quare prima sit haec forma et species et origo tyranni, inventa nobis in ea republica, quam cupiunt*

Romulus condiderit. III, 29, 41. *nobis evigilatum est.* de Orat. II, 34, 146. *quae quidem omnibus pertractata esse possunt.* de leg. Agrar. II, 14, 35. *partim libera a vobis, partim etiam ignorata vobis sunt.* Phil. V, 12, 32. *quibus bona fortunaeque nostrae notatae sunt.* Divin. I, 56, 127. *quibus cursus rerum observando notatus est.* 52, 118. *Ea quibus bene percepta sunt, ii non saepe falluntur.* Ep. ad Fam. I, 9, 60. *nunquam praestantibus in republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio.* V, 19, 3. *Mihi consilium captum iam diu est.* ad Attic. XVI, 13. *ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi coepta est.* XIV, 21. *Sed mihi quidem βεβίωται.*

EXCURSUS III.

DE ANACOLUTHIS CICERONIS.

AD FIN. I, 6, 19.

Quum multa sit cautio adhibenda in emendandis scriptis Ciceronis, tum nulla maior est cura, quam ut ne, si paullo liberius conformata est oratio, vitiosam eam putemus, indeque corrigendam. Appellatur haec constructio liberior Anacoluthon, de cuius exemplis Ciceronianis egerunt Matthiae in Wolf. Analect. litt. T. II. p. 1 — 25. et Gernhard in excurs. I. ad Cic. Offic. Est autem Anacoluthon talis orationis conformatio, in qua periodus secundum grammaticae praecepta recte inchoata aliter finit atque exspectatur ex regulis grammaticis. Orta sunt autem anacolutha ex parenthesi, quae quum multa interposita enunciato primario contineat, difficiliorem orationis cursum reddit. Quadruplex est autem anacoluthorum genus. Primum rhetoricum, hoc est, interprete Hermanno ad Viger. p. 895. tale, quod non cuiuspiam linguae proprium, sed in omnibus linguis vel a motu animi, vel ab arte oratoris, vim aliquam captante, repeti debet. Hoc maxime regnat in orationibus. Alterum genus rhetorico proximum est, quo oratio minus astricta esse solet grammaticae artis legibus. Est autem ea, quae dicitur grata negligentia, quae magnam saepe vim habet ad augendum sermonis vigorem efficaciamque, et multum confert ad adiuvandam orationis perspicuitatem, maxime in longioribus periodis, in quibus difficile est totam sententiarum complexionem tenere, et uno quasi ocu-

lorum obtuta contueri. Consulto haec admittuntur anacoluthia, ne post longiorem maxime parenthesin constructio nimis ad amussim facta videatur. Hoc genus frequens est in operibus Ciceronis philosophicis. Tertium genus est hoc, quod maxime habitat in Epistolis, ubi laxior est oratio propter orationis genus familiare. Quarto in genere sunt ea exempla, ubi orationis legitimae structura vere neglecta est, quod scriptor propter alia, quae enunciato primario adduntur, oblitus est initii periodi.

Quod ad constructionem anacoluthorum attinet, tria sunt genera. Unum eorum, in quibus orationis filum plane intercipitur; alterum eorum, ubi constructio ad sensum (*κατὰ τὸ νοούμενον, σημαινόμενον, κατὰ τὴν σύνεσιν*) fit. Tertium ubi per particulam aliquam orationis ordo recipitur.

Venio iam ad locum difficilem, qui est de Attractione. Nam quamquam Hermannus ad Viger. p. 894. dicit, attractioni oppositum esse anacoluthon, quum attractionis sit, referendo quid simul ad duas partes, unum efficere: anacoluthon versetur in uno eas in partes distrahendo, quarum neutra, si leges grammaticas spectes, cum altera cohaereat, negari tamen non potest, esse locos, in quibus dubium possit esse, utrum ad anacoluthon referas, an ad attractionem, ut ap. Cic. de Off. I, 7, 22. *Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici, atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent.* Hic utrumque factum videmus. Attracta est enim altera pars enunciati primarii *atque — esse generatos* ab enunciato, ut ita dicam, parenthetico, *ut placet Stoicis.* Legitima enim orationis structura est: *atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creantur, homines autem hominum causa sunt generati.* Anacoluthon autem est, quod legitimus orationis cursus est interceptus. Unde non minus recte Ramshorn. p. 704. c., ad anacoluthon hoc exemplum refert, quam Hermannus aliique ad attractionem. Nam quum oblitus esset scriptor, quomodo orationem conformare coepisset, parenthesi adiunxit, quae pertinent ad enunciatum primarium, cuius structuram sequi debebant. His ita constitutis exempla anacoluthorum Ciceroniana adiiciamus, et primum quidem ea, quae sunt particularum, in quibus plurimum est erratum a VV. DD. Pertinent autem ad hoc genus maxime ea exempla, ubi partitio fit per particulam *et*, cui legitime respondet alterum *et*, quod saepissime abest. Haec causa est contentionis inter VV. DD., num *et* apud Ciceronem pro *etiam* ponatur. Nam si non satis diligenter totum orationis tenorem considerant, facile fieri potest, ut, ubi particulae *et* non respondet alterum *et*, prius

et pro *etiam* positum videatur. *Et* autem ubi pro *etiam* ponitur, Graeco fit more, qui καὶ pro *etiam* semper fere ponunt. Iam quum Cicero Graecis locutionibus rarissime utatur, non ubique *et* pro *etiam* usurpasse putandus est. Sed sunt quaedam formulae, quae a Graecis frequentatae propter brevitatem suam ita placuerunt Romanis, ut ne Cicero quidem ab earum usu abstinuerit. Hoc enim est vim afferre, ea corrigere velle, quae ab omnibus codd., sine ulla lectionis varietate, ut vera commendantur. Quatuor autem observasse mihi videor formulas, in quibus *et* pro *etiam* positum reperitur, et ita, ut eorum certe codicum, quos nos noverimus, nulla sit discrepantia. Primum nobis occurrit formula *et ipse*, καὶ αὐτός, quam non satis caute Ciceronis esse negavit Zumpt. §. 698. At loquitur ita Cic. pro Cluent. 51, 141. *deinde, ut intelligere posset Brutus, quem hominem, et non solum qua eloquentia, verum etiam quo lepore et quibus facetiis praeditum lacessisset: tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accusatoris de iure civili reliquit.* Nihil sequitur, quod huic *et* respondeat, sed referuntur haec verba ad ea, quae praecedunt §. 140. *Ego vero in isto genere libentius quum multorum, tum hominis eloquentissimi et sapientissimi, L. Crassi, auctoritatem sequor, qui quum L. Plancium defenderet, accusante M. Bruto, homine in dicendo vehementi et callido, quum Brutus, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna, inter se contraria, recitanda curasset* etc. Sensus igitur est, et Brutum curasse recitanda ex duabus orationibus capita alterna, et Crassum excitasse recitatores cum singulis libellis. pro Caec. 20, 58. *Etiam, si tuus servus nullus fuerit, sed omnes alieni ac mercenarii: tamen et ipsi tuae familiae genere et nomine continebuntur.* Nihil respondet particulae *et*. Facile autem intelligitur *et* referri ad suppressam sententiam; *ut veri tui servi*, (wie deine wirklichen Sklaven) *si quos haberes.* Kritz. ad Sall. Catil. 35, 3. p. 163. concedit hoc familiari sermoni, levioremque quandam vim in hac particula, quam in *etiam* inesse dicit. Repetit hanc particulae potestatem ab elliptica dicendi ratione, altero membro omisso, ut Liv. I, 12, 3. *Romulus et ipse turba fugientium actus, Jupiter, inquit* etc., quae sic videantur solvenda: *Romulus, quum et alii et ipse ageretur.* Sed vereor, ut recta haec sit explicatio. Nam ut Graecos non est verisimile, quum καὶ pro *etiam* ponerent, talem originem fecisse, sic Romanos, qui Graecos hac in re sunt imitati, vix putandum est, aliud cogitasse nisi hoc, *et* pro *etiam* poni posse. — Altera formula, qua *et* pro *etiam* ponitur, est *simul et*, ἅμα καὶ pro Caecin. 2, 6. *ego mihi sic persuadeo — vos — moram ad condemnandum acqui-*

eius, simul et illi spatium ad sese colligendum dedisse. pro Cluent. 4, 16. *Abs te peto, Oppianice, ut me invitum de patris tui causa dicere existimes, addustum fide atque effigie defensionis — Simul et illud, quis est qui dubitare debeat, contra damnatum et mortuum, pro incolumi et vivo dicere.* 17, 48. *Quis unquam audacior? quis nocentior? quis apertior in iudicium inductus est etc. Simul et illud, quis est qui dubitet, quin hac re comperta manifestoque deprehensa aut eboeunda mors Cluentio, aut suscipienda accusatio fuerit.* 57, 155. *quoniam omnia commoda nostra, iura, libertatem, salutem denique legibus obtinemus, a legibus non recedamus: simul et illud quam sit indignum, cogitemus, populum Romanum aliud nunc agere* etc. in Verr. I, 41, 106. *Tutores, pecuniam praetori si pupillae nomine dedissent, grandem praesertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant: simul et istum fere tam improbum non arbitrabantur.* IV, 61, 136. *ad quos ego quum venissem, sic prime existimabam — civitatem Syracusanam propter Heraclii hereditatem, non minus esse isti amicam, quam Mamertinam propter praedarum et furtorum omnium societatem, simul et verebar, ne mulierum nobilium et formosarum gratia — virorumque nimia in istum non modo lenitudine, sed etiam liberalitate oppugnarer.* V, 1, 3. *tunicam — eius a pectore abscidit, ut cicatrices populus Romanus iudicesque adspicerent, adverso corpore exceptas. Simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit.* ad Q. Fr. I, 1. cap. 15, 43. *Simul et illud cogita.* — Tertia locutio est *sic et, ὥς καί*, pro Cluent. 49, 138. *Ex quo intelligi potuit id, quod saepe dictum est: ut mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari; sic et populum Romanum sua sponte esse placatum.* — Quarta est *sicuti et* pro Cluent. 42, 117. *sicuti et plerique vestrum sciunt.* De Invent. II, 2, 9. *Sicut et.* Codex optimus *Sicuti* exhibet. Recte. — Restat formula, quae his cognata videatur, *sed et, ἀλλὰ καί.* Duo sunt apud Ciceronem, quod sciam, huius locutionis exempla. Verr. Prooem. 1, 1. *Invaluerat — iam opinio perniciosa reipublicae nobisque periculosa, quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebuit.* de provinc. consul. 8, 19. *At hi non modo illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant, sed et propter rationem Gallici belli provinciam extra ordinem decernebant.* Nulla in Orellii editione enotatur lectionis varietas, sed utroque loco animadverte praecedere *non modo*, unde facile intelligitur a scribis esse *et*, qui *non modo — sed* pro *non modo — sed etiam* non ferrent. At in gradatione, quae utroque loco obtinet, solenne est *non modo — sed* pro *non modo —*

sed etiam. Scribae autem non scripserunt *etiam*, quia *et* pro *etiam*, ut nunc, sic veteribus scribis frequenter erat in ore. Tertio loco Brut. 17, 67. recte vidit Heusinger. ineptum esse *sed et.* Solent nimirum scribae lubentissime membra orationis connectere per *sed et; et* autem posuerunt, quod de Graecis antea locutus erat scriptor. Ad haec quatuor referenda est illa sententia, *et* poni pro *etiam.* At si in media oratione reperiuntur exempla, ubi *et* pro *etiam* positum videatur, aut aliter explicandi sunt, aut corrigendi. Omnia autem exempla ubi *et* in media oratione ponitur, sunt eiusmodi, ut partitionem contineant. In emendando hoc est notandum, aut plane esse delendam, aut corruptam particulam ex alia vocula. Frequenter posita reperitur post ultimam syllabam tertiae personae singularis verbi, quae terminatur in *at*, *et*, *it*, et post infinitivum in *re* vel *se* finientem. Frequenter etiam permutatur cum *ut*, *ei*, *est*, *id*, *aut.* Fortasse etiam in quatuor istis formulis, de quibus supra dixi, *etiam* est ponendum, quum nihil sit facilius, quam ut *et* cum *etiam* per compendium ēt vel ē confundatur. Multa exempla, in quibus particula *et* pro *etiam* posita inveniebatur, sustulit Orellius in sua Cic. Opp. editione, sed quum plura intacta reliquerit, inconstantiae eum arguit O. M. Mueller. in programm. de vi et usu verbor. quorundam Latinorum. Coeslin. apud C. G. Hendess. 1828. p. 9. At ipse V. D. saepe erravit, dum magnam partem exemplorum consulto intactam reliquit Orellius, quippe in quibus *et* per anacoluthon defendatur. Pessime tamen peccavit Mueller. citato loco de orat. partit. 32, 144. *Haec enim et talia sunt, quae aut in ipsa re, aut etiam antequam factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant.* Quidam codd. omittunt *et*, probante Ern. et Schuetz., eodem scilicet errore, quo Mueller. putat *et* significare *etiam.* Vertenda sunt verba ita: *dies und ähnliches ist es, was* etc. pro Domo 50, 129. *Haec quum tot tantaque agerentur: non mirum est, praesertim in furore animi et caecitate, multa illum et te fefellisse.* Hoc loco si *et* pro *etiam* accipitur, *multa* significat *multis in rebus.* At ut oratio non sit Ciceronis, tamen illo tempore, quo scripta est, nondum hic usus fuit accusativi. Hoc ipsum docere poterat Muellerum, locum vertendum esse ita: *es ist nicht wunderbar, dass vieles ihn und dich getäuscht habe.*

Et in media oratione pro *etiam* poni posse negarunt Laurent. Valla Elegant. II, 96. Drakenborch. ad Liv. XXVII, 47, 19. Burmann. ad Suet. Caes. 31. J. Fr. Heusing. ad Cic. Off. I, 20, 7. et 40, 3. Schuetz. ad Cic. de Orat. II, 12. Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 7, 23. II, 12, 28. Acad. I, 7, 26. II, 4, 11. 42, 129. Fin. I, 12, 40. Heindorf ad Cic. N. D. I, 39, 109. II, 62, 155. III, 22, 56. Matthiae

in Dissertat. de Anacoluth. in F. A. Wolf. Anal. litt. Vol. II. p. 4. seqq. (coll. ad or. pro Rosc. Amer. 33, 92. III. in Catil. 10, 24. pro leg. Manil. 7, 17. et in Gramm. Graec. T. II. p. 1059. ed. II. Mueller ad Cic. de Or. I, 46, 202. et ad or. pro Sext. 59, 126. Ellendt ad Cic. Brut. 2, 6. Jacob. Epistol. ad Christ. Theoph. Bruch. de tribus locis Cic. de Offic. ad I, 40, 142. Colon. ad Rhen. ex offic. Jo. Petri Bachemi 1828. p. 22. Giese ad Cic. de Divin. I, 20, 40. 29, 61. Georg. Nicol. Busch. Observatt. ad Eurip. Phoen. spec. Rostoch. lit. Adler. 1826. Lindemann. de Adverb. Lat. Spec. III. p. 9. Zittav. 1826. Reinhold. Klotz. Quaest. Tull. Lib. I. p. 8. seqq. Lips. ap. Schwickert. 1830. Ramshorn. p. 519. — *Et* pro *etiam* positum in media oratione tuentur F. A. Wolf. ad Tusc. III, 19. Anal. litt. Vol. II. ad Cic. N. D. I, 5. (p. 810. Creuzer.) Hottinger. ad Cic. de Divin. I, 55. Creuzer. ad Cic. de N. D. I, 69. p. 179. cll. ad Legg. III, 2. p. 375. Nobbe Lectt. Cic. Spec. II. p. 6. Kritz. ad Sall. Catil. 35. p. 163. Beier. ad Cic. Off. I, 40, 142. p. 286. III, 5, 27. p. 227. Kuehner. ad Tuscul. I, 17, 40. p. 77. Wopkens Lectt. Tull. p. 102. — *Et* saepissime pro *etiam* dici pro certo posuit Facciolati Lex. T. II. p. 199. Moser. ad Cic. de Rep. I, 3. p. 16. ed. Creuzer. — Sed omnia ista exempla, quae afferuntur, ut probent *et* pro *etiam* dici, aut emendanda sunt e codd., aut ex anacoluthо explicanda. Qua in re quum vehementer erraverit Mueller l. c., qui saepissime accusat iniuste Orellium, primum progrediar ad hunc defendendum. Omitto autem ea scripta, quae non genuina putantur, ut Rhetorem ad Herennium, oratt. pro Domo, de harusp. resp., pro Marcello, post redit. in senat., ad Quirites post redit. Omitto etiam illos locos, in quibus formulae *et ipse*, *simul et*, *sic et*, *sicuti et*, *sed et* reperiuntur. Citat Mueller. de Orat. II, 23, 98. *quod et in vobis animadverti potest.* Respondet *neque vero vester aequalis Curio.* 78, 319. *Sic et facile reperientur*, respondet *ita et momenti aliquid afferent.* or. pro Rosc. Amer. 17, 48. *qui et ipsi incensi sunt studio* comp. *vitamque hanc rusticam et honestissimam et suavissimam esse arbitrantur* (*et — que* sibi respondent. Vid. Kuehner. ad Tusc. I, 2, 4. p. 49. Busch. l. c. Goerenz. ad Fin. V, 6, 15. p. 548. a.) 33, 92. *Ubi occisus est Sex. Roscius? — Romae — Quid tu, Rosci, ubi tunc eras? — Romae. — Verum quid ad rem? et alii multi.* Anacoluthon ortum est ex forma dialogica, qua laxius est orationis vinculum. Nam nisi hac forma dialogica haec essent composita, ita scripsisset haud dubie Cicero: *et tu et alii multi eratis Romae.* §. 94. *Fateor, me sectorem esse; verum et alii multi. Verum* auget orationis vim, quare non potuit abesse. Sed verba, nisi totus

ocus scenae haberet faciem, ita sese haberent: *et ego sectator ui et alii multi.* pro Rosc. Com. 14, 43. extr. *Utrum dicis? uscio et Manilio? an et Cluvio non esse credendum? an* prae- osnit, ut ironiam significaret (*oder etwa*), quae si abesset, erba haec haberemus: *et Luscio et Manilio et Cluvio non esse redendum.* [pro Caecin. 2, 6. *simul et.* 20, 58. *et ipse.* pro luent. 4, 10. 17, 48. 57, 155. *simul et.* 42, 117. *sicuti et* 9, 138. *sicut et.* 51, 141. *et ipse. sed et* Verr. prooem. 1, 1. e his locis vide, quae supra dixi.] pro Balb. 25, 57. *Et adoptio heophani agitata est. Et* h. l. non simplicem habet copulandi im, sed graviter asseverandi, quasi dixisset *Et vero*, ut Brut. 4, 165. *Et vero fuit in hoc* etc. Gu. A. et B. exhibent *etiam*, uod nescio cur reiecerit Orell., nisi forte putaverit, esse ana- oluthon, et Ciceronem aliquid etiam adiungere voluisse, cuius ostea oblitus sit. Fin. III, 8, 27. *Illud autem perabsurdum, onum esse aliquid, quod non expetendum sit: aut expetendum, uod non placens: aut, si id, non etiam diligendum: ergo et robandum, ita etiam laudabile.* Est anacoluthon, quasi dixis- et *et laudabile*, sed praetulit comparationis formam, nisi pro legendum est *ut.* de Legg. I, 12, 33. *ergo et lex, quae est ecta ratio in iubendo et vetando: si lex, ius quoque.* Pergere olebat *et ius.* Sed conditionalem fecit sententiam, ut conclu- ionis formam magis efferret. Tusc. III, 13, 28. *Ex hoc et lla iure laudantur.* Est anacoluthon ortum ex iis, quae in- erposuit ad diligentiorem explicationem. Quae si omitterentur, ixisset *et illa. Nam qui haec* etc. IV, 34, 73. *Probe et ille.* idetur legendum esse *Probe et illa*, quasi pergere voluisset *et lla Te, Apollo sancte* etc. Nam *ille* nihil habet, cui respon- eat. Omnes versus de uno agunt, et similis est oratio, ut co superiori. in Verr. I, 4, 11. *Erunt, qui et in eo quoque udaciam eius reprehendant — Erunt etiam fortasse, qui* etc. luic *et* respondet *etiam.* Nam quod quis dixerit, *et* collocan- um fuisse ante *Erunt*; hoc fieri nequit, quoniam in verbo sub- antivo vis inest; post id collocari non potest, quia nusquam icero ab initio periodi collocat *Est et* pro *et est.* Relinquitur, t eo loco ponatur, quo positum videmus *et.* 28, 71. *Nisi vero lud dicet, quod et in testimonio Tettii, priore actione inter- ellavit Hortensius* etc. Respondent cap. 30, 75. verba: *Quid go nunc in altera actione Cn. Dolabellae spiritus, quid huius crimas et concursationes proferam?* 65, 159. *quum et regis imici praeter ceteros essent.* Respondent verba *Forsitan vix nvenire videtur, quem ipsum hominem cuperent evertere*, quasi ixisset: *quum et regis inimici praeter ceteros essent, et ipsum minem cuperent evertere.* V, 19, 48. *quod et ostendam.* In c vere Orellium vituperavit Mueller. Nam nihil est, quod huic

et respondeat. Aut scribendum est *etiam*, aut *et*. Vitiarunt hanc locum, quod mox sequitur *isti*. pro Quint. 30, 94. *spes est, et hunc miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere.* Male retinuit Orell. *et*, quod additum est a scribis, qui non viderunt verba *Si licet vivere tum, quem Sext. Naevius* tibi *vult* ad eundem referri Quinctium. de Legg. II, 16, 40. *Sacrilego poena est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. Quod et nunc multis fit in finis.* Respondent ex anacoluthо verba Alexander in Cilicia deposuisse apud Soles in delubro pecuniam dicitur; et Atheniensis Clisthenes Junoni Samiae, civis egregius, quum rebus timeret suis, filiarum dotis credidit. Haec quum vetera sint exempla, idem est ac si dixisset: *Quod et nunc multis fit in finis et olim factum est.* Sic in exemplis afferendis similiter ἀνακολουθῶς usus est particula *et*: I. de Rep. 3, 5. *Hinc enim illa et apud Graecos exempla* etc. Respondent verba *Nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos cives exempla deficiunt: quae nata et frequentata apud illos, etiam in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse.* Si tollis interpolata, idem est, ut si dicas: *Hinc enim illa et apud Graecos exempla et apud nos.* Cfr. Fritzsche Dissert. II. de nonnullis poster. Pauli ad Corinth. Ep. locis p. 40. Haec sunt arma, quibus Mueller. pugnat contra Orellium. Nobbe l. c. haec laudat exempla, in quibus *et* pro *etiam* ponatur. Verr. V, 25, 62. *isti, quod et nautae nomine pro stipendio frumentoque accepere, lucrabatur.* Sed hoc ex Ernest. edit. Orell. e melioribus libris scripsit *eius* pro *et*; in aliis codd. est *quod nautae* etc. N. D. I, 30, 83. *Age et his vocabulis deos esse faciamus, quibus a nobis nominantur.* Miror Orellium *et* intactum reliquisse, quum Heindorf. ex codd. Glogav. et Rhediger. *Age* ut scripserit. Orell. notat: „Hic *et* locum tuetur suum alibi controversia, quum nostiquam significet *etiam*.“ At quid aliud significat, aut quid ex anacoluthо respondet. Ego nihil video. Mutavit is, qui leve anacoluthon non animadvertit. Tolle adversativam *At*, habebis locum integrum: Age ut his vocabulis deos esse faciamus, quibus a nobis nominantur, primum etc. Sensus est enim: *Age ut his vocabulis deos esse faciamus, quibus a nobis nominantur, nihil lucrabimur. Nam primum* etc. Or. pro Flacc. 10, 23. *Nego esse ista testimonia, quae tu ipse psophismata appellas: sed et fremitum egentium, et motum quendam temerarium Graeculae concionis.* Sic omnes quidem libri praeter edit. Faerni, Lambin. Graev. Garat. Orell., qui omisit *et* ortum ex scriptura *sed*. At ut retineatur *et*, non tamen pro *etiam* ponitur, sed respondet alterum *et*. de prov. consul. 8, 19. *At hi non modo illum inimicum ei Gallia sententia sua non detrahebant, sed*

et propter rationem Gallici belli provinciam extra ordinem decernebant. Vide p. 378. Verr. prooem. 1, 1. vid. ibid. Ep. ad Div. XIII, 23. *Hunc tibi ita commendo, ut si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo et est apud patronum suum. Et* om. quidam codd. non Medic. Inclusit Orell. Facile *et* oriri potuit ex *est.* Suspicor autem scriptum fuisse *quo ē apud patr.*, quod compendium quum aliquis pro *et* acceperit, scripsit *quo et apud* etc. Alius, qui verbum substant. *est* desideraret, addidit *est* plene scriptum. Unde confusio orta est. ep. 24. *non solum — sed et. Et* iam ante multa secula in vett. editt. expunctum est. Vid. supra p. 378. ad Q. Fratr. I. ep. 2. cap. 3. §. 11. *Nolo mediusfidius ex tua iniuria in illum tibi liberalem me videri, sed et te oro, ut tu ipse auctoritatem et monumentum aliquod decreti aut literarum tuarum relinquas, quod sit ad Flavii rem et ad causam accommodatum. Fert enim graviter homo et mei observantissimus et sui iuris dignitatisque retinens, se apud te neque amicitia, neque iure voluisse; et, ut opinor, Flavii aliquando rem et Pompeius et Caesar tibi commendarunt. Sed et* non est *sed etiam*, sed respondet alterum *et* in verbis *et, ut opinor* etc., quod ei clarum esse debet, qui attendit ad superius *tu ipse.* Sensus est enim: *et te oro, ut tu ipse auctoritatem et monumentum aliquod decreti aut literarum tuarum relinquas, quod sit ad Flavii rem et ad causam accommodatum, et, ut opinor, Flavii aliquando rem et Pompeius et Caesar tibi commendarunt.* Unde male probavit Orell., quod Schuetz. e Faerni et Ern. coniectura eiecerit *et.* ad Attic. XI, 9, 2. *non modo — sed et.* Vid. p. 378. Wolf. ad Tuscul. III, 19, 45. *aliquid videamus et cibi* defendit. Praeclare, ut mihi quidem videtur, Olshausen. coniecit *ei.* Verte: wir wollen auch auf etwas Speise für ihn bedacht sein. Nam *videre* est *providere*, ut ex glossa quidem codd. exhibent. Ad N. D. I, 5, 12. in Analect. litt. II. p. 302. defendit *Ex quo existit et illud.* At cum codd. Schuetz. Nobbe. Orell. omiserunt *et*, quoniam non dicatur *praeter alia hoc quoque existere*, sed simpliciter *hoc ex illo sequi.* Hottinger. ad Divin. I, 55, 126. *Ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamcunque causam plerumque consequatur — easdemque causas verisimiles rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas, aut in quiete videant*, putat *et* pro *etiam* dici, at recte docuit Giese *et — que* sibi respondere in vv. *easdemque* etc. De *et — que* conferri iubet Goer. ad I. Legg. 24. ex. Tusc. I, 2, 4. de Divin. I, 30, 63. et 50, 114. Cfr. supra p. 380. Creuzer. ad N. D. I, 39, 109. *quoniam nascuntur in terra, nascuntur et in aqua, et* pro *etiam* accipit, quod ut vitaret Kritz. ad

Sall. Catil. 85, 8. p. 163. explicavit *et ibi et in aqua*. Hoc autem quid aliud est, quam concedere tacito, *et* pro *etiam* dici? Rectius Heindorf. ex aliquot codd. om. *et*. Inclusit Orell. Solent enim ita librarii membra connectere, quorum altetum ex altero sequitur. Creuzer. ad Cic. de Legg. III, 2, 4. *quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet.* Mihi *etiam* ex interpretatione ortum videtur. Nam compendium ēt explicuit aliquis per *etiam*, quod postea, ut saepe fit, in contextis remansit. Nam *et etiam* non est Ciceronianae elocutionis. Beier. ad Off. T. II. p. 227. citat Tuscul. I, 17, 40. *sicut pleraque, sic et hoc.* At *sic et hoc* abest ab optimo cod. Parisin., et est ab eo, qui comparationem vellet significare. Talia saepe inferciuntur. ad Att. V, 10, 3. *Valde me Athenae delectarunt, urbs dumtaxat, sed multum et philosophia.* Hic nisi delendum est *et* (nam harum epistolarum nondum emendata habemus exemplaria.); *et* mutandum censeo in *etiam*. Kritz. l. c. citat Ep. ad Att. VII, 26. extr. *nunc pueri certe in Formiano videntur hiematuri; num ego, nescio*, quod explicat *num et illi et ego*. At hoc fieri nequit. Nam de pueris certius pronunciat, eos hiematuros in Formiano, de se non item. Lubentius, nisi *etiam* legendum est, concederem id epistolarum familiaritate, in quibus non tam politum regnat scribendi genus, quam in philosophicis.

Kuehner. l. c. affert Tusc. III, 13, 28. *Ex hoc et illa.* Vid. supra p. 381. 19, 46. *aliquid videamus et sibi.* Vid. p. 383. 24, 58. *Atque hoc idem et Telamo ille declarat.* Respondet *et Theseus — et Anaxagoras.* IV, 34, 73. *probe et ille.* Vid. p. 383. Sequantur nunc ii loci, quos VV. DD. p. 379. citati ab aliorum iniuriis defenderunt, praetermissis iis, qui in editt. Cic. hac de re disputarunt, quos cuique facile adire licet. Jacob. l. c. p. 23. citat Off. I, 40, 142. *Ita videtur eadem vis ordinis et collocationis fore. Nam et ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis; locum autem actionis opportunitatem temporis esse dicunt.* At omittit *collocationis* explicationem, quae inest in illis, quae dixit de ordine, unde ortum est anacoluthon. II, 9, 35. *Nam et iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos arbitramur* etc. Respondent verba: *iustis autem et fidis hominibus its fides habetur, ut nulla sit in his fraudis iniuriaeque suspicio.* (Conferri iubet Goer. ad Cic. de Finib. IV, 28, 77.) de Senect. 8, 26. *Quod quum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud — discebant enim fidibus antiqui — sed in literis certe elaboravi.* At scripsi ibi ex optt. codd. *etiam*. Vid. not. ad eum loc. Cic. de Or. II, 11, 47. *Nam et testimonium saepe dicendum est, ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium* etc. Respondent verba §. 49.

Quid? si mandata sunt exponenda. Academ. II, 42, 129. e Goerenzii mente explicat. Recte. de Divin. I, 20, 40. *Narrat enim et apud Ennium Vestalis illa.* Particulae *et* respondet cap. 21. init. *Sit sane etiam illud commenticium.* Cic. de Rep. I, 3, 5. Vid. supra p. 382. Epp. ad Attic. VII, 26. extr. Vid. p. 384. Alias se dicturum promittit Jacob. de Orat. I, 46, 202. *ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non factum per nos, sed divinitus ad nos perlatum videretur.* Hoc quomodo defendere velit Jacob., non video. Nam nihil est, quod huic possit respondere. Recte autem haud dubie coniecit Heusinger. *id*, quam coniecturam a Schuetz. receptam confirmatam video ut veram ab edit. horum librorum Tanneriana, quae prodiit Lips. 1515. Constat autem Tannerum plurima, quae habet peculiaria, e codd. hausisse. Brut. 2, 6. *Hunc autem et praeter ceteros aut cum paucis sustineret dolorem.* Sic edittt. vett. Pro quo Ern. *hunc autem praeter cet.* Sed rectissime Lamb., quem sequitur Orell. *Hunc aut praeter cet. Autem* sic vel similiter saepissime intrusum est. Busch. l. c. laudat Cic. or. pro Rosc. Am. 17, 48. Vid. p. 380. Quae exempla attulit Ramshorn. p. 519., diligentius sunt consideranda. Cic. de Divin. II, 68, 141. *Potest omnino hoc esse falsum, potest et verum.* Unus Oxon. habet *et verum*, prob. Hotting. Ceteri omnes om. *et*. Similis locus est Off. III, 6, 27. ex. *Verum autem primum, verum igitur extremum*, ubi item vulgata exhibet *verum igitur et extr.* Sed *et* om. optimi codd. de Divin. I, 30, 63. *Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem.* Om. *et* Ox. E. Marsus. Iaclusit Orell. Giese ad I, 55, 126. respondere dicit *que*, sed quodnam istud sit *que* non docuit. Respondent potius verba §. 64. *Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert* etc. N. D. III, 11, 27. *Et ego quaero* etc. *Et ego* est *ego contra.* Opponuntur enim verba *At enim quaerit apud Xenophontem Socrates.* pro Deiot. 10, 29. *calamitosus Deiotarus, qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, accusetur?* Sed hic locus ita corruptus est in codd. et edittt., ut nihil certi possit dici. Videamus denique locos, qui etiam nunc aut emendandi aut rectius explicandi sunt. Cic. de Invent. I, 16, 23. *Nam et quum docilem velis facere, simul attentum facias oportet.* Turic. cod. *Nam* om., probante Orell. II, 16, 50. *Nunc exponemus, in coniecturalem constitutionem qui loci communes incidere soleant — — eiusdem esse, qui in illa re peccarit, et hoc quoque admisisse, et non esse eiusdem.* Probavit Orell. Lambinum, qui em. *et*, unde ipse inchoavit. Non recte. Nam hoc vult dicere, in constitutione coniecturali duo semper esse cogitanda, et id, quod fieri possit, et quod fieri

non possit. Ut enim testibus credi oporteat, sic etiam non credi oportere. Plane ut nos loquimur: *man muss es glauben und nicht glauben.* Quod dicitur de re, quae certo sciri non potest. Similiter ergo eiusdem generis esse, ut putemus eum, qui in alia re peccarit, etiam in hac re peccasse. Fieri tamen etiam posse, ut is, qui alias peccarit, alias non peccet. Falsum est enim, certo affirmare, eum, qui semel peccarit, iterum peccaturum. *Et non esse eiusdem* continet hanc sententiam *et non admisisse;* hinc est alterum *et.* Male igitur om. Lamb. alterum *et* in form. *et hoc quoque adm.* de Or. I, 50, 217. *eademque ratione dicantur, et quos φυσικοὺς Graeci nominant, iidem poetae. Et* ex anacoluthо ortum est, quod Cic. dicere voluit *et quos φυσικοὺς Graeci nominant, et philosophi geometrici aut musici.* Vult hoc dicere Cic. *philosophis id maxime concedendum esse, si se velint esse et geometricos et musicos, quoniam sit philosophi omnia scire.* Gravior facta est sententia eo modo, quo Cicero locutus est. Explicuit hunc locum Matthiae de Anacol. Brut. 16, 67. Plane ineptum est *et,* quò scriba sequentia cum praecedentibus coniunxit. Recte delevit Ellendt. Top. 6, 28. *Sunt et alia genera definitionum.* Sic Orell. in contextu. Sed in Analect. ad Vol. IV. P. II. p. 588. e duobus codd. S. Galli deletum vult *et.* Recte. Tuscul. III, 3, 5. *At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis.* Respondent sibi *et — que.* Vid. Kuehner. 25, 63. *Itaque et Aeschines in Demosthenem invehitur.* Respondent verba *Ex hoc evenit* etc. IV, 35, 74. *Sic igitur affecto haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendat quam leve* etc. Orell. scripsit *ei.* At respondent verba *Abducendus est etiam nonnumquam ad alia studia.* N. D. I, 26, 72. *Quod et non praedicenti tamen facile equidem crederem.* Aut cum Heindorf. e Glogav. *etiam* est recipiendum, aut *ei* scribendum. Fragm. or. pro Cornel. I. nr. 9. ed. Orell. Vol. IV. P. II. p. 448. *Possum et eiusdem Cottae legem de iudiciis privatis — (dicere.)* Hoc et recte suspectum est Orellio. Videtur ortum ex comp. ēt i. e. etiam. Superest, ut de hoc disputemus, quod quidam VV. DD. dicunt *et* significare interdum *adeo,* quod quum recte negasset F. A. Wolf. ad Tac. An. I, 4., opposuit se ei Busch. l. c. p. 15. provocans ad Goerenz. ad Legg. II, 25, 63. *Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit ocius terra humandi* etc. At non viderunt hi VV. DD. cum Mosero, qui coniecit *Nam etiam Athenis ille mos,* respondere his verba *Quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam coniecerunt,* ex quibus apparet, etiam Romae hunc morem fuisse, quem commemorat Cic., qui si sine interçapedine locutus esset, ita dixisset: *Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt,*

ermansit, et apud nos idem mos fuit, donec etiam apud nos, t apud Athenienses lege vetitum est, ne nimis splendida sit epultura. ad Q. Fr. II, 15, 3. *Id et Curtius ita volebat.* Leendum censeo *etiam*. Fin. I, 12, 40. vid. not. II, 4, 13. Haec habui, quae de particula *et* pro *etiam* posita dicerem, uae quum ad anacoluthon pertinerent, praeterire nec potui ec volui.

Alia particularum anacolutha sunt haec: 1, quum pro *et* — *et* ponitur *et* — *que*. Vid. supra p. 385. Nam *et* st particula coniunctiva, *que* adiunctiva. Et si *et* — *que* sibi espondent, anacoluthon tale est, ut, quum primum duo membra necessario coniungenda per *et* — *et* facere velimus, deinde, um intelligimus, quae addere volumus, non arcte cum illis ohaerere, utamur particula *que*, quae ea adiungit, quae etiam besse poterant. *Et* — *et* ponitur, ubi alterum cum altero coaeret. Cfr. Hermann. ad Viger. p. 835. 2, quum *et* — *nec* ibi respondent ita, ut, quum primum nonnisi duas sententias equiri affirmantes putamus, deinde in mentem nobis veniat, alteum membrum esse negandum. Vide exempla ad Caton. Mai. , 7. p. 23. a me collecta et a Kuehner. ad Tuscul. I, 4, 7. 7, 38, 112. Huc pertinent etiam omnia illa exempla, ubi particulae *et* alia orationis conformatione respondetur, quae longum st singula persequi. Reperiuntur inversa ratione sibi respondenes partt. *nec* — *et*. Vid. exempla apud Kuehner. ad Tusc. I, , 7. *nec* — *que* vid. ibid. et not. ad Fin. I, 14, 48. 3. *non quod* non sequente *sed quod*. Vid. notam meam ad Caton. Mai. 23, 84. Sic *non quin*, *non ut*, *etsi* non seq. *tamen*, uius structurae exempla infra videbimus. 4, *non modo*, *non antum*, *non solum* — *sed* pro *sed etiam* vel *verum etiam*. Vid. Ramshorn. p. 536. c, — *non modo* etc. — *sed* pro *sed e* — *quidem* ibid. p. 537. — *non modo* — *sed ne* — *quidem* pro *non modo non* — *sed ne* — *quidem*. 5, *aut* non equente *aut*, sed alio connexionis vinculo. Ut omnino ad anacolutha omnes loci pertinent, in quibus partitio per aliquam particulam facta non ita continuatur, ut altera pars cum particula equatur. 6, *Primum* non sequente *deinde*. Vid. not. ad Fin. , 6, 17. pr. Sunt etiam aliae locutiones, in quarum usu requens est anacoluthon, ut *tantum abest*, *ut* non sequente ltero *ut*. Vid. Ramshorn. p. 601. not. 7, post pron. relat. pro terato relativo demonstrativum v. c. Cic. de N. D. II, 53, 131. *Quorum flatu nimii temperantur calores et ab iisdem* (pro *et a uibus*) *etiam maritimi cursus celeres et certi distinguuntur.* Vide Heindorf. et Ochsner. in Cic. Ecl. p. 317. Hoffmann in ahn. Annal. philol. 1828. II, 1. p. 46. seqq. Cfr. Ellendt. ad rut. 74, 258. 2, pronomen demonstrativum post substantivum per

pleonasmum positum, quod turbat iustum orationis cursum. Ut Cic. pro leg. Manil. 12, 33. *ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam infra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis.* Vid. Matthiae ad h. l. et ad II. Catil. §. 27. Beier. ad Off. I, 10, 32. 38, 137.

Sequantur nunc varia anacoluthorum genera e Ciceronis scriptis collecta, quorum quum vix singula genera ad certas regulas possint revocari, placuit eo ordine proferre et illustrare, quo in editione Cic. Opp. Orelliana leguntur. De Inv. I, 6, 8. *Neque eo dico quod — verum oratori minimum est* pro *verum quod or.* etc. de Or. I, 17, 75. *Haec — irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam.* *Haec* posuit, quasi dicere voluisset *irrisit*, omisso verbo *philosophiam*, sed quum Apollonii mores describere volebat, cum vi addidit hoc in clausula. 35, 163. *Ego vero, inquit Cotta, a te peto, Scaevola: sed tu hoc nobis da, Scaevola, et perfice, ut* etc. 31, 133. *Atque hic illud videndum est — Constituunt enim* etc. pro: *constituere illos.* Vide plura exempla ap. Matthiaeum ad or. pro leg. Manil. 7, 19. Est haec Graeca constructio, de qua vide eund. Gramm. Graec. §. 615. Cfr. Cic. ad Q. Fratr. I, 1, 13. init. — de Or. II, 46, 192. *Et ne hoc in causis etc. miremur — Sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur* etc. 72, 295. *non quin enitendum sit in utroque; sed tamen multo est turpius oratori, nocuisse videri causae.* 90, 365. *saepe ego doctos homines — sed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis quum essem — doctissimos viros* etc. III, 12, 45. *Equidem quum audio socrum meam Laeliam — sed eam sic audio, ut* etc. 31. pr. *Nostra est enim — nostra est inquam, omnis* etc. I, 18, 84. *non quo aperiret sententiam suam — sed quum maxime tamen hoc significabat* pro *sed quod docere volebat eos* etc. II, 18, 71. *non quo mea quidem iam intersit — sed tamen isto tuo — tantum cognoscendi studio adductus requiro.* III, 19, 70. *Quare si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat — sed, si his contenti estis.* Brut. 26, 101. *Is soceri institutio — is tamen instituto Laelii, Panaetium audiverat.* 37, 140. *Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone — sed illa, quae proprie laus oratoris est in verbis — sed tamen Antonius in verbis et eligendis et collocandis et comprehensione devinciendis, nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat.* Proprie dicendum erat: *Verba ipsa ad rationem — dirigebat.* 88, 287. *Ut, si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit; nec rursus ita vetere, ut Opinium aut Anicium consulem quaerat* — §. 288. *num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? — sic* etc. Pro *Ut, si quis — quae*

, *qui hoc sentit, si is potuit velit, de dolio sibi hauriendum at, sic* etc. Orat. 11, 37. *Sed quoniam plura sunt oratio- n genera — laudationum — formam — non complectar tempore. Non quo negligenda sit.* Affert nunc causam, non sit negligenda forma, unde alterum membrum cur *hoc pore nolit eam complecti*, omittit. Causa autem est haec, od prius et *quid dicatur* et *quo loco* vult dicere. Vid. §. 43. . 22, 73. *Quum hoc decere — quum hoc, inquam, decere.* , 227. *non quin iidem sint numeri — sed ordo pedum facit.* at. partit. 32, 110. *In coniectura igitur — accusatori haec prima sunt — sed haec duo sunt ei prima.* de opt. gen. 6, 17. *Quin ipsum Isocratem — tamen hunc in numero repono.* 7, 19. *Quum esset lex Athenis, ut etc. Demosthe- curator muris reficiendis fuit, eosque refecit pecunia sua. hoc igitur Ctesiphon scitum fecit* etc. or. pro Quinct. 2, 5. n *eo dico — quo mihi veniat in dubium tua fides et con- ntia. — Quid ergo est? Primum magnitudo periculi.* Verr. 24, 59. *Est magnum argumentum: verum illud maximum, d illis ipsis Bidinis — his, inquam, ipsis — illam haere- atem tradidit.* III, 58, 134. *tu Apronium — cum appellasses.* Tullio 4. *non quia res postulare non videretur. Quid ergo : Tametsi postulat causa: tamen, nisi plane cogit ingratiis, maledicendum non solco descendere.* Plura attulit exempla ierus ad hunc loc. 89. *At quibus verbis in decernendo Me- lus usus est, ceteri, quos appellasti — nonne haec omnium t oratio* etc. pro: *nonne omnes id dixerunt* pro leg. Manil. , 54. *quae civitas antea unquam fuit — quae civitas antea quam tam tenuis, quae* etc. 24, 70. *Testor — me hoc uc rogatu facere cuiusquam, neque quo Cn. Pompeii gra- m mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex usquam amplitudine aut praesidia periculis, aut adiumenta oribus quaeram — Quamobrem quicquid in hac causa mihi ceptum est, Quirites, id omne me reipublicae causa susce- se confirmo.* Vid. plura ap. Matth. ad h. l. pro Cluent. 12. *Nam Sassia, mater huius Aviti — ea igitur mater iti.* 45, 127. *Aut illud afferant, aliquid esse, quod de iis bus habuerint compertum: de ceteris non comperisse.* Recte tth. de Anacol. Cic. p. 2. dicit respondere verba: *Nam illud dem minime probandum est, ad notationes auctoritatemque soriam exemplum illos a consuetudine militari transtulisse.* ec si aliter scripsisset Cicero, ita elocutus esset: *aut illud cantur, ad notationes censorias exemplum se a consuetudine litari transtulisse; quod quidem minime probandum est.* de leg. rar. 1, 4, 13. *Iubet enim pecuniam, si qua post nos consules novis vectigalibus recipiatur, hac uti decemviros.* Dicere

volebat *dari decemviris*. or. in Catil. III, 10, 25. *Atque illae dissensiones — atque illae tamen omnes dissensiones — eiusmodi fuerunt* etc. Plura exempla attulit Matth. pro Muren. 25, 50. *Meministis enim — §. 51. Tum igitur, his rebus auditis, meministis fieri senatus consultum.* pro Flacc. 4, 9. *non quo nationi huic ego unus maxime fidem derogem.* Respondetur in verbis *Unde illud est: da mihi testimonium mutuum;* quae haec continent sententiam: *omnes consentiunt Graecam fidem esse nullam;* unde idem est ac si dixisset: *sed quod omnes consentiunt, Graecam fidem esse nullam, id quod testatur: illa vox de mihi testimonium mutuum*, quam mox explicat. Cicero. pro Planc. 4, 10. *Ut faceris dignior, quam Plancius — sed ut faceris dignior.* 10, 24. *Aliquid praeterea — sed commemoratione beneficii, sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos.* 41, 98. *Hic vero simul atque me mare transisse cognovit — nam simulac me Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad me — profectus est.* in Vat. 8, 20. *Hoc loco quaero, si, id quod conspieras, augur factus esset — sed quaero, visne cetera vulnera, quibus putasti rempublicam deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixisses auguratus tui* etc. 9, 21. *Ac, ne diutius loquar de auguratu tuo — veruntamen, ut somnia tua relinquam, ad sceleta veniam.* 17, 41. *Sed, quum T. Annium tanto opere laudes et clarissimo viro nonnullam laudationi tuae labeculam adspergas — verum tamen quaero — quaero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disiungere.* pro Scaur. 2, 4. *non quo acerbitatis accepisset aliquid, sed quum summi philosophi Platonis graviter et ornate scriptum librum de morte legisset. neque — Quid vero* vid. Beier. not. pro Coel. 4, 9. *qui ut huic virilem togam dedit — hoc dicam, hunc a patre continuo ad me esse deductum* pro *duxit eum ad me.* Nam de *patre* modo dixerat *qui.* 19, 46. extr. *Quae res in hoc genere homines a labore studioque dicendi deterret: non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis.* Hoc loco inversa est constructio pro: *non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis, sed haec res in hoc genere hom. a lab. stud. dic. deterret.* Verr. prooem. 2, 6. *Itaque quum ego diem in Sicilia inquirendi peresiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet: non ut is idem conficeret diligentia et industria sua, quod ego meo labore et vigiliis consecutus sum.* Respondent haec: *ut perspicuum cuiusi esse posset, hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret.* in Pis. 4, 8. *quo Q. Metellus — sed ille designatus consul — privatus fieri voluit.* 21, 50. *Hic si mentis esset suae, nisi poenas patriae diique immortalibus eas, quae gravissimae sunt, furore atque ir-*

sania penderet, ausus esset — ille, si non acerrime fureret, auderet etc. pro Milon. 27, 75. *qui huic T. Furfanio, cui viro? dii immortales — sed ausus est Furfanio dicere.* Phil. II, 11, 27. *Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna — sed cum iracundum audio esse factum.* II, 23, 56. *Licinium Lenticulam, de alea condemnatum, collusorem suum, restituit: quasi vero ludere cum condemnato non liceret, sed ut, quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret. Sed ut* positum est, quod vv. *quasi vero ludere cum condemnato non liceret* dicta sunt pro: *non quo ludere cum condemnato non liceret.* IX, 1, 1. *non quo L. Philippo et L. Pisoni aut studium aut cura defuerit in tanto officio tantoque munere; sed quum Ser. Sulpicius aetate illos anteiret, sapientia omnes, subito ereptus e causa, totam legationem orbam et debilitatam reliquit.* in Verr. III, 71, 164. *tu, cui* etc. — *fueritne tibi quaestui.* Habebat in animo dicere *habuistine quaestum.* IV, 10, 22. *Ita C. Cato, duorum hominum clarissimorum nepos, L. Paulli et M. Catonis, et P. Africani sororis filius, quo damnato, tum, quum severa iudicia fiebant;* HS. *XVIII. millibus lis aestimata est; — huic Mamertini irati fuerunt.* Omnes fere critici locum corruptum putarunt propter nominativum absolute positum, quasi vero non saepius id fiat. Nominativus positus est, quod voluit Cic. dicere: *Mamertinos iratos habuit*, sed oblitus est coeptae structurae propter parenthesin. V, 22, 57. *Primum, ut in iudiciis, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere: tot in Sicilia civitates sunt, quibus tu per triennium praefuisti. arguunt ceterae: paucae et parvae, metu repressae silent: una laudat.* In vv. *tot — una laudat* haec comparativa sententia latet: *sic melius fuit, te nullam laudare, quam unam civitatem.* Cic. Acad. II, 6, 17. *propterea, quod nihil esset clarius ἐναργείᾳ, ut Graeci — sed tamen orationem nullam putabant illustriorem ipsa evidentia reperiri posse.* 18. *si illud esset, sicut Zeno definiret, tale visum — visum igitur impressum effictumque ex eo, unde esset, quale esse non potest* etc. 7, 22. *quodsi essent falsae notitiae — si igitur essent hae falsae* etc. 8, 23. *Quaero etiam, ille vir bonus, qui* etc. — *cur has igitur sibi tam graves leges imposuerit.* 7, 20. *Quid? de tactu et eo quidem, quem philosophi interiorem vocant, aut doloris aut voluptatis* — §. 21. *potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse?* 32, 102. *scripsit igitur his fere verbis — sed scriptum est ita.* 41, 126. *Solis autem magnitudo — vos ergo huius magnitudinem, quasi decempeda permensi, refertis: huic me, quasi malis architectis, mensurae vestrae nego credere. Quasi*

dixisset: Solis autem magnitudo a vobis permensa non mihi est credibilis. 44, 136. *illa vero ferre non possum, non quo mihi displiceant — sed ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit?* quorum verborum sensus est: *sed quod Xenocrates et Aristoteles sententiam suam non tradiderunt.* 12, 37. *non quo non latus locus sit; sed paullo ante iacta sunt fundamenta.* Fin. I, 6, 19. *Deinde ibidem homo acutus, quum illud occurreret: si omnia deorsum e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, nunquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere: itaque attulit rem commenticiam; declinare dixit atomum perpaullum.* Itaque post parenthesin posuit auctor, quasi novam sententiam inchoaret exponere; est autem haec apodosis. Vide plura exempla in not. ad h. l. 7, 23. *ita prorsus existimo, neque eum Torquatum, qui* etc. Respondent verba §. 24. *Quid? T. Torquatus, is, qui* etc. Vide not. ad h. l. Fit hoc propter sermonis vigorem. §. 24. *illam severitatem in eo filio adhibuit — ut eum — causam apud se dicere iuberet, reque ex utraque parte audita, pronunciaret, eum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent; et in conspectum suum venire vetuit.* Ern. vult *vetaret*, quod ut reliqui coniunctivi, ponderet ab *ut*. Vid. not. ad h. l. At oblitus est auctor coeptae structurae, quasi dicere voluisset: Quid T. Torquatus is, qui consul cum Cn. Octavo fuit, quum illam severitatem in eo filio adhibuit — et in conspectum eum venire vetuit. Anacoluthо similis est locus II, 19, 60. *num etiam eius collega P. Decius, princeps in ea familia consulatus, quum se devoveret, et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat.* Copulatio indicativi et coniunctivi eo facta est, quod utriusque modi diversa hoc loco est significatio. Coniunctivus *devoveret*, cum part. *quum* positus inde est, quod *quum devoveret* causam cum tempore coniungit. Est enim idem ac si dixisset: *num P. Decius eo, quod se devovit, aliquam voluptatem sibi parare voluit?* Altera pars *et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat*, nihil nisi devotionis rationem describit, nihil cum causa cohaeret, et mere temporale est *quum*, unde indicativus. Sic omnes loci interpretandi, in quibus diversi modi per copulativas particulas coniunguntur. Hoc recte intellexisse videtur Stallbaum. ad Ruddimann. Instt. L. Lat. T. II. p. 345. not. 7. Cfr. not. meam ad Fin. I, 10, 32. et vide V, 8, 23. *quod dicimus naturae esse aptum et accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur.* Coniunctivus *appetatur* significat *quod tale sit, ut per se appetatur.* pro Quint. 19, 60. *quod neque pecunia debebatur, et, si maxime deberetur, commissum nihil esset, quare ad istam rationem perveniretur.* Ern. coniecit *erat*, sed coniunctivus dubitative rem pronunciat.

Ep. ad Q. Fratr. I, 1. cap. 1, 5. *Nunc vero ea pars nostrae reipublicae commissa est, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet et quae mihi tota in tua virtute ac moderatione animi posita esse videatur.* Altero loco et cum coniunctive positum est propter formulam *esse videatur*, de qua vide Zumpt. §. 751. Pertineat ad hunc locum quodammodo omnia illa exempla, in quibus orationis structura variatur per particulas partitivas, qui locus quum ad eam grammaticae partem, quae est de structura variata, (cuius exempla reperiantur apud Ruddim. l. c. p. 344. not.) proprie pertineat, praetermittamus, quum alias copiosius hac de re simus dicturi. Sed redeamus ad rem. Fin. I, 20, 66. vid. not. II, 7, 20. vid. not. 10, 29. vid. not. 12, 37. not. Reliqua anacoluthia in libris de Finib. vid. in Indice — s. v. *Anacoluthon.* Tusc. I, 1, 1. *non quin philosophia Graecis et literis et doctoribus percipi non posset: sed meum semper iudicium fuit* etc. 7, 14. *omne pronuntiatum — id ergo est pronuntiatum, quod est verum aut falsum.* 30, 73. *ita commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, quia providentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur, sic omnibus bonis et doctis esse faciendum.* Dicendum erat: *ita commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, quia provideant, quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur.* Sed annectit ea, quae ad enunciatum primarium pertinent, ad parenthesin, ut etiam alibi. Cfr. de h. l. disputantem Krueger. Ueber die Attraktion der lat. Sprache. §. 165. et Wopkens. Lectt. Tull. p. 28. Similis est illa structura Cic. Ep. ad Fam. V, 2. *Addam illud etiam, quod iam ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste tuli, atque etiam ut ita fieret, pro mea parte adiuvi, ut senatus consulto meus inimicus — sublevaretur.* Parenthesi addidit auctor, quae primariae sententiae erant addenda hoc modo: quod sublevatus est vel sublevatum esse, quod pendeat a vv. addam illud. Plura exempla habet Krueger. §. 167. et Matthiae ad Cic. III. in Catil. 9, 21. Exemplis ibi citatis adde Ep. ad Q. Fr. II, 15. a. (ex edit. Orell.) *Ego vero ardenti quidem studio hoc fortasse efficiam, quod saepe viatoribus, quum properant evenit, ut, si serius, quam voluerunt, forte surrexerint; properando, etiam citius, quam si de nocte vigilassent, perveniant, quo velint: sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem.* Quum proprie dicere vellet: *ut properando, id quod neglexi, corrigam.* Sed comparata res cum comparanda per σύγχυσιν confusa est, unde ortum est anacoluthon. pro Planc. 20, 50.

Quo quidem tempore, Laterensis, si id facere voluisses, aut si gravitatis esse putasses tuae, quod multi nobiles saepe fecerunt, ut, cum minus valuissent suffragiis, quam putassent, postea prolatis comitiis prosternerent se et populo Romano fracto animo atque humili supplicarent: non dubito etc. Pro *ut prosterneres te et — supplicares.* Tusc. I, 30, 73. *nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus quod iis saepe usu venit, qui quum acriter, oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent: sic mentis acies se ipsa intuens, nonnunquam hebescit.* Hic idem anacoluthon bis admissum videmus. Primo enim loco cum particula *ut* sic pergere volebat auctor: ut mentis acies se ipsa intuens, nonnunquam hebescat, et verborum *qui quum* etc. naturalis structura est haec: *qui quum acriter oculis deficientem solem intuerentur, omiserunt adspectum omnino.* II, 26, 64. *non quo fugiendus sit — sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est.* 7, 17. *affirmat enim* (Epicurus) *quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur — in Phalaridis tauro si erit, dicet.* pro *dicturum esse.* 14, 33. *num igitur — humana contemnentem potes dicere aut Philoctetam illum? a te enim malo discedere.* Scilicet Cicero aut Philoctetam illum, aut te dicturus, altero membro suppresso, orationem cum miro quodam lepore ἀνακολούθως sic continuat *a te enim malo discedere.* Male igitur cum Davisio de Bentleii coniectura Wolfius scripsit *potes te dicere aut Philoctetam illum.* 22, 51. *In quo vero erit perfecta sapientia — is igitur, sive ea ratio, quae erit in eo perfecta atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori.* III. 22, 54. *non quod ipsa res immutari soleat aut possit; sed id, quod ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quae sint visa maiora.* 8, 16. *Veri etiam simile illud est, qui sit temperans —* (Sequitur nunc parenthesis) Respondet §. 18. *eum necesse est esse constantem.* IV, 6, 13. *quoniamque, ut bona natura appetimus, sic a malis natura declinamus: quae declinatio, quum ratione fiet, cautio appelletur.* Deest apodosis, quae latet in parenthesi, quasi perrexisset: *quae declinatio quum ratione fiet, cautio appelletur* pro *ea declinatio, quae quum ratione fiet* etc. 15, 34. *Quando et aliis locis de virtute diximus, et saepe dicendum erit — quando igitur virtus est affectio animi* etc. 24, 53. *vel brevius, ut Chrysippus — quomodo igitur Chrysippus: fortitudo est, inquit, scientia perferendarum rerum.* 35, 75. *ut, si iam ipsa illa accusare nolis — sed ut haec omittas, perturbatio ipsa mentis in amore foeda est.* Dicendum erat: ut — perturbatio ipsa mentis foeda per se sit. Possis tamen etiam *ut* pro *velut*, zum Beispiel, accipere. Vide Fritzsche Coniectan. in Nov. Testam. p. 21. extr. Madwig. Emendatt. in Cic. libros

philos. I. part. p. 193. seqq. — 36, 77. *Ira vero* — Respondent verba *Quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor*, in quibus hic sensus latet: *ira fines non habet.* V, 15, 45. *An dubitas, quin praestans valitudine, viribus, forma, acerrimis integerrimisque sensibus — dubitabisne cum miserum dicere* pro *quin miser sit.* 19, 54. *Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse et cum quidem cum repulsa — sed tamen, utrum malles, te, si potestas esset, semel, ut Laelium, consulem, an, ut Cinnam quater.* Dicere volebat scriptor *Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse et cum quidem cum repulsa, Cinnae consulatibus quatuor?* 22, 63. *musicorum vero perstudiosum, poetam etiam tragicum — sed, ut ad Dionysium revertar, omni cultu et victu humano carebat.* Cicero in mente habuit verbum *accepimus*, quod omisit, orationis impetu ad aliam sententiam delatus. 27, 76. *Sint enim tria genera bonorum — sint sane illa genera bonorum.* 29, 82. *sed a te impetrarim libentur, ut, nisi molestum sit — id velim audire, quemadmodum his putes consentaneum esse, id dicere.* Dictum est pro *demonstres, quomodo.* Alia anacolutha his in libris vid. ap. Kuehner. in Ind. s. v. *Anacoluthon.* de Rep. I, 8, 13. *Quibus de rebus* — Respondent verba *nec vero nostra quaedam est instituenda nova et a nobis inventa ratio, sed unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria est.* Deest praedicatum ad *Quibus de rebus*, quod esse debebat *scribere nobis placet.* II, 2, 4. *qui* (Romulus) *patre Marte natus — is igitur, ut natus sit cum Remo fratre, dicitur* etc. de Legg. I, 13, 38. *His omnibus — his omnibus haec, quae dixi, probantur.* II, 1, 2. *Quare antea mirabar — sed mirabar, ut dixi.* N. D. I, 27, 75. *Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: corpus illud non est, sed simile corpori, nec ille fusus et candore mixtus rubor sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo: sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse.* Hoc dictum est ex comparationis anacolutho: *Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa, sicut illud corpus non sit — sic in Epicur.* etc. 32, 90. *illud quaero, quae fuerit tanta fortuna — sed tamen quis iste tantus casus.* II, 10, 26. *Atque aquae etiam admixtum esse calorem, primum ipse liquor aquae declarat et effusio — Atque etiam maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem.* 18, 47. *Sed sint ista pulchriora dumtaxat aspecto —* §. 48. *Sed si haec non videtis — an ne hoc quidem physici intelligere potuistis, hanc aequabilitatem motus constantiamque ordinum in alia figura non potuisse servari?* 37, 95. *Si essent — qui sub terra habitavissent etc. — quae quum viderent,*

profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur. III, 10, 26. *Et Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus et callidus — is igitur, si aliquid est, inquit* etc. de Fato 4, 8. *At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt — quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat.* 16, 37. *Necesse est enim in rebus contrariis duabus — ex his igitur necesse est, invito Epicuro, alterum verum esse, alterum falsum.* Cat. Mai. 2, 7. *Atqui, Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri — multo ante a te didicerimus* etc. pro *si nos docueris.* Lael. 2, 6. *Te autem alio quodam modo, non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina sapientem, nec sicut volgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem — hanc in te sapientiam existumant.* Hoc dictum est pro *Te autem alio quodam modo scilicet talem sapientem existimant, ut* etc. Sequuntur exempla ex libris de Officiis, sed quum de his satis diligenter egerit Gernhard. in Excurs. ad Offic. de Anacoluthio, praetermitto ea, ne nimium crescat moles exemplorum. Ep. ad Fam. IX, 16, 2. *quicquid arte fieri potuerit — sed tamen quicquid elaborari aut effici potuerit* etc. I, 9, 23. *scripsi etiam — scripsi igitur Aristotelio more.* XIV, 5, 2. *De hereditate Preciana, quae quidem mihi magno dolori est — valde enim illum amavi — sed hoc velim cures.* Haec sint, quae de anacoluthis Ciceronis dicenda esse arbitrer, quae si quis imperfecta sentiat, hoc velim sibi persuadeat, me in taedioso illo exemplorum colligendi labore nervos quamquam obnitens remisisse, nec omnia colligere voluisse, sed ea tantum, quae essent aut graviora, aut ab aliis neglecta. Hoc addo, me omnia illa exempla ad anacolutha referre, quae collegit Ramshorn. p. 702. 6. — 705. e. Nam omnia ita comparata sunt, ut finis periodi non respondeat initio, quae est natura anacoluthi.

EXCURSUS IV.

DE PARTICULIS *QUUM — TUM.*

AD FIN. I, 6, 19.

Quum saepe in codd. particula *quum* sequente *tum* et cum indicativo coniuncta reperiatur et cum coniunctivo, multum diu-

que quaesitum est a criticis, quae constructio esset vera. Vide praeter Grammaticos Beier. ad Cic. Offic. III, 2, 5. T. II. p. 191. ad Lael. 25, 92. p. 148. Matthiaeum ad Cic. or. pro Rosc. Amer. 6, 16. Ochsner. p. 40. 161. 243. Kuehner. ad Tuscul. Disp. V, 39, 113. Utraque structura locum potest habere. Quarum utra quoque loco vera sit, tum recte diiudicari poterit, quum, quae propria sit particulae *quum* significatio, erit exploratum. *Quum* proprie est adverbium temporis, quod significat *eo tempore, quo*, wenn. Iam quum tempus et causa semper fere cohaereant (vide Zumpt. §. 578.), factum est, ut *quum* causalis fieret particula, quae significatio ubi obtinet, necessario cum coniunctivo coniungitur. Ea autem significatio locum habet, ubi *quum* et *tum* coniunguntur. Hoc quoties fit, transitur a minori ad maius, et semper cum coniunctivo est ponenda, quoniam idem notat, quod *licet*, obgleich. V. c. Cic. Off. III, 2, 5. *Quum tota philosophia frugifera sit, tum multus feracior in ea locus est, quam de officiis.* At quum crebro formula *quum — tum* usurparetur, eo ventum est, ut Romani, originis eius obliti, simpliciter pro *et — et* (sowohl — als auch) eam ponerent, et ita membra efficerentur aequalia, quorum neutrum maiorem vim altero habet. Quod ubi fit, cum indicativo modo *quum* coniungitur. v. c. Cic. ad Fam. XVI, 21. *Crotippo me scito esse coniunctissimum. Nam quum audio illum libenter, tum etiam propriam eius suavitatem vehementer amplector.* — *Quum — tum* cum coniunctivo significat *da — so; quum — tum* cum indicativo *sowohl — als auch*. Ad hanc normam omnes loci dubii possunt diiudicari, ut de Fin. I, 6, 19. *quae quum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult.* Heindorf. ad Cic. de N. D. I, 1, 1. scribendum censuit *est*. Errat V. D. eo, quod putavit membra esse aequalia. At sensus est: *Hoc ipsum iam malum est, totam rem esse fictam, nedum ut efficiat id, quod vult Democritus.*

EXCURSUS V.

DE PARTICULA *ET* PRO *ETIAM* POSITA.

AD FIN. I, 12, 40.

Hoc argumentum, quum excursu III. de anacoluthis satis sit pertractatum non opus est, ut h. l. repetatur. Vide p.

profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrantur. III, 10, 26. *Et Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus et callidus — is igitur, si aliquid est, inquit etc.* de Fato 4, 8. *At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt — quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat.* 16, 37. *Necesse est enim in vobis contrariis duabus — ex his igitur necesse est, inquit Epicuro, alterum verum esse, alterum falsum.* Cat. Mai. 2, 7. *Atqui Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione polliceare, feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri — multo ante a te didicerimus etc. pro si nos docueris.* Lael. 2, 6. *Te autem alio quodam modo, non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina sapientem, nec sicut vulgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem — hanc in te sapientiam existimant.* Hoc dictum est pro *Te autem alio quodam modo scilicet talem sapientem existimant, ut etc.* Sequuntur exempla ex libris de Officiis, sed quum de his satis diligenter egerit Gernhard. in Excurs. ad Offic. de Anacolutho, praetermitto ea, ne nimium crescat moles exemplorum. Ep. ad Fam. IX, 16, 2. *quicquid arte fieri potuerit — sed tamen quicquid elaborari aut effici potuerit etc.* I, 9, 23. *scripsi etiam, — scripsi igitur Aristotelio more.* XIV, 5, 2. *De hereditate Previana, quae quidem mihi magno dolori est — valde enim illum amavi — sed hoc velim cures.* Haec sint, quae de anacoluthis Ciceronis dicenda esse arbitrer, quae si quis imperfecta sentiat, hoc velim sibi persuadeat, me in taedioso illo exemplorum colligendi labore nervos quamquam obnitens remisisse, nec omnia colligere voluisse, sed ea tantum, quae essent aut graviora, aut ab aliis neglecta. Hoc addo, me omnia illa exempla ad anacolutha referre, quae collegit Ramshorn. p. 702. 6. — 705. e. Nam omnia ita comparata sunt, ut finis periodi non respondeat initio, quae est natura anacoluthi.

EXCURSUS IV.

DE PARTICULIS *QUUM — TUM.*

AD FIN. I, 6, 19.

Quum saepe in codd. particula *quum* sequente *tum* et cum indicativo coniuncta reperiatur et cum coniunctivo, multum diu-

que quaesitum est a criticis, quae constructio esset vera. Vide praeter Grammaticos Beier. ad Cic. Offic. III, 3, 5. T. II. p. 191. ad Lael. 25, 92. p. 148. Matthiaeum ad Cic. or. pro Rosc. Amer. 6, 16. Oehsner. p. 40. 161. 243. Kuehner. ad Tuscal. Disp. V, 39, 113. Utraque structura locum potest habere. Quarum utra quoque loco vera sit, tum recte diiudicari poterit, quum, quae propria sit particulae *quum* significatio, erit exploratum. *Quum* proprie est adverbium temporis, quod significat *eo tempore, quo*, wenn. Iam quum tempus et causa semper fere cohaereant (vide Zumpt. §. 578.), factum est, ut *quum* causalis fieret particula, quae significatio ubi obtinet, necessario cum coniunctivo coniungitur. Ea autem significatio locum habet, ubi *quum* et *tum* coniunguntur. Hoc quoties fit, transitur a minori ad maius, et semper cum coniunctivo est ponenda, quoniam idem notat, quod *licet*, obgleich. V. c. Cic. Off. III, 2, 5. *Quum tota philosophia frugifera sit, tum multus feracior in ea locus est, quam de officiis.* At quum crebro formula *quum — tum* usurparetur, eo ventum est, ut Romani, originis eius obliti, simpliciter pro *et — et* (sowohl — als auch) eam ponerent, et ita membra efficerentur aequalia, quorum neutrum maiorem vim altero habet. Quod ubi fit, cum indicativo modo *quum* coniungitur. v. c. Cic. ad Fam. XVI, 21. *Cratippo me scito esse coniunctissimum. Nam quum audio illum libenter, tum etiam propriam eius suavitatem vehementer amplector.* — *Quum — tum* cum coniunctivo significat *da — so; quum — tum* cum indicativo *sowohl — als auch*. Ad hanc normam omnes loci dubii possunt diiudicari, ut de Fin. I, 6, 19: *quae quum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult.* Heindorf. ad Cic. de N. D. I, 1, 1. scribendum censuit *est*. Errat V. D. eo, quod putavit membra esse aequalia. At sensus est: *Hoc ipsum iam malum est, totam rem esse fictam, nedum ut efficiat id, quod vult Democritus.*

EXCURSUS V.

DE PARTICULA *ET* PRO *ETIAM* POSITA.

AD FIN. I, 12, 40.

Hoc argumentum, quum excursu III. de anacoluthis satis sit pertractatum non opus est, ut h. l. repetatur. Vide p.

tium] de N. D. I, 31: in *Sunt qui existiment, quod ille incultis plane loquendi fecerit, fuisse consulto* [*inscientia* est in cod. Regio Davisii]. Causa haec est, quod Gernadium vim agendi habet. Nam recte dici posse *Inscitia faciendi aliquid, die Ungeschicklichkeit etwas zu verrichten*, quis neget? At ubi apud Ciceronem *inscitia* cum genit. nominis reperitur, emendandum esse *inscientia* sensus ostendit. Est enim *inscientia* ignoratio rei, *das Nichtwissen einer Sache*, quae homini non potest esse vitio. *Inscientia* enim est earum rerum, quae non didicimus, et respondet voc. *ignoratio*: *inscitia* autem, quod respondet voc. *ignorantia*, est eius, qui aliquid, quod discere potuit, non didicit, unde *inscitia* est culpabilis. Scribendum est igitur ap. Cic. de Or. I, 22, 99. *Quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam, neque quo tuo studio rectissimo atque optimo non obsequi vellem, praesertim quum te unum ex omnibus ad dicendum maxime aptumque cognossem, sed mehercule istius disputationis insolentia, atque earum rerum, quae quasi in arte traduntur, inscientia*, non *inscitia*, ut Orell. dedit. Probat tamen idem *inscientia*, quod est in uno cod. Oxon. receptum a Lambino. Id unice verum est. Nam ipsa vox *insolentia* ostendit, inscitiam non tribui Crasso, sed inscientiam, quae orta est ex eo, quod non erat in usu ei ars dicendi. Loquitur Cicero de arte dicendi, ad quam explicandam invitatus erat Crassus a Sulpicio, sed ille ea, qua est modestia, negat, se hac de re posse disputare propterea, quod non soleat huiusmodi disputatione uti [*wegen dem Nichtgewohntsein solche Disputationen zu führen*] et quod ignoret eas res, quae quasi in arte traduntur. [*und weil er nicht bekannt sei mit der Sache*] Off. I, 40, 144. quum de prudentia dixisset, de verecundia et approbatione eorum, quibuscum *vivamus*, loquitur. Ordinem actionum adhibendum esse, ut in vita omnia sint apta inter se et conveniantia. Quod ut fieri possit, rationem esse habendam et loci et temporis, quo simus, quo vivamus. Quibus haec addit: *si qui, quum causam sit maturus in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem si in convivio faciat inhumanus videatur inscientia temporis.* Sic legendum est, quamquam codd. omnes *inscitia* exhibent, quod nihil valere supra docui. *Inscientia temporis* est, quum tempore inopportuno quid facimus [Bekkerus finxit verbum ἀναίρημα, quod notioni *temporis insciția* non satis respondeat ἀναίρημα. Vid. Buttmann. Gramm. Graec. med. p. 325. ed. 10.], quum ignoramus, quod tempus aptum sit ad aliquid faciendum, *ignoratio temporis*. Probanda igitur haec scriptura propter sequum. Nam si quis scit, quod tempus aliquid faciendi est commodum, non faciet id, tempore

inopportuno. Quae reliqua afferunt VV. DD. exempla, quibus contrarium probare velint, aut sunt poetarum, quibus hanc licentiam recte concedit Hermannus V. Cl. in Diar. Lips. 1819. nr. 122. p. 974. aut posteriorum scriptorum, veluti Tacito et Quinctiliano. Est enim apud Horat. Satir. II, 1, 81. *sanctarum inscitia legum* 3, 43. *inscitia veri.* Apud Tacit. Agric. c. 28. *Atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus — intercepti sunt,* rectissime se habere *inscitiam* ostendit locus Cic. de Fat. c. 16. supra laudatus. Quinctil. V, 13, 38. *reprehensio inscitiae rerum verborumque.* et I, 11, 16. *in proferendis pedibus inscitia* recte se habet voc. *inscitia.* Nam primo loco est *inscitia rerum verborumque: ignorantia rerum verborumque recte eligendorum.* Negari tamen non potest, aliter dicturum fuisse Ciceronem, qui, ut supra dixi, genit. obiectivum non coniungit cum voc. *inscitia.* Altero loco *inscitia in proferendis pedibus* est *inscitia pedum proferendorum* h. e. *ignorantia, quomodo pedes recte proferantur, Ungeschicklichkeit in Bewegung der Füsse.* Et fortasse praeter poetas, quos metrum interdum, ut verba commutarent, coegit, in omnibus Latinis scriptoribus aut corrupta est lectio, ubi *inscitia* pro *inscientia* ponitur, aut male intellecta, ut pluribus exemplis modo ostendi. Causam differentiae bene enucleavit Goerenz. ad Fin. l. c. *Scitus* enim, unde venit *inscitus* et *inscitia*, est is, qui quod *sciat*, recte applicare potest, *geschickt, gescheut*; *insciens*, unde oritur vox *inscientiae*, est is, qui aliquam rem ignorat, *unbekannt mit etwas. Inscitia* igitur est *Ungeschicktheit; inscientia* Unbekanntschaft mit einer Sache. Hinc est, quod *inscientia* et *error* saepissime coniuncta reperiantur, ut Fin. l. c. et I. de Invent. 2, 2. *Ita propter errorem atque inscientiam caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur. Inscitia* duobus tantum modis ponitur, aut absolute h. e. sine genitivo obiectivo, aut cum genit. gerund. Unde si eleganter scribimus, non dicendum est: *inscitia legum* i. e. *ignoratio legum.* Recte dicitur *inscitia scribendi* i. e. *ignorantia, quomodo scribatur. Inscientia* aut absolute, aut cum genit. obiectivo ponitur, ut *inscientia decoris* h. e. ignoratio eius, quid sit decorum.

EXCURSUS VIII.

DE PRAEPOSITIONE BIS PONENDA ALTERO LOCO OMISSA.

AD FIN. II, 13, 40.

Leguntur l. c. haec verba: *Hi non viderunt — hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et agendum esse natum.* Sic optimi codd. In aliis est *et ad agendum*, quod recepit Orell. Quum plures eiusmodi apud Ciceronem loci inveniantur, in quibus praepositio altero orationis membro repetenda omissa sit, et in aliis exstet lectionis varietas, quaerendi sunt, ut in locis controversis sit aliqua veri inveniendi norma, ii loci, in quibus praepositio semel tantum posita sit sine ulla codd. discrepantia. Multi VV. DD. hac de re disputarunt. Veluti Wopkens Lectt. Tull. p. 4. et 15. ed. Frotsch. Beier. ad Cic. Off. I, 14, 42. 38, 136. ad Lael. 9, 32. p. 54. Eduard. Wunder. Varr. Lectt. in Cicer. p. XVII., cum cuius disputatione compara Beieri censuram huius libri in Jahn. Annal. philol. II, 2, 1. p. 21. seqq. Cfr. idem Beier. in Diar. scholast. 1827. II, 10. Kuehner. ad Cic. Tusc. I, 39, 94. Matth. ad or. pro Rosc. Am. 44, 127. Hoffmann in Jahn. Annal. philol. 1828. II, 1. p. 48. seqq. Goerenz. ibid. 1826. I, 2. p. 328. Kritz. ad Sall. Catil. 49, 1. p. 226. Walch. ad Tacit. Agric. 35. p. 361. Reinhardt. ad Terent. Adelph. III, 3, 61. p. 200. ed. Teubn. Schmidt. ad Horat. Ep. II, 2, 4. Klein. ad Cic. de Orat. in Miscell. Critt. ed. Friedemann et Seebode T. I. P. 2. p. 349. De Grammaticis vide Zumpt. §. 778. et Ramshorn. p. 377. seq. De Graecis vide Hermann. ad Sophocl. Oed. Col. 812. Intpp. ad Antig. 364. ad Oed. Tyr. 727. Fritzsche Quaestt. Lucian. p. 130. Monk. ad Eur. Alc. 114. Matthiae Gramm. Graec. maj. ed. 2. p. 1192. At hi omnes quos modo nominavi exempla congesserunt, nec quicquam aliud. At ut omnis disputatio fundamentum quaerit, sic haec quoque res rationes postulat, ut aliquid certi constituatur. Enunciatorum, in quibus praepositio iteratur, duplex est genus, aut enim disiunctiva sunt, aut coniunctiva. Disiunctiva enunciata sunt ea, quae res diversas copulant per particulas aut copulativas aut disiunctivas; coniunctiva autem enunciata sunt ea, quae res similes coniungunt per particulas copulativas. Plures autem particulae eiusmodi sunt, ut ipsae significent res diversas sibi opponi, ut *aut — aut; vel — vel; ac, sed, nisi, non minus — quam, quid aliud — quam,*

non solum — sed etiam. Aliae tales sunt, ut ipsae et res diversas et res similes coniungere possint, ut *et — et.* In his singulae voces enunciati aut oppositionem aut coniunctionem significant, in illis ipsae particulae enunciatorum conditionem ostendunt. Apparet autem primum, ibi, ubi diversae res coniunguntur, iterandam esse praepositionem, quia, quae non sunt paria, non possunt arctè coniungi, quod fit iterata praepositione. Nam quo arctius partes sermonis inter se cohaerent, eo magis omnes removendae sunt particulae, quae aliquo modo divellunt contexta. Iam quum per *aut — aut, vel — vel, nec — nec, sed,* diversae res coniungantur, facile intelligitur, repetendam esse praepositionem. Veluti pro leg. Manil. 24, 69. *aut de re, aut de perficiendi facultate.* pro Cluent. 23, 64. *aut ab Avito, aut ab Oppianico.* pro C. Rabir. 8, 24. *aut cum Saturnino, aut cum bonis.* pro Cluent. 55, 152. *aut in homine ullo, aut in ordine.* de leg. agrar. II, 18, 48. *aut in oppidis, aut in agris.* ad Famil. IX, 25. *Nunc ades ad imperandum vel ad parendum potius.* Qui loci afferuntur, ut probent cum part. *neque — neque* praepositionem altero loco omitti, lectionis exhibent varietatem, ut Verr. IV, 1, 1. *nego ullam picturam neque in tabula, neque textili fuisse.* Sic e codd. Gruter. Graev. Garatoni. Ern. probante Beiero in Jahn. Annal. philol. II. p. 431. — *neque in textili* de Hortensii suspicione Schuetz. (in Gruter. 1692. haec lectio non affertur, ut ait Beck.) — *neque textilem* Stephan. e cod. cuius lectiones plerumque conspirant cum Leidensi. Lambin. prob. Garat. Orell. Mihi vix dubium videtur, quin *in textili* e correctione sit eius, qui aequalitatem membrorum quaereret. Id certe hic locus non ostendit, praepositionem post *neque* posse omitti. Non minus corruptus videtur locus ap. Cic. de Legg. I, 8, 25. *Iam vero virtus eadem in homine ac deo est, neque alio ullo ingenio praeterea.* Ut omittam, quod in Casselano cod. est *in genere*, ut V. D. Secul. XVI. in marg. Lambin., quam possidere se ait Orell., coniecit, prob. Davis. Engelbronner. et Creuz. (recepit Lallemand.), facile *in* ante *ingenio* obliterari potuit, si ita scriptum erat *ī ingenio.* pro Cluent. 66, 188. *nondum ad huiusce vitae periculum, sed ad commune familiae dedecus.* Ut h. l. iteratur praepositio, sic haud dubie legendum est ap. Cic. in Verr. IV, 27, 60. *Venio nunc, non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed ad eiusmodi facinus, in quo* etc., ut exhibet cod. Stephan. sequente Grutero et seqq., praeter Orell., qui om. *ad* post *sed*, nescio qua ratione ductus. Cic. pro Planc. 15, 36. *quod genus iudiciorum si est aequum ulla in re, nisi in hac tributaria.* Sic duo tantum codd. Bavar. et Erfurt. Cet. cum editt., praeter Wunder., om. *in* post *nisi.* At postulat et

res ipsa et consuetudo Ciceroniana, addi praepositionem. Wunder. p. 120. hanc exempla collegit: Acad. I, 5, 19. *neque ullis alia in re nisi in natura quaerendum esse illud summum bonum.* Finib. II, 34, 111. *si ea nullam ad aliam rem nisi ad voluptatem conquirantur.* IV, 17, 47. *qui nulla in re nisi in virtute.* In Pis. 20, 48. *quod ad neminem, nisi ad ipsum te pertinuit.* pro Cluent. 70, 198. *non minus de capite huius, quam de me vita.* in Catil. III, 2, 4. *non solum a me, sed etiam a senatu.* Ita scribendum est ex Erfurt. pro Balb. 1, 4. *ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modo ex me, sed ex cuiusquam oratione capere possitis,* quum vulg. legatur *sed cuiusquam*, omissa praepositione. pro Cluent. 50, 139. *non ex mea opinione, sed ex hominum rumore.* Beierus ad Lael. 9, 32. p. 54. citat fragm. 4. Acadd. ex libro incerto, quod servavit Augustin. III. contra Acadd. c. 7. [ap. Orell. Vol. IV. P. II. p. 470. Nobbe. 1139.] *hominem natum ad nihil aliud quam honestatem.* At facile *ad* post *quam* excidere potuit. Nam quae ad hanc loquendi rationem defendendam affert exempla, sunt et poetarum et posteriorum scriptorum. Transeamus ad ea enunciata, in quibus regnat *et — et*, *atque*, *ac*, *que*. Si *et — et* ponitur res diversae et res similes possunt coniungi. Res diversae ubi coniunguntur, praepositio est proprie repetenda, ubi res similes copulantur, omittenda est praepositio, quia duae illae res, quae copulantur, si sensum spectas, unam tantum notionem efficiunt. ad Q. Fr. I, 1, 3. *quum hi mores tantum iam ad nimiam lenitatem et ad ambitionem incubuerint.* Legg. II, 4. *Lex est ratio mentque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea.* de leg. Agrar. II, 33, 90. *et ad bellum instruendum et ad exercitus ornandos.* ad Q. Fr. I, 9. *remotum a fama et a fortunis et ab otio locupletum calumniam.* Off. I, 13, 39. ex. *quum retineretur a propinquis et ab amicis.* I. Catil. 13, 33. *cum summa reip. salute et cum tua peste ac pernicie.* II. Legg. 1, 2. *de lege et de iure disserens.* pro Cluent. 11, 31. *et de suo et de uxoris interitu.* Catil. II, 10, 21. *et ex urbe et ex agris.* de leg. Agrar. II, 3, 7. *et in hoc magistratu et in omni vita.* Sic recte Erfurt. cod. exhibet de Invent. II, 19, 147. *et ex utilitatis et ex honestatis amplissimis partibus.* Omittitur praepositio in his exemplis. Tusc. Disp. IV, 20, 46. *Reliquas quoque partes aegritudinis utiles esse dicunt, misericordiam ad opem ferendam et calamitates hominum indignorum sublevandas.* Off. II, 4. *Artibus exculta hominum vita valde distat a victu et cultu bestiarum.* Legg. I, 21. *Antiochus a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia non discrepat.* N. D. I, 26, 72. *Habitabat cum patre et fratribus.* Tusc. III, 4. *A Socrate haec omnis, quae est de vita et moribus, philoso-*

phia manavit. pro Quinct. 13, 43. *de vita et ornamentis suis omnibus.* Ex his patet de Fato 1. extr. scribendum esse cum duobus codd. et antt. editt. *primo illa (agitabamus) quae erant quotidiana et quasi legitima nobis, de pace et otio*, non, ut Orell. cum vulgata, *de pace et de otio*, nam una tantum res duobus vocabulis significatur. Cfr. Kritz. ad Sall. Catil. 49, 1. p. 226. Orat. 21, 69. *in foro et causis civilibus ita dicet.* Acadd. II, 85, 112. *cur cum tantas in angustias et Stoicorum dumeta compellimus?* Sic optt. codd., alii *et in Stoic. dum.* Cic. Legg. I, 7, 22. *Quid est autem in omni coelo atque terra ratione divinius?* Hic praepositio addi non potuit, quia adiectivum *omnis* ad utrumque substantivum pertinet; sed si *in* ante *terra* adderetur, vix intelligeres *omnis* ad utrumque substantivum referendum esse. Quem locum affert Ramshorn. p. 377. ex or. pro leg. Manil. 15, 43. *Auctoritas multum in bellis administrandis atque imperio militari valet*, recte emendavit e praestantissimo cod. Palimpsesto Taurin. Orell., in quo est haec lectio: *auctoritas quoque in bellis administrandis multum atque in imperio militari valet.* de Inv. I, 2, 2. *propter errorem atque inscientiam. Ac* ortum ex *atque* significat *aber auch*, et gravius copulat, quam reliquae partt. copulativae. Hinc fit, ut *ac* omissa praepositione non legatur. Off. I, 14, 42. *de beneficentia ac de liberalitate dicatur.* II, 15. pr. *de beneficentia ac de liberalitate dicendum est. Que* sua sponte apparet, non posse iterata praepositione poni, quia post ponitur; quo loco enim collocabis iteratam praepositionem v. c. *ex quibus multisque aliis perspicuum est.* Off. II, 4, 14.

Haec de enunciatis simplicibus, nunc de compositis agamus. Repetenda est praepositio 1) *ibi, ubi aliquot verba interponuntur*, ut Cic. Off. II, 1. *Officia quaedam pertinent ad vitae cultum, et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem* etc. Hinc est illud, quod dicunt *inter* nonnisi aliquot vocabulis interpositis poni. V. c. Cic. Lael. 25. *Concio iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem.* Agrar. II, 33. *Videte, quantum intervallum sit interiectum inter maiorum nostrorum consilia, et inter istorum hominum dementiam.* Nam ubi nihil interponitur, praepositio omittitur. Parad. I, 14. *sic te ipse abiicies atque prosternes, ut nihil inter te et quadrupedem aliquam putes interesse.* Sic optt. codd. — Edtt. vett. *atque inter.* de Or. II, 35. *Inter ingenium et diligentiam perpaulum loci reliquum est arti.* Lael. 10. *Saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebatur.* 13. *Quid interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem: sed inter hominem et saxum aut truncum, aut quidvis generis eiusdem.* II, Phil. 17, 42. *Vide autem, quid intersit inter te et avum tuum.* Idem fit, quum

una tantum vox interponitur, ut Tusc. Disp. IV, 14, 32. *Inter acutos autem et hebetes interest.* Sic optimus cod. Reg. Paris. Pauci exhibent *et inter*. Invent. I, 5, 6. *Inter officium autem et finem hoc interest.* Huius autem praepositionis ea est ratio, ut duo postulentur subiecta, quae per *cum* coniungantur. v. c. *inter me et Scipionem disserebatur*; hoc idem est, ac si dixisset *ego cum Scipione disserebam*. Deinde praepositio ibi iteratur, ubi interposita est formula *id est*. Off. I, 44, 157. *Nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est, ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solitudo, cognitio et scientia videatur.* Denique ubi post substantivum cum praepositione sequitur genitivus. Off. II, 14, 51. *Quid est tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad salutem hominum et ad conservationem datam ad bonorum pestem perniciemque convertere* 2) *in enunciatis comparativis.* Off. I, 40. *Talis est ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se et conveniantia.* Unde mihi nunquam probabilis videbitur coniectura Beieri ad Lael. 9, 32. p. 54. de Cic. de Rep. I, 14. (In Archimedi sphaera) *fiebat, ut soli luna totidem conversionibus in aëre illo, quot diebus in ipso coelo succederet: ex quo, ut in coelo, sphaera solis fieret eadem illa defectio.* In hac coniectura duo sunt, quae minime elocutionem Ciceronianam saplunt. Nam *ut* part. comparat. non ponitur omissa altera part. comparativa apud Ciceronem, deinde praepositio in comparatione non omittitur, quia diversae res comparantur. Codicis lectio est haec: *ex quo et in coelo sphaera solis fieret eadem illa defectio.* Facillime locus corrigitur ita: *ex quo ut in coeli sphaera solis fieret eadem illa defectio; ut* et *et* saepissime permutantur, *o* autem et *i* non minus frequentur, ut saepe *dat.* et *gen.* permutantur. Lael. 9. *Amicitiae erit ortus a natura, quam ab imbecillitate, et gravior, et verior.* 3) *ubi duo nomina, quae a praepositione pendent, ita vult Cic. accipi, ut non unum quid efficiant aut in unam quandam notionem coalescant, sed separata sint et utrumque per se spectetur.* Ep. ad Q. Fratr. III, 1, 4. *Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi.* Quibus verbis quum hoc significet, se duas absolvisse orationes, quarum altera pro Scauro, pro Plancio altera sit habita, necessario bis erat praepositio ponenda. Quam si omisisset ante nomen *Plancii*, Scaurum et Plancium duos reos coniunctim pluribus orationibus ab eo defensos esse credi posset. Sic ubi duo nomina propria coniunguntur, quae aut diversi sunt generis, ut Cic. de Finib. III, 20, 66. *ut de Hercule et de Libero accepimus*, aut diversae sunt sectae, ut *de Platone et de Aristotele diximus.* 4. etiam *ibi bis ponitur a Cicerone praepositio, ubi unum tantum, ad*

quod pertineat, substantivum positum est, duo autem, qui a substantivo pendent, genitivi adduntur, qui sibi disiunctivis particulis opponuntur. Tum si ante priorem genitivum posita praepositio est, iteratur etiam ante posteriorem. Cfr. in Pison. 18. *An ego maiore afficerer laetitia ex corporis vestri laceratione, quam afficior ex famae?* Itaque rectissime cod. Erfurt. de invent. II, 19, 147. exhibet *et ex utilitatis, et ex honestatis amplissimis partibus*, quum in editt. ante *honestatis* praepositio desideretur. 5) ubi locus significatur, ut *in domicilio et in sedibus.* 6) ubi verbum compositum praepositionem postulat Cic. in Catil. I, 13, 31. *inclusum in venis atque in visceribus.* Quia *includere in loco* Ciceronis est, non nudus ablat.

Omittitur praepositio 1) *ante pronomen relativum, quum eadem ante pronomen demonstrativum proxime praegressum posita erat.* Fit hoc eo, quod enunciatum relativum vel adiectivam notionem habet, vel copulativam. Cic. de Orat. II, 68, 277. *Est bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irridetur in eo ipso genere quo dixit.* Hoc idem est, ut si dicas *in genere a te usurpato.* Fin. IV, 20, 56. *Negat Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa qua tyrannum Dionysium* i. e. *eadem esse in causa cum tyranno Dionysio.* N. D. I, 12, 31. ex. *quae sunt in iisdem erratis fere, quibus ea, quae de Platone diximus.* Tusc. I, 39, 94. *in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae, reperiemus.* 46, 111. *illa suspicio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in iis malis, quibus vulgo opinantur.* Legg. III, 15, 33. *Nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio.* pro Rosc. Amer. 44, 127. *In quem hoc dicam, quaeris Eruci? Non in eum, quem vis et putas.* pro Ligar. 1, 2. *Habes igitur, Tubero, confitentem reum, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum.* ad Attic. VIII, 15. *in eadem opinione fui, qua reliqui omnes.* Phil. II, 15. pr. *Fateor, me tanta in maestitia fuisse, quanta ceteri fuissent.* ad Att. III, 19. *Me tuae literae nunquam in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum.* ad Q. Fratr. I, 4. *In tantum luctum et laborem detrusus es, quantum nemo unquam.* Tusc. III. 17, 37. *Traducis cogitationes meas ad voluptates. Quas? corporis, credo.* pro Cluent. 33, 89. *ad quaestionem ipse abreptus est. At quam quaestionem?* in Pis. 37, 91. *Arsinoen, Stratum, Naupactum — fateris ab hostibus esse captas. Quibus autem hostibus? Nempe iis, quos.* Ep. ad Div. IV, 13, 6. *Respublica ab iis ipsis, quibus tenetur, de te propediem impetrabit.* Cato Mai. 6. in. *A rebus gerendis senectus abstrahit. Quibus? An iis, quae in iuventute geruntur et viribus?* Fragm. or. in Tog. Cand. p. 1052. Ern. Vol. II. P.

I. p. 524. *A quibus enim petis? principibus civitatis.* Orell. tacite reposuit *a princ. civ.* At vide Cic. Rep. I. 36, 56. *a Jove incipiendum putat. Quo Jove?* Partit. or. 16, 55. *Rerum amplificatio sumitur eisdem ex locis omnibus, quibus illa, quae dicta sunt ad fidem.* Eadem praepositionis omissio haud infrequens est apud Graecos scriptores. Xenoph. Symp. IV, 1. ἐν τῷ χρόνῳ, ᾧ ὑμῶν ἀκούω. Vide Heindorf. ad Platon. Phaedon. p. 91. et ad Gorg. §. 135. — Eadem ratio obtinet, ubi per comparativam particulam in metaphora aliquid sententiae annectitur. de Orat. III, 31, 122. *nostra est omnis prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam abundantes otio involaverunt.* Fin. V, 6. extr. *quo invento omnis ab eo, quasi capite de summo bono et malo disputatio ducitur.* 2) *Ubi, quae coniunguntur, quasi ad unum corpus pertinet (wesentlicher Bestandtheil, ohne welchen das andere nicht gedacht wird) aut plerumque coniuncta sunt et uno tempore fieri debent.* Off. I, 38, 136. *Sed ut ad urendum et secandum: sic ad hoc genus raro invitique veniemus. Urere* et *secare* in re medica sunt plerumque coniunctissima. Unde recte Beierus arctius haec non iterata praepositione coniungi docet, cll. Schaefero ad Sophocl. p. XXI.**) et Reisig. Coniectan. in Aristoph. libro I. p. 242. Sic II. de Fin. 13, 40. recte e codd. scribitur *hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et agendum esse natum.* Nam coniuncta haec voluit esse Aristoteles in homine, ut uno tempore utraque facultas exerceatur, et intellectus et vitae actio. Si disiuncta haec esse vellet Aristoteles, Cicero scripsisset *et ad intelligendum et ad agendum.* 3) *in appositione.* Nam quae explicationis causa addunatur, non possunt interposita praepositione divelli. de Invent. I, 5, 7. *Aristoteles tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali.* de Orat. I, 5. *Quid dicam de thesauro omnium rerum, memoria.* Tusc. Disp. III, 15, 33. *Levationem autem aegritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia, et revocatione ad contemplandas voluptates.* 4) *in partiendo.* Off. I, 31, 112. *Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri.* Acad. I, 11, 39. *aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem.* 30, 107. *in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem.* Haec quoniam sibi respondent, nec disiunguntur, praepositio altero membro omittitur. 5) *in enumerando.* Haec praepositio repetenda omittitur propter orationis vigorem, quae lentam istam singularum rerum enumerationem non patitur. Cic. Lael. 21. *Hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris.* Off. III, 23. *Nusquam possumus nisi in laude, decore, honestate utilia reperire.* Brut. 88. *Hortensius erat in verborum splendore elegans,*

compositione aptus, facultate copiosus. Hoc solo ardore excusari potest Cato Mai. 16. *Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumve specie dicam?*

EXCURSUS IX.

DE PART. *UT* PRO *ACC. C. INF.* POSITA.

AD FIN. II, 3, 6.

Multi apud Ciceronem loci reperiuntur, in quibus contra vulgarem dicendi rationem particula *ut* pro *acc. c. inf.* legitur. Triplici id fit modo, aut enim *ut* sequitur verba, quae vel interni vel externi sensus actionem indicant, aut substantiva eiusdem significationis, aut adiectiva cum verb. substant. *est.* At non idem est, utrum ponas *ut* an *acc. c. inf.* Quae structurae quomodo differant, nunc mihi visum est diligentius exponere. Partem laboris tulit Vir Cl. Eduardus Wunder., qui in censura orat. pro Sest. a Muellero editae brevem commentarium de part. *ut* natura et usu composuit, qui insertus est in Jahn. Annal. philol. et paedagog. de anno 1827. T. III. fasc. 2. p. 151 — 163. Quum satis ostendisse videatur Wunder., *ut* esse adverbium, quod significet *quomodo (wie)*, quod postea coniunctionis speciem asciverit, exempla tantum Ciceronis sunt colligenda et illustranda. Adverbium *ut*, nostrum *wie*, quod significat quomodo aliquid sit, respondet ad amussim Graecae part. ὅπως, quae eandem habet naturam. *Ut* autem significare *quomodo* in his formulis, ubi pro *acc. c. inf.* positum sit, aperte docent tales loci, quales hi sunt: Cic. Brut. 17, 69. *Non verisimile est, quam sit utroque genere et creber et distinctus Cato. Non verisimile est* significat proprie *non habet veri speciem*; iam quum quod veri speciem non habet, haud facile credamus, significat etiam *vix credibile est.* Unde sensus huius loci est: *nobis vix explicari potest, quomodo fiat, ut Cato utroque genere tam creber et distinctus esse possit, sicut est.* or. pro Rosc. Com. 7, 21. *Incredibile est, quemadmodum, si Fannius Roscium fraudasse diceretur, utrumque ex utriusque persona verisimile videretur.* Qui nesciunt talia exempla, mirum in modum decepti sunt loco Cic. de N. D. I, 23, 63. *Abderites — Protagoras quum in principio libri sic posuisset:* de divis neque ut sint, neque ut non

sint, habeo dicere — *urbe est exterminatus.* Eandem sententiam repetit Cic. cap. 42, 117. *Ego ne Protagoram* (suspicatiosum esse potuisse censeo) *quidem, cui neutrum licuerit, nec esse deos, nec non esse.* Putant VV. DD. esse hanc Graecam structuram, quum locus sit e Graeco aliquo scriptore expressus, in quo fuerit ὅτι pro *ut.* At non ita se res habet. Legitur enim apud Diog. Laert. IX, 51. haec verba de Protagora: Ἔλεγέ τε μηδὲν εἶναι ψυχὴν παρὰ τὰς αἰσθήσεις (καθὰ καὶ Πλάτων φησὶν ἐν Θεαιτήτῳ) καὶ πάντα εἶναι ἀληθῆ· καὶ ἀλλαχοῦ δὲ τοῦτον ἤρξατο τὸν τρόπον, περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν, h. e. *de diis neque aliquid afferre possum, quo esse eos aut aiam aut negem.* Idem Sext. Empir. adv. Mathem. p. 319. ὁ δὲ Προταγόρας ῥήτωρ ὑπογράψας περὶ θεῶν οὔτε εἰ (h. e. *num*) εἰσὶν, οὔτ' ὁποῖοί τινες εἰσὶν, δύναμαι λέγειν· πολλὰ γάρ ἐστι τὰ κωλύοντά με. Plures locos affert Menag., quibus adde Valer. Maxim. I, 1. extern. 7. — In tria illa exemplorum genera videamus et, quantum fieri potest, illustremus. 1. *Verba: Probare.* Cic. de Fin. II, 33, 108. *Qui probari potest, ut is, qui propter me aliquid, plus quam ego ipse gaudeat* h. e. *quomodo certe ostendi potest, qua ratione is, qui propter me aliquid, plus, quam ego ipse gaudeat.* Hoc si sine dubitandi formula eloquimur, ita se habet: Nullo modo potest probari, eum, qui propter me aliquid, plus, quam ego ipse, gauderet. Sententiae quidem nulla est diversitas, sed modestior fit oratio dubitanter re pronunciata. Nam ut urbanior est oratio in formula *haud scio an hic vir sit omnium optimus*, quam si dicitur *scio hunc virum esse omnium optimum* (cfr. not. ad Fin. II, 9, 27. p. 109.) sic etiam haec oratio, quae dubitanter rem enunciat, modestior est, quam altera. Tusc. III, 3, 5. *Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit, quum ipsam medicinam corporis animus invenerit.* H. e. *non potest ulla ratio afferri, qua pateat, animum sibi mederi non posse.* — *Approbare.* Fin. III, 13. 43. *ut hoc idem approbandum sit nobis, ut, qui plura habeat ea, quae in corpore magni aestimantur, sit beatior.* — *Adducor.* Vid. not. ad Fin. I, 5, 14. extr. — *Concedo.* Cic. Acad. II, 17, 55. *Deinde postulas, ut, si mundus ita sit par alteri mundo, ut inter eos ne minimum quidem intersit, concedatur tibi, ut in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui sic sit par, ut* etc. *Concedere* est approbare aliquid ita esse, ut alter esse dixerit. Sensus est igitur: *Postulas ut tibi concedatur, posse rationem afferri, quomodo in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui sic sit par* etc. de Orat. I, 58, 248. *De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut, sine ulla iuris scientia, tamen causis satisfacere possim, tibi*

r, *Cresse*, *respondeo*. Fin. V, 26, 78. *Atqui, inquit, si Stoi-, concedis, ut virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam.* ıcedis *etiam Peripateticis.* — *Assentior.* Legg. II, 5, 11. *As-tior, frater, ut, quod est rectum, verum quoque sit, neque literis, quibus scita scribuntur, aut oriatur, aut occidat.* sentiri h. e. est *concedere*, unde eadem est ratione explican-m. — *Dare* i. e. *concedere.* Tusc. I, 32, 78. *eo con-so, quod volunt, consequens, id certe non dant, ut, quum permanserit* (animus) *ne intereat.* Hoc loco moneor, ut particulis *ut ne* coniunctis, ὡς ἐν παρόδῳ dicam, quum tissimus sit ad id docendum, quod nescio quomodo tam diu nerit. Quum *dare* idem h. l. significet, quod *concedere* i. e. sentire *aliquid ita vel aliter se habere, prout adversarius* luit, apparet, verba *id non dant, ut animus ne interet no-e: id sibi persuaderi non patiuntur, quomodo animus non ereat.* h. e. *putant animum interire.* Ex hoc loco luculen-sime apparet ne his in locis, ubi cum *ut* coniungitur, anti-am esse formam pro *non*. Hinc simul intelligitur, cur crebro praeceptis reperiatur *vide ut ne* h. e. *quomodo non*, hoc t, *cave ne*. Non minus facile intelligitur, cur dici possit *ca-ndum est ut ne* h. e. *cavendum est, quomodo non*, v. c. *Cave ne quid committas, quod contra deos pugnet.* I. e. *Provide omodo non aliquid committas; vide ut caveas aliquid facere, he dich vor, wie du verhüten kannst, dass du nicht etwas ust.* Hoc idem modestius dictum est, quam si iubeas, *ne quid c.* Utrumque igitur dici potest et *vide ut ne* et *vide ne*, quo-n altera est modestior formula, altera sine ulla cunctatione ɔet, quid sit faciendum. Muto igitur sententiam, quam ne-io quo loco ad Fin. Bon. et Malor. de hac formula dixi. ɜdeundum est ad rem, quae propria est huius disputationis. ɣre eadem significatione legitur V. Tuscul. Disp. 11, 34. *uare demus hoc sane Bruto, ut sit beatus semper sapiens: am sibi conveniat, ipse videbit.* — *Retineo.* N. D. I, 34, . *Sed clamare non desinitis retinendum hic esse, deos ut bea-s immortalisque sit.* H. e. *firmiter rationem tenendam esse, a appareat, quomodo* etc. — *Teneo.* Tusc. V., 11, 34. *nos men teneamus, ut sit idem beatissimus* — *Conservare* i. q. nere. Fin. IV, 13, 33. *Quomodo autem, quod ipsi etiam fa-tur, constatque inter omnes, conservabitur, ut simile sit om-um naturale illud ultimum, de quo quaeritur,* — *Convenit.* ıil. VII, 2, 4. *Qui enim convenit, ut, qui in rebus improbis pulares fuerint, iidem in re una maxime populari, quod ea-m salutaris reipublicae sit, improbos se, quam populares esse alint.* H. e. *quae ratio potest afferri, quomodo pro-bile, reddi potest, quomodo* etc. Quae praeterea afferuntur

exempla, habent suam quandam excusationem. Veluti Tusc. III, 31, 75. *Additur ad hanc definitionem a Zenone recte, ut illa opinio praesentis mali sit recens. Additur* quasi iubentis est, unde *ut.* de Orat. III, 34, 138. *Quid Pericles? de cuius dicendi copia sic accepimus, ut, quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur. Ut* positum est propter particulam *sic*, quae cum ceteris coniuncta hunc fere habet sensum: *cuius dicendi copiam tantam fuisse accepimus, ut — videretur.* Mirum est Grammaticos exclusisse ex hoc censu verba *sequi* et *efficere*, ubi significant *concludere*, quae naturaliter asciscunt *acc. c. inf.* Sequitur tamen interdum *ut.* Verbi *sequi* exempla suppeditant grammatici, sed verbi *efficio*, quod rarius ita construi iidem dicunt, Ciceronis tria novi exempla. Tusc. V, 38, 110. ex. *Ex quo effici putat ille, quod quaerimus, ut sapiens semper beatus sit. Effici* i. e. *rationibus probari quomodo* etc. Legg. I, 8, 25. *Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur ac noscat.* Fin. II, 5, 15. *ex quo efficitur, non, ut nos non intelligamus, quae vis sit istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum neglegat.* — *Definio, distinguo* et *describo.* Vide Kuehner. ad Cic. Tusc. IV, 6. init. 2) *Substantiva cum verbis.* — *Habet aequitatem.* Off. II, 22, 79. *Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam seculis possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habeat amittat.* H. e. *quomodo ostendi potest, qua ratione iustum sit, eum* etc. *Sententia vera est.* Amic. 16, 57. *Nec enim illa* (sententia) *prima vera est, ut quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus.* H. e. *nec illud potest ostendi, quid cogat, ut* etc. — *Ius est.* Phil. II, 37, 96. *Sciebat homo sapiens, ius semper hoc fuisse, ut, quae tyranni eripuissent, ea, tyrannis interfectis, ii, quibus erepta essent, recuperarent. Ius est* h. l. significat, *e more iustum est, fit ita.* Sic Verr. V, 47, 125. *Nempe hoc fuit iure, iudices, ut ex sinu patris nobilissimus adolescens, et e complexu matris ereptus innocens filius, istius carnifici Sextio dederetur.* I. e. *hoc scilicet iure factum est.* Sic etiam *mos est* explicari debet Brut. 21, 84. 85. Verr. I, 26, 66. *E republica credo.* pro Sest. 41, 89. *Etiam e rep. credidit, ut, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo, neque in reip. periculo pertimesceret. E republica est* significat *utile est civitati.* Sensus est igitur *utile censuit esse ostendere, quomodo* etc. — *In sententia esse.* Legg. III, 13, 55. *Nam ego in ista sum sententia — nihil ut fuerit in suffragiis voce melius,* h. e. *ego semper cogitavi, quam nihil in suffragiis fuerit melius.* Verte:

ich habe stets die Meinung gehabt, wie doch nichts beim Stimmen besser sei als die Stimme. 3) *Adiectiva c. verbo substantivo.* — *Apertum est* Verr. I, 57, 149. *quid poterat esse apertius, quam nunc est, ut uno minus teste haberet.* H. e. *nihil minus apparet, quam ea ratio, qua nullum testem habuerit.* — *Certum est* Ep. ad Attic. X, 4. med. sect. 3. pr. *nostri hominem, nihil occultavit: inprimis nihil esse certius, quam ut omnes, qui lege Pompeio condemnati essent, restituerentur* h. e. *nihil certius posse dici, quam ratio, quomodo fiat, ut restituerentur.* — *Consentaneum est* Fin. III, 13, 43. *Ne illud quidem est consentaneum, ut, si, quum tria genera bonorum sint, quae sententia est Peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis, aut externis bonis plenior.* H. e. *Ne illud quidem credibile est, quomodo.* 20, 68. *consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rem publicam; atque ut e natura vivat, uxorem adiungere ei velle ex ea liberos.* H. e. *explicari potest quomodo.* Cfr. IV, 17, 48. *Quid autem minus consentaneum est, quam — reverti se ad naturam.* — *Credibile est* Cic. V. Verr. 6, 13. *Hoc vero novum et eiusmodi est, ut magis propter reum, quam propter rem ipsam credibile videatur, ut homines servos, ut ipse, qui iudicaret, ut statim e medio supplicio dimiserit, ut eius facinoris damnatos servos, quod ad omnium liberorum caput et sanguinem pertineret.* Recte vertit Wunder. l. c. *Dies ist aber neu und von der Art, dass es mehr des Beklagten als der Sache wegen glaublich scheint, wie er selbst, der geurtheilt hatte, Sklaven habe entlassen können.* — *Incredibile est* pro leg. Manil. 21, 62. *quid tum incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet.* — *Falsum est* de Divin. II, 31, 66. *De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit angui.* H. e. *falsa potest esse narratio, ut,* ut nos dicimus *die Erzählung, wie er mit einer Schlange umwunden, gewesen sei, kann falsch sein.* — *Inauditum est* de leg. agrar. II. 10, 26. *Iam hoc inauditum, et plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus.* H. e. *vix credibile est, quomodo — dari potuerit.* — *Integrum est* Tusc. V, 21, 62. *atque ei ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, civibus libertatem et iura redderet.* H. *ei ne potestas quidem erat, ratio, qua* etc. pro Mur. 4, 8. *neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam.* Phil. XIII, 17, 34. ex. *Nihil vidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipiant, quem tanto studio consensuque defenderint.* — *Inusitatum est* pro leg. Manil. 21, 62. *Quid tam inusitatum, quam ut, quum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum*

maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur. H. e. *quid minus cogitari potest, quam quomodo — missus sit* — *Magnificum est et gloriosum.* Divin. II, 2, 5. *Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia literis non egeant.* H. e. *gloriosum est et magnificum, quam non egeant* (wie sehr sie nicht bedürfen griechischer Werke). — *Nihil maius est, quam ut* de Orat. II, 42. *Nihil est in dicendo maius, quam ut faveat oratori is, qui audit* h. e. *nihil difficilius est ad efficiendum, quam quomodo.* — *Mirum est* de Divin. II, 31, 66. *Sed ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Solonio praesertim, ubi ad focum angues mundinari solent* h. e. *non mirum est, quomodo esse potuerit* etc. — *Optimum est* Fin. II, 3, 6. *Hoc vero optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id extremum, id ultimum bonorum, id ipsum quidem quale sit, nesciat* H. e. *Vix credibile est, quomodo* etc. Nam *optimum est* innice est dictum, ut nos dicimus: das ist das beste Stückchen; h. e. *vix credibile est.* — *Proprium est.* Off. II, 22, 78. extr. *Id enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia.* H. e. id proprie convenit civitati et urbi. Nos *das ist das Wesentliche einer Stadt, dass* etc. I. e. *hoc opus est, ut civitas sit.* — *Singulare est* pro leg. Man. 21, 62. *Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus, consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset.* Verte *Was ist so auffallend, als das, wie* etc. — *Solidum est* Divin. in Caecil. 7, 22. *At enim solidum id est, ut me Siculi maxime velint.* H. e. *Maxime credibile est, quomodo.* Nam *solidum est* fere idem significat, quod *verum est*, quae formula item ut recipit. — *Tritum et celebratum est* pro Flacc. 27, 65. *Quid — in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? Tritum atque celebratum est* significat *fit ut.* — *Verum est* de Amic. 4, 14. *Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum, nec ullus sensus maneat, ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali.* H. e. *Si vere ostendi potest, quomodo — interitus esse possit.* 14, 50. *concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant* h. e. *cogitari vere posse, ut (wie) — Verisimile est* Cic. pro Sest. 36, 78. *An verisimile est, ut civis Romanus aut homo liber quisquam cum gladio in forum descenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, praeter eos, qui — saginantur.* H. e. *an credibile est, quomodo.* Vid. p. 409. pro Rosc. Amer. 41, 121. *Non est verisimile, ut Chrysogonus horum literas adamarit aut humanitatem; non, ut rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum*

et fidem. Verr. IV, 6, 11. *verisimile non est; ut ille homo — anteponeret.* pro Sull. 20, 57. *verisimile non est, ut — hunc — ab se dimittat.*

EXCURSUS X.

DE DISCRIMINE TEMPORIS PERFECTI ET IMPERFECTI IN ENUNCIATIS CONSECUTIVIS CUM *UT* ET *QUI.*

AD FIN. II, 19, 62.

Quum multi sint, qui Cornelii Nepotis elocutionis proprium censent, ut in narrando perfectum sequatur perfectum pro imperfecto, hanc sententiam exemplis e Cicerone petitis refellere in animo est. Omnia Nepotis exempla sunt eiusmodi, ut enunciata sint consecutiva (*Erfolgssätze*). Veluti Alcib. 6, 4. *Postquam astu venit, concione advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lacrimarit.* In his autem id ita fieri, nihil est mirum. Nam quum perf. coniunct. simpliciter narret, quid factum sit; imperfectum aut durantem aut repetitam actionem aut inceptam, nondum tamen absolutam significet, aut faciat, ut ad id tempus respiciamus, quo aliquid factum est, apparet, perfectum coniunctivi enunciatis consecutivis aptissimum esse, quippe quorum natura eiusmodi sit, ut actionem significent praeteritam illam quidem, sed diiudicatam ab eo, qui de ea in praesentia disputat, eiusque eventum narrat. Imperfectum sequitur tum, quum non de eventu (Resultat) actionis disputatur, sed aut ad id tempus spectatur, quo quid est factum, aut si actio est repetita, aut incepta et nondum perfecta. Non autem putandum est, Nepotem ex vitio perfectum pro imperfecto posuisse, sed, quum sit historicus, utrumque ei licuit, et diiudicare rerum eventus, et eas ita narrare, ut facta sunt, ratione habita eius temporis, quo facta sunt. V. c. Alc. 6, 4. *Postquam astu venit, concione advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lacrimarit,* H. e. *eventus concionis eiusmodo fuit, ut omnes lacrimarent eius casum.* Si dixisset *sic verba fecit, ut omnes lacrimarent,* revocasset lectores ad illud tempus, quo lacrimarint omnes. Sed non vult narrare, id quod fieret, si imperfecto uteretur, sed dicere, quid

effecerit concio Alcibiadis. Ex his autem apparet, cuique scriptori licere hac temporum consecutione uti; et, si Cicero historicus scriptor esset, fortasse eodem modo esset locutus. Nam pleriqne eorum historicorum, qui brevitatis studio tenentur, non narrant, quid factum sit sed rerum gestarum eventus explicat. Unde apud minores scriptores historicos hanc dicendi rationem frequentissime reperiamus, veluti apud Suetonium, Aurelium Victorem, Cornelium Nepotem, Florum, saepe apud Caesarem et Livium. Docte, sed nimis late hac de re disputavit Kraeger Ueber die Folge der Zeiten in der Oratio obliqua und recta. Untersuchungen aus dem Gebiete der latein. Sprache. 2. Heft. p. 152 — 193. Cfr. Reuscher latein. Syntax. §. 331. Ramshorn. p. 599. et 547. Veniamus ad exempla, et primum quidem id videamus, quod disputationis est fons. Fin. II, 19, 62. *quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius quam ipsis nobis consuluerimus.* Gud. 1. et Oxon. ξ. *consuleremus.* Non autem ad illud tempus respicit, sed qui eventa rerum gestarum suarum fuerit vult docere. Addit Goerenz. huic exempla. XI. Philipp. 3, 8. *Ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis — quamquam eius nunquam particeps fuit — ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in viro, sed etiam in mortuo, atque in eius corpore lacerando atque vexando, quum animum satiare non posset, oculos pascerit suos.* pro Arch. 5, 9. *Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lucullum, praetorem, et ad iudices venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit.* II. ad Att. ep. 16. *Quid quaeris? primum ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit.* ib. IV, ep. 1. med. *ita iter feci, ut undique ad me cum gratulatione legati convenerint.* Ex hoc loco corrigendum censet pro Milon. 31, 86. *nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae Deae — primum illud vulnus acciperet, quo deterrimam mortem obiret.* „Plures ibi scripti *acceperit*, quod est reponendum: nam constructio eadem est, ac si scriptum esset *factum est, dicemus* omisso." *Goer.* quis recte Latine dixerit: *nisi hoc forte etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae Deae — primum illud vulnus acceperit, quo deterrimam mortem obiret.* Non eventum enim rei vult docere, sed de facto ipso disputat. Unde rectissime cum optimis codd. Orell. retinuit *acciperet.* Enunciatum non est consecutivum, in quo *ut* vertitur *so dass*, sed narrativum, ubi *ut* significat *dass.* Adde pro Rosc. Amer. 12, 33. *quae* (mors) *tantum potuit, ut omnes cives suos perdiderit et afflixerit.* pro Muren. 5, 11. *harum trium partium prima illa, quae gravissima esse debebat, ita fuit infirma et levis, ut illos leges magis*

quaedam accusatoria, quam vera maledicendi facultas de vita L. Murenae dicere aliquid coegerit. 9, 20. *Asiam istam refertam et eandem delicatam sic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit, maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator.* 15, 33. *expulsus regno tandem aliquando, tantum tamen consilio atque auctoritate valuit, ut se rege Armeniorum adiuncto, novis opibus copiisque renovarit.* 16, 34. *Itaque ipse Pompeius, regno possesso, ex omnibus oris ac notis sedibus hoste pulso, tamen tantum in unius anima posuit, ut, quum omnia, quae ille tenuerat, adierat, sperarat, victoria possideret, tamen non ante, quam illum vita expulit, bellum confectum iudicarit.* Verr. II, 3, 8. *Magistratuum autem nostrorum iniurias ita multorum tulerunt, ut nunquam ante hoc tempus ad aram legum praesidiumque vestrum publico consilio confugerint.* III, 41, 97. *In C. Cassio, viro clarissimo et fortissimo, quum is eo ipso tempore, primo istius anno consul esset, tanta improbitate usus est, ut, quum eius uxor, femina primaria, paternas haberet arationes in Leontino, frumentum omne in decumas auferri iusserit.* Off. II, 22, 76. *Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paullus: tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum.* Tuscul. V, 20, 60. *Atque eo facto sic doluit, nihil ut tulerit gravius in vita.* Ep. ad Att. I, 16. *Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel, sed saepe, multisque verbis suis mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit.* XI, 9. *Hac ille acerbitate initio navigationis quum usus esset, tanto me dolore affecit, ut postea iacuerim.* Phil. I, 15, 36. *qui ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.* „Sic cod. Vatican. a. m. prima. Rectissime: *tribuerit* tum semel; *leniret* et tum, et nunc quoque leniat. Vatic. a. m. sec. *tribueret* — *leniret* — al. tribuerit — lenierit. *Orell.*“ Idem fit, ubi *qui* pro *talis ut* ponitur. V. c. pro Balb. 10. extr. *Etenim, quum, pro sua patria, pauci, post genus hominum natum, reperti sint, qui, nullis praemiis propositis, vitam suam hostium telis obiecerint* etc. h. e. *qui tales fuerint — ut obiecerint.* pro Muren. 11, 25. *Inventus est scriba, quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit et ab ipsis cautis iuris consultis eorum sapientiam compilarit* h. e. *qui talis fuit, ut* etc.

EXCURSUS XI.

DE CONSTRUCTIONE ADIECTIVI *SIMILIS* ET *DISSIMILIS*.

AD FIN. V, 5, 12.

Leguntur ibi haec verba: *Quare teneamus Aristotelem et eius filium Nicomachum; cuius accurate scripti de moribus libri, dicuntur illi quidem esse Aristotelis, sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius.* Est hic locus ex iis, qui grammaticorum praeceptis repugnare videntur. Nam quum vulgo doceant, adiectivum *similis*, ubi externam similitudinem significet, cum dativo apud Ciceronem coniungi; in interna similitudine cum genitivo, adversatur hic locus huic regulae. Nam de ingenii similitudine sermonem esse apertum est. Restat, ut peccasse dicas in scribendo Ciceronem, ut visum sit quodammodo Goerenzio, qui se non repugnare dicit, si scribatur *patris*, ut in aliis locis. Recte. Potest utraque ratione scribi, prout aut interna aut externa notatur similitudo. Reperiuntur contra loci, ubi genitivus in externa similitudine ponitur, et dativus in interna, ut nostro loco, de quo vel maxime quaeritur. Singularem scriptionem composuit *Mueffelman quaestio versuane si adiectivum similis dativo, in interna gignendi casui adiungi.* Schwerin 1825. Sed haec res, ut recte diiudicetur, ab origine repetenda est. *Similis* ubi cum *genitivo* coniungitur *substantivo* ponitur, quasi dicas *imago*, ut Cic. de N. D. I, 28, 79. *Est vis tanta naturae, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse. Et quidem formica formicae.* Verte: *Die Gewalt der Natur ist so gross, dass der Mensch nur ein Ebenbild des Menschen sein will.* Significatur ergo per genitivum, hominem ex omni parte velle homini similem esse. Hinc intelligitur, genitivum et in externa et in interna similitudine poni posse. *Dativus* cum adiect. *similis* significat, similem quidem esse aliquam rem alteri, sed non ita similem, ut tota natura sit eadem; unde etiam ad internam similitudinem significandam ponitur dativus, si quem accedere alteri similitudine significatur, non tamen prorsus eundem esse. Ita *similem esse alicui* comparari potest cum nostro verbo ähneln. Cfr. Cic. Acad. II, 37, 118. *Democritus huic in hoc similis* h. e. *non plane est similis ei, sed imitatur eum.* Fin. V, 5, 12. *quare teneamus Aristotelem et eius filium Nicomachum: cuius accurate scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristotelis, sed non video, cur non potuerit patri si-*

milis esse filius h. e. *non video, cur non possit accedere ad similitudinem ingenii patris.* Si genitivus ponitur, significatur: *non video cur non prorsus possit ingenium habere patris.* Sed de hoc non disputat. Miratur tantum eos, qui prorsus diffidant de scriptis Nicomachi. Sic I. Off. 33, 121. *non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui.* Sermo est de omni vita, qua filius Africani non totus similis fuerit patri. V. Verr. 12, 30. *consuetudo tamen ac disciplina patris similem esse cogeret*, ex Oxon. ψ. reponendum videtur Goerenzio, quod recepit Orellius. Sed tamen difficile est ad dicendum, ad quantum similitudinis gradum pervenisse dicatur Verres. Pendet igitur iudicium ex codd. auctoritate. Utraque constructio coniuncta reperitur II. de N. D. 59. *plectri similem linguam nostri solent dicere; chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.* Hoc loco, ut ne subtilius, quam iustum est, rem explicemus, fortasse ideo dativum tertio loco posuit, quoniam genit. *cornuum* Ciceroni non placuit. Cfr. alia exempla ap. Ochsner. in Eclog. Cic. p. 197. Hess. ad Tacit Germ. 4, 1. Paucis ut repetam, hoc statuo: ubi aliqua res alteri omni ex parte similis est, genitivus ponitur; ubi ad similitudinem accedere tantum dicitur, cum dativo construitur adiectivum *similis.* V. c. *similis est patri* notat, habere aliquam similitudinem patris; *similis est patris* significat totum patrem aut ingenio aut forma exscripsit.

EXCURSUS XII.

DE POSITU PRONOMINUM PERSONALIUM IN CONSTRUCTIONE *ACC. C. INF.*

AD FIN. V, 13, 93.

Primus, quod sciam, Goerenzius ad Ciceronis opera philosophica disputavit de positu pronominum personalium in constructione accusativi cum infinitivo. Nam quum plures loci reperiantur, in quibus codd. hac in re inter se discrepant, dubitatum est a VV. DD., quis quoque in loco ordo esset anteferendus. V. c. Fin. l. c. haec legimus: *quum tantum igitur in virtute ponant hi, qui se fatentur virtutis causa, nisi ea voluptа-*

tem acciret, ne manum quidem versuros fuisse: quid facere non oportet etc. Sic Goer. Sed optimi codd. Spir. Erl. exhibent *fatentur se.* Quaeritur, quid sit praeferendum. Goer. disputavit hac de re ad Fin. I, 1, 1. II, 22, 74. V, 20, 55. 31, 93. ad Acad. II, 4, 10. 28, 89. Lindemann. Lectiones Cic. Spec. I. p. 6. seqq. Zittav. 1830. Kuehner. ad Cic. Tusc. Disp. I, 8, 16. Goereuzius nihil ad rationem certam revocavit, sed ex codd. omnia emendavit, quum sibi persuasisset, pronomen personale praemitti accusativo cum infinitivo. Sed hoc non satis esse quum recte Lindemannus intellexisset, ad certas quasdam regulas rem vocavit. Pronomina quatum per ipsius enunciati naturam fieri posse, primo, hoc est ab initio enunciati proximo loco ponenda esse. Multas tamen eam rem admittere exceptiones atque exceptiones et primum quidem relativa pronomina, coniunctiones, verbo omnes voculas, quae relationem ad superiora indicent, esse praeponendas, veluti Cic. de Finib. II extr. *Quos quidem tibi studiose et diligenter tractandos magnopere censeo.* Idem Tusc. IV. 46. *Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem.* Contra ibid. V, 6. *Facile patior, te isto modo agere.* Tum si pondus universae sententiae in aliquo vocabulo tam inseguite insit, ut ni illud praeponatur, non recte intelligatur enunciatum, sponte apparere, pronomen personale non posse ante illud poni. Veluti Cic. Tuscul. II, 14. *Ecquid scis igitur, si quid de Corinthiis tuis amiseris, posse habere te reliquam suppellectilem salvam; virtutem autem si unam amiseris, etsi amitti non potest virtus, sed si unam confessus fueris te non habere, nullam te esse habiturum.* Hoc loco neminem esse, qui ferendum putet: *te nullam esse habiturum.* Cum hoc coniunctissimam esse rationem illam, si pronomen personale tam levis sit ad sententiam momenti, ut pro enclitico haberi debeat. Cuius rei exemplum loco proxime citato affuerit: *posse habere te reliquam suppellectilem salvam*, idque semper usu venire debere, quum *te, tibi, se, sibi, me, mihi*, circumscriptioni unius vocabuli vel unius notionis inserviant. Velut, ubi *tibi, te* aliquam, quum demum cunque personam indicent, et universalem enuncient sententiam. Cic. Tusc. I, 36. *Quum aliquid non habeas et non habere te sentias.* Ibid. paullo post: *Sed in vivo intelligi tamen potest, regno te carere.* Ubi ferri nequeat: *te regno carere.* Hanc ultimam regulam brevius ita complectimur: ubi pronomina personalia subiectum indefinitum indicant, quod nostro *man* respondet, postponendum esse pronomen. Haec quum egregie disputata sint, pauca addere liceat, intertextis quam brevissime fieri poterit Lindemanni V. Clarissimi sententiis. Pronomina personalia praeponenda sunt regenti verbo, ubi in pronominibus vis est oppositionis. V. c. Fin. I, 1, 1. *Erunt etiam*,

et hi quidem eruditi Graecis litteris, contemnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operam multo consumere. Pronomen praemittitur ea vi, ut significet *se quidem*, ita ut intelligas: *an alii idem sentiunt, se non curare.* Verte: *welche sagen, dass sie wenigstens.* Haec regula autem hanc patitur restrictionem, ut vitetur malus sonus v. c. si legeretur: *si unam virtutem confessus fueris te non habere, te nullam esse habiturum dicito.* Goer. ad Acadd. II, 28, 89. ubi haec verba leguntur: *nonne etiam his se exclamavit videre, quum omnino non videret?* citat III. ad Att. ep. 5. *Quomodo igitur Domitius se dixit relaturum.* Verte: *Wie sagte also Domitius, dass er berichten werde.* V. Fin. 31, 93. *qui se fatentur virtutis causa — ne manum quidem versaturos fuisse.* At optimi codd. Spir. et Erl. exhibent *fatentur se*, quod reposui, quia nulla est in his oppositio cogitanda. I. Att. ep. 8. *Is sibi negat a suo procuratore quidquam scriptum esse.* Verte: *Er sagt, dass ihm wenigstens von seinem Verwalter nichts geschrieben worden sei.* Idem ad Acad. I, 2, 7. ubi haec reperiuntur: *quod bonum quale sit, se negat omnino Epicurus sine voluptatibus, sensum moventibus nec suspicari.* (Verte: *Epicurus sagt, er vermuthe nicht einmal* etc.) laudat II. Acad. 25, 79. *tu autem te negas infracto remo, neque columbae collo moveri.* Hic pron. *tu* satis ostendit, esse oppositionem. II. Philipp. 12, 29. *si id, quod me, arguis voluisse interfici Caesarem, crimen sit.* Hoc rectius quum interpunxerit Orell. ita: *si id, quod me arguis, voluisse interfici Caesarem, crimen sit*, huc non pertinet. Verte enim: *wenn das, wessen du mich beschuldigst, nämlich, dass ich gewollt habe, dass Caesar getödtet werde, ein Verbrechen ist* etc. V. Fin. 31, 93. vide supra. I. Acad. 5, 18. *Quid me, inquam, putas, qui philosophiam iam professus sim populo nostro exhibiturum?* Verte: *was glaubst du, dass ich, der ich auf die Philosophie bekenne, dem Volke geben werde?* ibid. I, 4, 16. *ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod haec esset una omnis sapientia, non arbitrari, scire se scire.* Verte: *deshalb glaube er, sei er von dem Apollo der Weiseste genannt worden* etc. Ipse nimirum summam sapientiam professus erat hanc esse, scire, se nihil scire. Cfr. Acad. II, 4, 10. *expecto ea, quae te pollicitus es, Luculle, ab Antiocho audita, dicturum.* Pronomen praepositum, in quo nulla vis est oppositionis, h. l. eo excusatur, quod ante vocativum vix collocari potuit, et ante *dicturum* malum efficit sonum propter ultimam syllabam v. *audita.* Ad Acad. II, 23, 72. citat I. Tusc. 8, 16. *Sed quae sunt ea, quae te dicis maiora moliri.* Recte tamen Kuebner ad h. l. „Goerenz. ad Acad. II, 23. p. 135. e binis suis codd. legi

vult: *te dicis*, quum pronomina, quae ad. acc. c. inf. pertinent, verbis dicendi praemitti soleant. Cfr. eundem ad Fin. II, 22. p. 233. Ego vero puto, et praeponi et postponi posse pronomina, diversa scilicet sententiae vi. Quare h. l. nihil mutaverim." Nulla est enim in pron. vis. Fin. II, 22, 74. *quid mereris igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse?* Quum h. l. nulla sit causa oppositionis, scripsi cum optt. codd. *dicas te.* V, 20, 55. *omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, qui in pueritia facillime se arbitrentur naturae voluntatem posse cognoscere.* Praeposuit pron., quia post *arbitrentur* inepto loco poneretur et post *posse* nimis sonus elaberetur. Off. III, 5, 13. *qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil se existimat facere contra naturam* etc. Recte Orell. ex optimis codd. *nihil existimat se facere contra nat.* Nulla est enim vis in pron. Fin. V, 20, 56. *ne bestiae quidem, quas delectationis causa concludimus, quum copiosius alantur, quam si essent liberae, facile sese patiuntur contineri.* Sic scripsi e Spir. et Erl., quum vulg. sit *patiuntur sese.* At ipsum pron. compos. docet, vim esse in eo, unde praeponitur. II. Catil. 8, 17. *Cur tamdiu de uno hoste loquimur et eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem*, Goerenzius ad Fin. V, 31, 93. p. 651. b. ex binis optimis suis legendum censet *se fatetur*, omisso *iam*. Non recepit Orell. et recte quidem, quia pron. sine ulla vi est positum. Ex his exemplis apparet pron. personale regenti verbo postponi 1) ubi nulla est oppositio, h. e., ubi in pronomine nulla vis est, quod etiam ibi fit, ubi pron. personale nostro pronomini indefinito *man* respondet, v. c. Tuscul. Disp. I, 36. *Etiamsi sentias te non habere.* Verte: *auch wenn man merkt, dass man es nicht habe.* Ibid. *Quum aliquid non habeas et non habere te sentias.* Ibid. paullo post *Sed in vivo intelligi tamen potest, regno te carere.* 2) ibi, ubi pondus universae sententiae in aliquo vocabulo tam insigniter inest, ut, ni illud praeponatur, non recte intelligatur enunciatum v. c. Tusc. II, 14. *Ecquid scis igitur, si quid de Corinthiis tuis amiseris, posse habere te reliquam suppellectilem salvam; virtutem autem si unam amiseris, (etsi amitti non potest virtus), sed si unam confessus fueris te non habere, nullam te esse habiturum.* Primo loco pronomen postponitur, quia nulla in eo est vis; item fit in altero; tertio loco postponitur pron., quia et nulla vis est in eo, et opponuntur sibi *unam — nullam*; hae notiones erant efferendae. Aptissimus ad discrimen docendum est Cat. Mai. 8, 26. *Nec minus me intelligo vobis, quam mihi vos esse iucundos.* Sic scripsi e cod. Dresdensi, quum vulgo legeretur: *nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi*

esse iucundos. Hoc loco tam aperta est oppositio, ut vulgata lectio sit pessima. 3) postponitur pron., si κακοφωνία oriretur v. c. si scriptum esset: *Ecquid scis igitur, si unam virtutem confessus fueris te non habere, te nullam esse habiturum.* 4) ubi perspicuitati noceretur, veluti in exemplo modo laudato nescires, quomodo singula ex se invicem pendeant. Omnino autem censendum est vix alibi certius esse iudicium a codd. petendum, quam hac in re. Semper enim ubi in codd. praeponitur pronomen regenti verbo, id verum esse ratio vincet; quum longe sit credibilius, elegantiorem positum mutatum esse a librariis.

INDEX NOTARUM.

A.

A primo Pag. 219.
a se discedere 325.
Ab aliquo esse 253.
Abire in form. *hoc non ita potest abire* 306.
Ablativus cum praepos. *cum* quomodo differat a simplici ablat. 14. *propter* signif. 42. seq. 51. a comparativo pendens praeponitur comparativo 26.
Absolute vivere 215.
Abs te et *ab te* 354.
Abstracta nomina plurali num. posita 34.
Academici 116.
Accedere et *accidere* conf. 49.
Accusativus adiectivorum cum verbis neutris poetico more 169. acc. c. infin. admirantis 289. accusativus in appositione 152.
Activum et passiv. coniuncta per part. *et* 44. Cfr. Matthiae ad Cic. or. pro Ligar. §. 14.
Acu spinas vellere 252.
Ad in form. *nihil ad hoc* 47. cum adiect. 144.
Adducor construct. 21.
Adest et *praesens est* discrim. 61.
Adiectiva a nomin. propriis deducta nomini proprio praepos. 80. in *bilis* terminata 137. ad plura substant. relata 194.
Admirari aliquid in re 5.
Admissum et *iam missum* conf. 3.
Aeque et 73. seq. *aeque ut* 74.
Aestimare c. ablat. et genit. pretii 201. aestimare et existimare conf. 196.
Affirmare 200.
Afranius poeta 10.
Age 165. *agere* et *facere* discrim. 234. *agere* principia 352.
Albucius 12.
Alcmaeon 290.
Alexandria et *Alexandrea* 339.
Alii et *illi* conf. 313.
Aliquid est 161.
Aliter dicere quin 270.
Allevatio 49.
Amafanius 12.
Ambulare c. acc. loci 183.
Ambulla 268.
Amicitiae exempla 71.
An et *aut* conf. 176. pro *annos* positum 8. 35. 85. in argumentatione a minori ad maius 162. seq.
Anacoluthon. 2. 5. 25. 30. 32. 48. 72. 90. 95. 100. 106. 107. 111. 120. 133. 149. 151. 178. 179. 181. 184. 186. 206. 207. 216. 217. 221. 230. 247. 248. 256. 299. 353. anacoluthon comparationis 169. 210.
Animalia voluptatem petunt 36.
Animi et *cum* conf. 136.
Ancillae partus an sit in fructu habendus 18.
Anne 264.
Antipater 9.
Aqua in form. *in aqua ponere aliquid.* proverb. 150.
Appositio ad clausulam periodi relecta 121. accusativi 152.
Aptum particip. 127.
Arcesilas 80. 308.
Archilochus 186.
Archimedes 337.

Archytas 126.
Aristippus 29.
Aristo 118.
Aristophanes grammat. 337.
Aristoteles 10.
Aristoxenus 337.
Aristus 308.
Assiduitas 55.
At enim 155.
Atho declin. 183.
Atomi 24.
Attendere seq. acc. c. inf. 357.
Attii Philocteta 168. 295. 325.
Attilius poeta 7.
Attractio in form. *nescio quis* 66. c. pron. relat. 84. 98. casuum 86. 145. 285. verbor. imperson. 213. 342.
Audire ab aliquo et ex aliquo 46.
Aufidius Cn. 339.
Aut et *an* conf. 176. *aut* — *et* sibi respondent.

B.

Balbus L. Thorius 144.
Barbati Romani 290.
Baro 154.

C.

Caecilii Hymnis 102. Synephebi 7. versus ex incerta fab. 90.
Calliphon 98.
Calvus poeta 7.
Carmen virtutis 332.
Carneades 117.
Causa in form. *cum causa dimicare* 136.
Ceramicum 46.
Ceteri pro *ceterique* 250.
Charmadas 305.
Chrysippus 9.
Ciceronis de linguae Latinae ubertate iudicium 15. L. Cicero 301. Ciceronis Hortensius 3. de Republ. 140. de Offic. II, 8, 11. explicatur 333.
Cincia lex 133.
Cincinatus 89.
Circeii 254.
Citimus 24.
Cittiei 284.
Collectiva nomina cum plural. verbi 33.
Coloneus locus 303.
Commissi ludi 197.
Commodum et *utilitas* discrim. 48.
Comparatio 125.
Compleri c. abl. 350.
Conchia 237.
Conditionalis sententia sine part. *si* 136.
Confirmare et *conformare* conf. 343.
Coniunctivus dubitanter positus 26. Coniunctivus et indicat. per *et* copulati 141. sine *ut* post *potius quam* 146. 275. post pron. relat. 276. cum *cur non* 204. cum part. *ut* post verba incompleti sensus pro infinit. 302.
Coniunctum esse e re 124.
Constructio ἀπὸ κοινοῦ, ex *negat.* verbo repetendum *affirmativ.* 39. 67. 84. ex *fut.* temp. repet. *perfect.* 184. ex *adiect.* repet. *substant.* 31.
Contemnere et *despicere* discrim. 352.
Continet rem, quod praecipuum est in re 18.
Corniades 368.
Corona hominum 152.
Crantor 306.
Crassus M. 366.
Credo interpositum aliis verbis 10.
Cuiusdammodi 265.
Cum et *animi* conf. 136. c. ablat. quomodo differat a nudo ablat. 14.
Cumanum Varronis praedium 20.
Curiosus 5.
Curius M? 113.
Cur non c. coniunctiv. 204.
Currentem hortari 306.
Cursus virtutis 45.
Curtum 273.
Cynici 241.

D.

Darius et *Dareus* 366.
Dativus et genit. conf. 108. c. pass. 17.
Decere et *discere* conf. 107.
Decii 142.
Decimanus 106.
Decus pro virtute 117.
Deferre ad aliquem 134.
Delectari in re 47.

Democritus vituperatur ab Epicuro 23. 28.
Deorsum et *deorsus* 25.
Depellere et *repellere* conf. 42. Cfr. Matthiae ad Cic. orat. pro Sext. §. 39.
Despicere et *contemnere* 852.
Deus mortalis 122.
Dicaearchus 300.
Dicam in form. *vel dicam* 15.
Dicere in form. *aliter dicere quin* 270.
Dictata 170.
Difficilis et *morosus* discr. 65.
Diodorus 98.
Diogen. Laert. X, 148. emend. 75.
Diogenes 9.
Dipylum 302.
Discedere a se 325.
Discere et *decere* conf. 107.
Dispicere 172.
Disputare rem 89.
Distare pro *differre* 296.
Dividere et *partiri* discrim. 29.
Dixti 87.
Drusus M. Livius 292.
Dubito in form. *non dubito quin* 108.
Ducere familiam 278.
Dummodo et *dumtaxat* conf. 102.
Dumtaxat et *dummodo* conf. 102.

E.

Edere de patella edere proverb. 102.
Efficere aliquid 51.
Ego a scribis omiss. 51.
Egone seq. acc. c. inf. 199.
Ei et *est* conf. 91.
Εἴδωλα 28.
Eiuro 190.
Elaborare et *laborare* discrim. 16.
Eligendi optio 42.
Ellipsis praepositionis altero membro repetendae 56. 122. pron. dem. alio casu repetendi 43. 165. pron. relat. 214. seq. 319. pron. person. verbi dicendi 13. in formula: *tum ille: finem* scil. fac. 96
Endymion 341.
Enim et *esse* et *factum* conf. 66. 77. elliptice positum 32.
Ennii versus ex Hecuba 122. seq. ex Medea 5. 8.
Epicurus inventor veri 10. 40. vituperat Democritum 28.
Ergo in descensu a maiori ad minus 182.
Esse et *enim* conf. 66. *esse in voluptate* 41. *esse ab aliquo* 253.
Est et *ei* conf. 91.
Et pro *etiam* 56. 90. 216. *et — neque* 9. — *et — que* 261.
Etiam repetitum 158.
Ex quando ponatur pro *e* 94.
Exedra 305.
Existimare et *aestimare* discrim. 196. i. q. *diiudicare* 19.
Exitus 82.
Expectare 282.
Extremus et *ultimus* 17. 86.

F.

Facere et *agere* discrim. 234. i. q. *statuere* 254.
Factum et *enim* conf. 77.
Familiam ducere 278.
Fere in form. *non fere* 24.
Finem scil. *fac* 96.
Flagitium et *vitium* discrim. 168.

G.

Gallonius 106.
Gaudium et *laetitia* discrim. 91.
Genitivus a subst. regente longius remotus 64. 281. rectus regenti interpositus 203. 333. duo genit. alter ab altero pendens 20. genit. cum participiis 100. gen. c. adi. *alienus* 18. Genit. 3. declin. plur. in *um* pro *ium* 367. genit. sing. 3. declin. in *i* pro *is* 187. 305. genit. et dat. conf. 108.
Gorgias Leontinus 80.
Granaria Puteolana 159.
Gratus 150.
Gravitas et *pravitas* conf. 268.
Gumiae 105.

H.

Heracleotes Dionysi s 367.
Heraclitus 93.
Herillus 118.
Hermarchus 171.
Hieronymus 86.
Hir 104.
Hirrius C. Postumius 149.

Historiae 32.
Homo in formula *si homo es* 363.
Hostilia 303.
Hyphen: non corpus 272.

I.

Iam missum et *admissum* conf. 3.
Ibidem i. e. in eadem re 25.
Ictus 114.
Idaea sacra 347.
Igitur post parenthesin 178. 206. altius reiectum 364.
Ignavus 65.
Illi et *alii* conf. 313. *illi quidem, sed* 89.
Imperfect. Coniunct. pendet a remotiore Praeter. Ind. 15.
Implicare c. abl. 126.
Importunus 160.
Inanis vox 128.
Indicare et *iudicare* conf. 38.
Indicativus et coniunctiv. per *et* coniuncti 141. in orat. pendente 292.
Infans homo i. e. *qui fari nequit* 59.
Infinitio 28.
Infinitivus in orat. obliq. post pron. relat. 37. exclamantis 111. admirantis 289. post *meum est*, etc. 198.
Inquit 88. 293.
Inscitia et *inscientia* conf. 53.
Instituta et *praecepta* discrim. 307.
Insula domus 159. *insulae beatorum* 338.
Intentus 62.
Ipse pro *is ipse* 16. seq.
Ir 104.
Istu ad singular. numer. relat. 87.
Ita plane 88.
Itaque post parenthesin 25.
Iucunde et *suaviter* discrim. 62.
Iudicare et *indicare* conf. 38.
Iudicia rerum 29.

L.

Labor et *opus* discrim. 16.
Laborare et *elaborare* discrim. 16.
Laboriosus 168.
Lacuna in Cicer. libris de Fin. 29.
Laetitia et *gaudium* discrim. 91.
Lapathum 105.
Laudare i. e. tacito probare 40.
Leontinus Gorgias 80.
Libris et *literis* conf. 19.
Licet constr. 320.
Licinius C. Imbrex 7.
Linea in form. *ad lineam* 25.
Literam unam movere 245.
Literis et *libris* conf. 19.
Locus i. e. argumentum 13. 119. *loco* i. e. *suo loco* 249.
Logicae partes 29.
Loqui rem 107.
Lucilii versus 10. 106.
Luculli villa 179.
Ludi commissi 197.
Lyco 311.

M.

Magister populi 245.
Magno et *magni* aestimare 201.
Male et *prave* discrim. 107.
Manilius M? 18.
Materia et *materies* discrim. 235. Corrige ibid. *Lindemann.* in *vit. duumvir. Hemsterhus.* et *Ruhnk.*
Mediocriter cum negat. 192.
Menander 7.
Metellus Q. 358.
Metrodorus 86.
Meum est seq. acc. c. inf. 198.
Micare cum aliquo in tenebris 132.
Mnesarchus 9.
Modi diversi copulantur per *et* 141.
Monstrosi homines 65.
Morosus et *difficilis* discrim. 65.
Mortalis deus 122.
Movens et *stans* voluptas 113.
Multo adiectivo postpos. 225.
Mundi ornatus 27.
Muto i. e. corrigo 23.

N.

Natura et *a natura* 115.
Ne pro *ne — quidem* 315.
Nec — que 54. *— nec — et* 4.
Nego pro *dico non* 37.
Nescio quis per attract. dictum 66.
Nihil pro *non* 148.
Nisi iron. 22.
Nisi forte iron. 167.

Nisi quod 152.
Nīti et *niti* conf. 114.
Noctes atque dies 58.
Non fere 24. *non tam — sed* 2. *non quo* 248 *Non — nec* 107. *non dubito quin* 108. *non sane* 124.
Nonne in form. *quaero nonne* 139.
Nosse et *notasse* conf. 86.
Notum est omnibus et *omnibus notum est* 153.
Numitorius Q. Pullus 345.

O.

Obscenus 85.
Occultae res 70.
Occurrere 25. 181.
Octavius Cn. 167.
Oedipus declin. 304.
Opera et *studium* discr. 2.
Ὠφέλημα et *ὠφέλεια* 220.
Optimus iron. 33.
Opus et *labor* discr. 16.
Orata L. Sergius 149.
Orationis brevitas 340.
Orestes et Pylades 71. 156.
Ornatus mundi 27.

P.

Pacuvii Antiopa 6.
Paene ad mitigandam metaphoram postponitur verbo 5.
Palatus et *palatum* 105.
Panaetius 9. 284.
Parenthesi adiunguntur ea, quae ad enunciatum primarium pertinent. 95. 218.
Participia cum genit. 100.
Partiri et *dividere* discrim. 29.
Passivum et activum coniuncta 44. 101. Cfr. Matthiae ad Cic. or. pro Ligar. §. 14.
Patella in form. *de patella edere* 102.
Paullo postposs. 76.
Peducaeus Sext. 139.
Perf. in enunciato consecutivo praeced. Perf. 143. *ἀοριστῶς* 55.
Peripatetici 116.
Per se et *propter se* discrim. 89.
Persequi 283.
Persius orator 11.
Petere aliquid ex re 280.
Phaedrus Epicureus 22. 301.
Phalaridis taurus 360.
Philodemus 189.
Piso Frugi 165.
Placitum est pro *placuit* 121.
Platonis itinera 361.
Pluralis verbi cum nomine collectiv. 33. substant. abstract. 34. praeced. singulari 87.
Poetae incerti vers. 97. 142.
Polemo 116.
Polyaenus philos. 27.
Polyclitus et *Polycletus* 186.
Pompeius Q. 133. Pompeiana 247. seq.
Ponere pro *proponere* 82.
Pontius T. 14.
Posidonius 9.
Potest pro *potest fieri* 359.
Potius omissum ante *quam* 88.
Praecepta et *instituta* discr. 26.
Praesens et *quod adest* discr. 6.
Praesens et *Fut.* coniunct. 283.
Prave et *male* discrim. 107.
Pravitas et *gravitas* conf. 268.
Primum non seq. *deinde* 23. 120. 133. *a primo* 219. *primo quidque* 177.
Principia agere 352.
Proclivi labi 359.
Pronom. demonstr. omiss. 48. 165. relat. om. 214. seq. 319. person. omissum post verb. sentiendi 164. person. positus in constr. acc. c. inf. 151. demonstr. post parenth. 145. 193. relat. *qui* plurali post *id genus* 241. relat. repetit. sine copula *que* 6. demonstr. plura coniuncta *hi illi* 277. relat. *quod* ante coniunction. 73.
Propter se et *per se* discrim. 39.
Protasis enunciati conditionalis sine part. *si* 136. seq. *duplex* 10.
Ptolemaeum 301.
Pylades et *Orestes* 71.
Pythagoras 337.

Q.

Quaerere de aliquo aliquid 81.
Quaero nonne 139.
Quaeso et *quasi* conf. 83.
Quam cum negat. 62. seq. *quam vele* 188.

Quamquam non seq. *tamen* 195. c. coniunctiv. 242.
Quandoquidem et *quoniamquidem* 16.
Quasi vero iron. 85. *quasi* et *quaeso* conf. 83. *quasi* in metaph. 99.
Que pro *sed* 96.
Qui postposit. 93. Cfr. Matthiae ad Cic. or. pro Milon. §. 41. — *Qui* et *quantus* 147. — *Quicum in tenebris* proverb. 131.
Quidam cum emphasi dictum 67. adiectivo in mitiganda metaphora praepos. 259.
Quidem in form. *illi quidem* — *sed* 89.
Quid ergo? 85.
Quidque et *quodque* confund. 25.
Quies et tranquillitas discrim. 53.
Quin et *qui non* 108. in form. *non dubito quin* 108. post *aliter dicere quin* 270. pro acc. c. inf. ibid.
Quippe iron. 254. 360.
Quod coniunct. significans *quia* cum coniunct. 31.
Quod neutr. pron. relat. ante coniunctiones posit. 73.
Quodque et *quidque* conf. 25.
Quominus post *non probo* 156. post *quid dici potest* 223.
Quoniamquidem et *quandoquidem* 16.
Quum — *tum* 26.
Quum causalis part. cum Indic. 15. a scribis contextis infertur 175.

R.

Rabirius C. 12.
Ratio i. e. argumentatio 29.
Ratione et *recte* conf. 41. *ratione et via* 125.
Recte et *ratione* conf. 41.
Referre aliquid ad rem 29.
Regula 69.
Regulus M. 145.
Reiicere et *spernere* discr. 6.
Relinquere i. e. praetermittere 25.
Repellere et *depellere* conf. 42. Cfr. Matthiae ad Cic. or. pro Sext. §. 39.
Reprehendere i. e. *accusare* 139. et *vituperare* discrim. 34.
Res occultae 70.
Rogatiuncula 47.
Romani tutores miserunt regibus 347.
Rosa in form. *in rosa potare* 145
Rutilius P. 12.

S.

S finale in versu om. 14.
Sagax 126.
Salutatio vespertina ap. Roman. 20.
Sane in form. *non sane* 124.
Sapientum pro *sapientium* 367.
Satis c. acc. pro genit. 159.
Schola 79.
Scribere pro *vertere* 12.
Se in form. *a se discedere* 325.
Sed post parenthes. 256.
Sed tamen post parenth. 247.
Sedulitas 22.
Si omissum in protasi 135. *si* — *sive* 26. seq. *si minus* et *sin minus* 57.
Similis c. gen. et dat. 310. *similis ut si* 101.
Simonides 176.
Simul pro *simulac* 208.
Singularis verbi post plura substant. 146. transit in plur. 79.
Sipho 104.
Si qui pro *quicunque* 61.
Socrates parens philosophiae 80.
Solem nec occidentem nec orientem videre, proverb. 103. Solis magnitudo 27. seq.
Solet in form. *ut solet* 301.
Solonis verba ad Croesum 162.
Sophistae 80.
Sophoclis Oedipus Coloneus 304.
Spernere et *reiicere* 6.
Speusippus 249. 303.
Spinas acu vellere 252.
Stans et *movens* voluptas 113.
Stasea 307.
Strato 311.
Strigilis 268.
Studium et *opera* discrim. 2.
Suaviter et *iucunde* discrim. 62.
Substantivum genitivo casu repetendum om. 118. subst. primarium ad enunciatum secundarium positum 70. subst. in *io*

agendi rationem significant 70. Subst. Graeca Nom. Propr. in *on* et *o* desinentia 98.
Suspecti loci ap. Cicer. in libris de Finib. Bon. et Malor. 7. 36. 55. 315.
Synesis 117.
Syro 189.

T.

Tam et *tamen* conf. 138.
Tamen et *tam* conf. 138. et *tum* 139.
Tangor c. acc. c. inf. 22.
Tantali fabula 64.
Tantum nur soviel 120. i. e. *tantum satis est* 38.
Tantum abest ut — etiam 133.
Tendere in form. *quid tendit?* 95.
Tenebrae: quicum in tenebris proverb. 131. seq.
Tenuitas limata 224.
Terent. Heaut. I, 1, 1. p. 92. I, 1, 7. p. 4.
Themista 147
Theophrastus 9. eius scripta 309.
Tiberina decursio 351.
Titillare 47.
Tollere et *velle* conf. 240.
Tormina 172.
Torquatus L. 19. A. 150. T. 31. *Manlius* 30.
Trabea poeta 90.
Tranquillitas et *quies* discr. 53.
Transferre i. e. *vertere* 10.
Triarius 20.
Tritannus 14.
Tubero Q. 264.
Tubulus L. 132.
Tum praecedente abl. absol. 269. *tum* et *tamen* conf. 129.

U.

Ubique in formula *qui ubique sunt* 84.
Ullus longius a substant. suo remotum 60.
Ultimus et *extremus* 17. 36.
Umbra honesti 66.
Unam literam movere 245.
Usu venire et *usu evenire* 304.
Ut pro acc. c. inf. 84. signif. *wie* 21. seq. — *ut — sic* 4. — *ut solet* 301. pro infinitiv. post verba incompleti sensus 302. *Utne* 327. et Exc. de part. *ut* pro *acc. c. inf.*
Uti et *niti* conf. 114.
Utilitas et *commodum* discr. 43.
Utrum — ne — an 294.

V.

Variari 46.
Varro πολυγραφώτατος 17.
Ve et *que* 125.
Vel dicam 15.
Velle et *tollere* 240.
Verba conatum significantia 29. Verbum subst. *est* cum partic. fut. pass. copulatum om. *fi* impersonalia per attractionem persona ia 213. 342. verba dicendi om. 13. 340. intransit. c. accus. adiectiv. gen. neutr. poetice 169. verba libri primae materiem libri indicant 8.
Veritum est me 121.
Vero in transeundo ad maiora
Versus poetarum incertor. 97. 149
Verum tamen discerptum 8.
Veseris fluvius 30.
Via et *ratione* 125.
Vide ne 93.
Videor pro *videor mihi* 93.
Videri verbum forense 32. passive pro *cerni* 131.
Virginia 348.
Vis acc. plur. a subst. *vis* 104.
Vitium et *flagitium* discrim. 183.
Vituperare et *reprehendere* discrim. 34. etymologia voc. 225.
Voconia lex 134.
Volo in form. *quam volo* 138.
Voluptas stans et movens 113.

X.

Xenocrates 249.

Z.

Zeno Epicureus 22.
Zeugma 48.